ELEMENTA

PHILOSOPHIÆ CHRISTIANÆ.

NOVITIATE LIBRARY

Digitized by the Internet Archive
in 2025 with funding from
Graduate Theological Union

https://archive.org/details/elementaphilosop01unse

ELEMENTA

PHILOSOPHIÆ CHRISTIANÆ

AUCTORE

P. F. ALBERTO LEPIDI

ORDINIS PRÆDICATORUM.

VOLUMEN PRIMUM

CONTINENS INTRODUCTIONEM AD UNIVERSAM PHILOSOPHIAM, ET LOGICAM IN QUATUOR LIBROS DISTRIBUTAM, QUORUM PRIMUS AGIT DE COGNITIONE INTELLECTUALI IN GENERE; SECUNDUS DE MODO INFERENDÆ CONCLUSIONIS; TERTIUS DE MODO RECOGNOSCENDÆ CONCLUSIONIS ILLATÆ; QUARTUS DE METHODO.

NOVITIATE LIBRARY
NOVITIATE LIBRARY
GRADUATE THEOLOGICAL UNION 1962

PARISIIS,
APUD P. LETHIELLEUX,
via Cassette, 4.

LOVANII,
TYPIS CAROLI PEETERS,
via Namurcensi, 22.

1875.

B
69
L4
v.1

APPROBATIO ORDINIS.

Jussu Adm. Rev. P. F. Petri Van Berkel, Prioris Provinciæ S^{æ} Rosæ in Belgio, diligenter perlegimus opus cui titulus: «Elementa Philosophiæ Christianæ» ab Adm. R. P. F. Alberto Lepidi S^{æ} Theologiæ Professore, et Regente nostri Collegii Imm. Conc. B. M. V. conscriptum; in eo nihil contra fidem vel bonos mores contineri deprehendimus, sed ad alumnos Philosophiæ rite instruendos ipsum valde accommodatum esse censemus; ideoque dignum judicamus ut in lucem edatur.

In quorum fidem, etc.

F. C. A. Boudewyn S^{æ} Theol. Lector.
F. A. M. Dummermuth S^{æ} Theol. Lector.

Datum in Collegio nostro Lovaniensi, die 15^{a} Julii 1875.

Nos Fr. Petrus Van Berkel, Sacræ Theol. Lector et Provinciæ S^{æ} Rosæ in Belgio humilis Provincialis et Servus; cum opus cui est titulus: «Elementa Philosophiæ Christianæ» ab Adm. R. P. F. Alb. Lepidi conscriptum, a duobus Theologis Ordinis nostri revisum et approbatum fuerit, Nos harum serie, nostrique officii auctoritate, quantum in Nobis est, et servatis alias de jure servandis, facultatem concedimus ut dictum opus in lucem edatur. In nomine Patris, etc.

Fr. P. Van Berkel,
Prior Provincialis Prov. S^{æ} Rosæ Ord. Præd. in Belgio

Datum Lyræ, in conventu nostro S. Thom Aquin., die 18^{a} Julii 1875.

IMPRIMATUR

Mechliniæ 23 julii 1875

† Victor Augustus Card. Dechamps,
Archiep Mechliniensis

Nemini, sine auctoris facultate, hoc opus edere liceat

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO

VICTORI AUGUSTO DECHAMPS

CONGREGATIONIS SMI REDEMPTORIS,

S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI,

ARCHIEP. MECHL., TOTIUS BELGII PRIMATI ;

VIRO

PIETATE, DOCTRINA, ELOQUENTIA,

PASTORALI CURA,

IN STUDIORUM INCREMENTUM SOLLICITUDINE

SUMMO ;

IN SUÆ VENERATIONIS DOCUMENTUM,

OBSEQUII TESTIMONIUM,

AUCTOR

OFFERT, DICAT, CONSECRAT.

NOVITIATE LIBRARY

345077

LECTORI BENEVOLO

De legibus bene cogitandi, de supremis principiis, quæ quibuscumque scientiis sua universalitate præsunt, de mundo, de homine, de Deo, per altiores causas erudire animos est præsentis operis scopus.

In his tradendis, copiæ doctrinæ, brevitati, facilitati, securitati, intenti fuimus; talem enim decet esse doctrinam, qua studiosi primo sunt informandi.

Copiæ : Steriles ac jejunas quæstiones, inutiles et vanas, quæ veluti nubeculæ cito transeunt, scientiæ solum speciem habentes, reliquimus : contra, quæ primæ sunt atque fundamentales, et in quibus uber est meditationi materia, accurate diligenterque tractavimus.

Brevitati : A multitudine rerum, ab opinionum varietate, ab hominum dissensione, quoad fieri poterat, abstinuimus. Siquidem studiosorum animos onerant et fatigant, perturbant et obruunt :

formandi sunt ipsi, non supervestiendi; philosophia non opus memoriæ, sed reflexionis est et intelligentiæ.

Facilitati : Ad minuta nimis, quæ vires frangunt, non descendimus; neque subtiles, obscuras, contentiosas quæstiones intemperanti curiositate scrutati sumus; sed in iis maxime fuimus, quæ luce sua et claritate, ut solidus cibus, vere animum nutriunt. Ordinatæ autem dispositioni materiæ, quæ claritati plurimum confert, studiose prospeximus. Perspicua, brevi, simplici oratione, ne duplex et in verbis et in rebus intelligendis esset labor, consulto usi sumus.

Securitati : Denique, non novas et peregrinas doctrinas sectati sumus, sed antiquam et honorabilem : quam a doctoribus Ecclesiæ, præsertim a præceptore et duce Thoma Aquinate studio et labore multo didicimus, eam in luce ponere, ac nove pro modulo nostro tractare conati sumus.

Hic scopus, hæc mens et consilium hujus elementaris et christianæ philosophiæ ; quæ si adolescentum profectui quid boni sit allatura, hoc nobis erat in voto, hæc spes nos ad scribendum impulit et excitavit.

AD UNIVERSAM PHILOSOPHIAM

INTRODUCTIO.

Initio hujus operis, ne quasi in incertum vagetur hæc nostra tractatio, sunt aliqua de universa philosophia dicenda: de natura nempe ipsius atque definitione, de ejus existentia, de partitione, de necessitate, præstantia, origine, de unione ipsius cum fide, tandem de quibusdam characteribus, qui philosophiæ christianæ sunt proprii.

CAPUT I.

DE NATURA PHILOSOPHIÆ EJUSQUE DEFINITIONE.

I. *De habitudine philosophiæ et humanæ naturæ.*

Miser nascitur homo, uti experientia constat: quoad corpus, quia mortale est ac multis ærumnis obnoxium; quoad partem sensitivam, quia rationi resistit; quoad voluntatem, quia tarda ac segnis est ad proprium verumque bonum prosequendum; quoad intellectum denique, quia ab ignorantia, ab errore, a dubietate, veluti tenebroso quodam sinu suscipitur.

Natura autem simul cum desiderio, suppeditavit homini

media se liberandi ab hisce miseriis. Et vere ita constitutus est homo, ut, si velit, possit quodammodo se liberare. Est enim quædam peritia ab homine inventa, qua corporales ægritudines allevantur, quæ a veteribus *mechanica* dicitur. Studium abstinendi a voluptatibus, providet debitæ subjectioni virium sensitivarum sub ratione. Studium et consuetudo rectæ operationis in bonum, malæ inclinationi voluntatis medetur. Postremo amor et studium sapientiæ, philosophia scilicet, ab ignorantia, ab errore, a dubietate liberat.

II. *Objectum philosophiæ sunt rationes rerum, ultimæ ac sempiternæ.*

De hac medicina humani intellectus, quæ *philosophia* dicitur (1), in hoc opere tractaturi, de natura ac definitione ipsius imprimis loquamur oportet. Ad percipiendam autem naturam ac definitionem philosophiæ, necessarium est cognoscere ejus objectum; quælibet enim facultas per habitudinem ad objectum, quod ipsa proprie respicit, cognoscitur.

Objectum itaque circa quod studium sapientiæ versatur, sunt omnes res quæ sub lumen mentis creatæ cadere possunt; est enim philosophia qualitas quædam, perficiens intellectum in ordine ad suum objectum. Verum tamen est hic animadvertendum, res considerari posse bifariam : 1° prout

(1) Philosophia vox græca est, ἀπὸ τοῦ φιλεῖν amare, et σοφία sapientia. Pythagoras primus hujus nominis fuit inventor, ut narrat Tullius (Tuscul. qq. l.V, c. 3) : nec quicquam aliud hæc vox significat, quam amor et studium sapientiæ. « Sapientia, ait Plato, pulcherrimum quiddam est; amor autem circa pulchrum versatur, ex quo necessario sequitur, amorem esse philosophum, cumque philosophus sit, » i. e. amator sapientiæ, non esse ipsam sapientiam, sed *medium ignorantis sapientisque tenere.* Horum in causa ejus origo : nam ex patre sapiente et opulento est genitus, « inspiratur enim ab amabilitate veri », matre vero minime sapiente et valde paupere, « elicitur enim ab anima hominis statum corruptionis habentis ». Convivium, edit. Didot, v. 1, pag. 682.

existunt a parte rei, contingentes, singulares, mutabiles ac temporariæ; 2° quatenus menti objiciuntur ut aliquid immutabile, necessarium, æternum, absolutum et ultimum. Ex. c. si quis consideret circulum aliquem singularem, hoc in loco, hoc tempore existentem, in tali materia, puta ænea, sub talibus dimensionibus, sub tali et tali colore etc. aliquid concontingens quod potest esse et non esse considerat, aliquid mutabile et temporarium. Si autem aliquis consideret circulum abstrahendo a loco et tempore, a materia, a quantitate, ab omnibus aliis qualitatibus sub quibus a parte rei existit, ac obtutum mentis suæ figat circa id quod proprie constituit circulum, prout nempe « est linea ducta circa centrum, æqualiter a centro distans, » aliquid necessarium tunc intuetur, aliquid absolutum, æternum, immutabile et ultimum.

Jam vero, studium sapientiæ proprie versatur circa res modo posteriori acceptas. Sapiens proprie non considerat hominem sanctum, vel justum, vel pulchrum, sed ipsam sanctitatem considerat, ipsam justitiam, ipsam pulchritudinem. « Philosophi, ait Plato, sunt qui attingere possunt *id, quod semper secundum eadem eodem modo se habet;* qui vero id nequeunt, sed per multa et omni modo se habentia vagantur, non philosophi sunt (1) », sed « opinionis potius (φιλοδόξους), quam sapientiæ amicos appellabimus (2). » Et hujus ratio est, quia « quæ pertinent ad perfectionem intellectus sunt *species et genera rerum et rationes earum*... cognoscere autem *singularia* (contingentia) *et cogitata et facta eorum*, non est de perfectione intellectus (3). » Hoc enim est proprium creati intellectus, et in hoc similitudinem quamdam cum intellectu Dei habet, quod ad veritatem æternam et immutabilem cognoscendam sit natus, ac in ipsa tantum semel adinventa, quiescat.

(1) Plato, *Civitas*, lib. VI, v. 2, edit. Didot, pag. 104.
(2) Ibid., in calce lib. V.
(3) S. Thom. I. P. q. XII, ar. 8, ad 4um.

III. *Philosophia est appetitio sciendi sempiternas et ultimas rationes rerum, vel est inquisitio, vel manifestatio ipsarum.*

Ex his autem intelligi potest qualis sit natura philosophiæ. Etenim si ipsa consideretur prout est in animo, secundum quamdam naturalem dispositionem atque præparationem, tunc philosophia est regalis quædam et naturalis appetitio sciendi rationes rerum, sempiternas, immutabiles, ultimas.

Si autem consideretur in *fieri*, quasi in via, tunc philosophia est quidam animi conatus, est sublimis quædam inquisitio earumdem sempiternarum rationum.

Demum, si philosophia consideretur prout reipsa mentem humanam jam actu illuminat ac perficit, tunc est quædam pellucida forma in mente existens, naturali lumine manifestans sempiternas ac ultimas rationes rerum. Qualis ergo sit natura philosophiæ patet.

IV. *Philosophiæ definitio.*

Natura philosophiæ sic ostensa, ad ejus definitionem modo veniamus. Sciendum est autem, philosophiam accipi posse trifarie : 1° *Latissime* et *absolute*, prout complectitur rationes sempiternas omnium rerum, quæ lumine rationis cognosci possunt, in quam proinde omnes scientiæ revocantur. Philosophia hoc modo accepta, definiri potest : *Est cognitio certa et evidens omnium rationum rerum, per demonstrationem acquisita;* vel cum veteribus, prout refert Tullius : « *Rerum divinarum et humanarum, causarumque, quibus hæ res continentur, scientia* (1). » Per res divinas omnia spiritualia intelliguntur, per res humanas autem omnia sensibilia.

(1) De Offic. l. 1, c. 2. Circa hanc definitionem notat Seneca (Epist. lib. IV. cap. 1º) : « Supervacua mihi videtur hæc adjectio : *causarumque quibus hæ res continentur*, quia causæ divinorum humanorumque pars divinorum sunt. » Hinc alii philosophiam brevius definiunt : « Est divinorum et humanorum scientia. »

2° Alio modo philosophia sumi potest *minus late*, pro cognitione nempe rationum sempiternarum quarumdam rerum inferiorum. In hoc sensu ponitur *philosophia historiæ*, quæ est cognitio legum juxta quas humani eventus fieri contingunt; vel *philosophia jurisprudentiæ*, quæ ultimas rationes aperit jurium et legum; vel *philosophia medicinæ*, vel *grammaticæ*, etc. Philosophia sic sumpta, nequit definiri unica definitione; sed tot debent esse definitiones ejus, quot sunt determinatæ illæ rationes de quibus agit. Quocirca alia debet esse definitio philosophiæ historiæ, alia definitio philosophiæ medicinæ, vel jurisprudentiæ, etc.

3° Sumitur philosophia *proprie ac presse*, secundum quamdam excellentiam, prout est cognitio simpliciter altissima, quia versatur circa rationes rerum simpliciter supremas : circa rationem scilicet communem entis et eorum quæ consequuntur ens; circa rationes legum generalium hujus mundi sensibilis; circa rationem hominis; maxime autem Dei, ad quem omnis cognitio convergere debet.

Philosophia secundum hanc acceptionem, propriissime est naturalis sapientia, quæ nihil est aliud, quam *naturalis consideratio altissimarum causarum*. Ipsa definiri potest : *Est cognitio certa et evidens rerum supremarum, quæ naturali lumine, ratiocinando acquiritur*.

V. *Bonitas definitionis philosophiæ tertio modo acceptæ, ratione probatur.*

Declaratis tribus acceptionibus philosophiæ, quia secundum posteriorem acceptionem de ipsa in toto hoc opere tractatur, idcirco bonitas ultimæ definitionis breviter hoc modo est ostendenda : Quælibet virtus scientifica, et proinde ipsa philosophia, definienda est secundum habitudinem ad objecta, de quibus sub nomine ipsius a probatis auctoribus tractari solet; omnis enim virtus scientifica, quia per habitudinem ad proprium objectum constituitur, secundum habitudinem ad proprium objectum est definienda.

Jam vero, a probatis auctoribus hodie sub nomine philosophiæ, de quibusdam rebus supremis tractatur, de ratione nempe communi entis ac proprietatum quæ consequuntur ens, de mundo, de homine, de Deo, quatenus hæc omnia certo evidenterque per lumen naturale intellectus ratiocinando manifestantur. Ergo secundum hanc habitudinem ad hæc objecta definienda est philosophia. Quod cum præstitum fuerit in definitione allata, sequitur eam esse bonam.

Ex hac definitione autem colligitur, characterem proprium philosophiæ, prout distinguitur a scientia communiter sumpta, in eo contineri, quod res divinas ac altiorum creaturarum rationes respiciat; scientia autem communiter sumpta, quascumque rationes rerum respicit.

Item colligitur, characterem proprium philosophiæ quatenus a fide et a Theologia distinguitur, in eo contineri, quod philosophia sit cognitio evidens, per principia rationis acquisita; fides autem est cognitio non apparentium, et Theologia principiis, quæ lumine fidei cognoscuntur, maxime innititur. Verum modo, pro majori dilucidatione definitionis a nobis datæ, aliqua objecta sunt diluenda.

VI. *Solvuntur objectiones.*

Objic. I. Scientia est cognitio certa et evidens, versatur enim circa objecta quæ evidenti demonstratione cognoscuntur. Atqui philosophia non est cognitio certa et evidens, nam de multis tractat, quæ sunt opinabilia. Ergo philosophia non est scientia.

Respondeo : *Dist. Major.* Circa proprium et primarium objectum, *conc.*; circa objectum secundarium, *nego.* Item, *dist. min.* Circa objecta secundaria *conc.*; circa objectum proprium et principale, *nego.* Nego consequentiam.

Revera objectum *proprium* scientiæ est aliquid per demonstrationem evidenter cognitum, cui duntaxat assensum suum plenum et firmum scientia præbet. Verum hoc minime prohibet, quominus scientia etiam de obscuris, de dubiis et opinabilibus pertractet, non tanquam de objecto *proprio* et

primario; sed tanquam de objecto circa quod *consequenter*, et velut *accessionis loco* ipsa versatur. Est autem necessarium quod philosophia de his agat, tum ad pleniorem cognitionem rei, tum etiam ad discernendas notiones necessarias ab opinabilibus, certas ab incertis, claras ab obscuris, ut sic de omnibus, pro uniuscujusque cognitionis merito, possit judicare.

Bene igitur philosophia de opinabilibus tractat, sed consequenter tantum, ut dictum est, tanquam de objecto secundario ; ob majorem quandam illustrationem objecti primarii.

Objic. II. Philosophia tractat de omni scibili, definitur enim : *Cognitio rationis*, vel *scientia cogitationis*, vel etiam est *scientia luminis intellectualis*. Per *rationem* autem, *cogitationem*, *lumen intellectuale*, non solum actus mentis intelligitur, verum etiam objecta omnia intelliguntur, quæ per actum mentis naturaliter manifestari possunt; unde et veteres definiebant philosophiam : *Est divinorum humanorumque scientia*. Ergo philosophia non tractat exclusive de rebus supremis.

Respondeo : *Dist. Antec.* Philosophia simpliciter et absolute sumpta, *conc.*; *presse* et secundum quamdam excellentiam, *nego*.

Revera, si philosophia latissime ac simpliciter sumatur, omnes naturales scientias comprehendit, et sic omnes allatæ definitiones sunt veræ. Sed si philosophia *presse* sumatur, prout in institutionibus philosophicis tradi solet, tunc ipsa haudquaquam omnes naturales scientias complectitur, sed quasdam supremas veritates duntaxat. Et hoc quidem merito factum est, non solum ea ratione, quod, propter nimiam materiæ quantitatem, nequeant in institutionibus philosophicis omnes naturales scientiæ tradi; verum etiam quia omnino decebat ab aliis disciplinis eam secernere, quæ inter alias eminet, quæque est veluti fundamentum ac domina aliarum. Talis est autem philosophia, juxta sensum quo a nobis sumitur; in ipsa enim, ut dictum est, de primis principiis rerum agitur, de mundo universe accepto, de homine qui est prin-

ceps hujus mundi, de Deo qui est primum principium et ultimus finis omnium.

Objic. III. Veteres Patres non distinguebant veram philosophiam a christiana sapientia. Atqui christiana sapientia nequaquam per lumen intellectus ratiocinando gignitur, sed per lumen divinum. Ergo et vera philosophia nequaquam per lumen mentis ratiocinando gignitur, sed per lumen divinum.

Respondeo : *Dist. Major.* Et per veram philosophiam intelligebant doctrinam Christi, vel Theologiam, *conc.*; cognitionem illam naturalem de qua nunc loquimur, *nego.*

Per veram philosophiam plerumque Patres non sapientiam viribus naturæ acquisitam intelligebant, sed divinam et supernaturalem, Theologiam scilicet cum pietate conjunctam, quam veteres illi γνῶσιν nominabant, quæ sola homines salvos facit. « Cognitio (Ἡ γνῶσις), ait Clemens Alexandrinus, est demonstratio firma et stabilis eorum, *quæ per fidem accepimus*, *quæ per doctrinam Domini super fidem ædificatur* (1). » Ceterum, Patres distinxisse philosophiam humanam a sapientia illa christiana, res est apertissima, quæ probatione non eget. Nam et rationi tribuunt virtutem probandi plures veritates naturales, quæ ad philosophiam pertinent; insuper asserunt ipsi, humanam philosophiam, *Pædagogi more*, *Græcos duxisse* (2); eamque vocant, « *fundamentum christianæ Philosophiæ* (3). » Ergo nullum est argumentum.

Itaque philosophia prout presse sumitur, est *quædam appetitio supremas veritates sciendi;* vel *inquisitio*, vel etiam *intellectiva manifestatio earum.* Hæc intellectiva manifestatio, ut dictum est, merito definitur : *Est cognitio certa* et *evidens rerum supremarum*, *quæ naturali lumine*, *ratiocinando acquiritur.*

(1) Lib. 7. Strom.

(2) Clem. Alex. Lib. 6. Strom.

(3) Clem. Alex. Lib. 5. Str.

NOVITIATE LIBRARY

CAPUT II.

DE EXISTENTIA PHILOSOPHIÆ.

I. *Philosophia ut est appetitio sciendi, vere existit.*

Philosophiam, prout significat *regalem quamdam appetitionem supremas veritates sciendi, vel inquisitionem ipsarum, reapse existere in natura*, interior experientia, qua quisque proprium naturale desiderium sciendi percipit, ipsumque sapientissimorum hominum studium aperte docet.

II. *Philosophia prout significat cognitionem mundi, hominis, et Dei, absolutam et undequaque perfectam, non existit.*

Item, philosophiam, prout significat *intellectualem manifestationem mundi, hominis et Dei, absolutam et undequaque perfectam, reipsa non existere* eadem experientia comperitur. Multa enim de mundo, multa de homine, plurima de Deo in hac vita ignoramus; et cognitio, quam hic doctissimi habent, ad cognitionem alterius vitæ comparata, sicut diluculum ad meridiem se habet. « Primarium philosophiæ caput, ait Nazianzenus, est, nempe nos aliquando *tantum cognituros, quantum cogniti sumus* (1 ad Cor. XIII, 12). At in hac mortali vita quidquid ad nos usque pertingit, aliud nihil est, *quam exiguus quidam rivulus, ac velut parvus magnæ lucis radius.* Quamobrem si quis Deum cognovit, aut, Scriptura teste, cognovisse dicitur, eatenus cognovisse censendus est, quatenus uberioris splendoris particeps sit, quam qui minus luminis divinitus accepit. Ita exsuperantia hæc, perfecta cognitio existimata est, non ad rei ipsius veritatem, sed ad aliorum modulum et facultatem perpensa (1). »

(1) Greg. Naz. Orat. 28ª § 17.

III. *Philosophia prout significat actualem manifestationem veri, imperfectam tamen, vere existit.*

Verum etsi, uti jamjam dictum est, humana ratio nequeat in hac vita perfecte et absolute assequi cognitionem veritatis; *non tamen, ut aliqui stulte ac injure opinantur, virtus naturalis humani intellectus tam imbecillis est, ut impar omnino sit ad aliquas philosophicas veritates sibi comparandas.*

Patet hoc, 1° quia reipsa plures veritates de mundo, de homine, de Deo demonstrative homines cognoscunt. 2° Quia alioquin, desiderium illud naturale sciendi, quod omnibus hominibus est commune, frustra natura nobis contulisset; hoc autem dici nequit. 3° Nam si unaquæque res in mundo habet sufficientem virtutem ad operationem suam naturalem explendam, cur soli homini hujusmodi sufficientia deesse deberet? Operatio autem naturalis animæ, quatenus est intellectiva, est cognoscere verum.

Manifestum est igitur *philosophiam reipsa existere, non tamen in præsenti absolute perfectam, sed imperfectam* « Ubi ergo, scribit Lactantius, sapientia est? Ut neque te omnia scire putes, quod Dei est, neque omnia nescire, quod pecudis. Est enim aliquid medium, quod sit hominis, id est *scientia cum ignoratione conjuncta et temperata* (1).

CAPUT III.

DE PARTIBUS PHILOSOPHIÆ EARUMQUE ORDINATIONE.

I. *Vetus ac nova distributio philosophiæ.*

Natura philosophiæ declarata, ejusque realitate ostensa, nunc de partibus philosophiæ earumque ordinatione dicen-

(1) Lib. 3. Inst. c. 6.

dum est. Veteres juxta objectorum diversitatem, in tres partes philosophiam distribuebant, in *naturalem*, quæ est de mundo ac de iis quæ in mundo sunt; in *moralem*, quæ est de vita et moribus; in *rationalem* demum, quæ est de regulis veritatis agnoscendæ et demonstrandæ (1).

Posteriores autem philosophi *partem naturalem* philosophiæ in duas partes subdiviserunt, in *physicam* nempe, quæ de rebus sensibilibus agit, et in *metaphysicam*, quæ res a sensibus remotas contemplatur. Hinc quatuor philosophiæ partes esse statuunt : *Logicam* seu *Rationalem*, *Physicam*, *Metaphysicam*, *Ethicam* seu *Moralem* : quarum tres priores ad *contemplationem* pertinent, sunt quippe speculativæ (2); ultima vero ad *actionem*, est enim practica (3).

(1) Cfr. Tullium, *Acad. qq.* lib. I, cap. 5. et Plutarchum de *placitis philosophorum*, in procemio.

(2) Quomodo logica sit speculativa ac simul quodammodo practica, postea proprio loco dicetur.

(3) Hujus divisionis hoc modo rationem reddit S. Thomas : « Sicut dicit Philosophus in principio metaphysicæ : *Sapientis est ordinare*, cujus ratio est, quia sapientia est potissima perfectio rationis, cujus proprium est cognoscere ordinem. Nam et si vires sensitivæ cognoscant res aliquas absolute, ordinem tamen unius rei ad aliam cognoscere, est solius intellectus, aut rationis... Ordo autem quadrupliciter ad rationem comparatur. *Est enim quidam ordo quem ratio non facit, sed solum considerat*, sicut est ordo rerum naturalium. *Alius autem est ordo, quem ratio considerando facit in proprio actu*, puta cum ordinat conceptus suos ad invicem, et signa conceptuum, quæ sunt voces significativæ. *Tertius autem est ordo, quem ratio considerando facit in operationibus voluntatis. Quartus autem est ordo, quem ratio considerando facit in exterioribus rebus*, quarum ipsa est causa, sicut in arca et domo. Et quia consideratio rationis per habitum perficitur : secundum hos diversos ordines, quos proprie ratio considerat, sunt diversæ scientiæ. Nam ad philosophiam *naturalem* pertinet considerare ordinem rerum, quem ratio humana considerat, sed non facit, ita quod sub naturali philosophia comprehendamus et *metaphysicam*. Ordo autem quem ratio consi-

Recentiori autem hac nostra ætate, expuncta physica speciali, quæ in institutionibus philosophicis amplius non traditur, philosophia proprie dicta, distinctius dividi posse videtur, in *Logicam*, *Ontologiam generalem*, *Cosmologiam*, *Anthropologiam*, *Theologiam naturalem*, et *Ethicam* seu *Moralem*. Hujusmodi divisio sumitur ex ipso scopo philosophiæ, cujus est perficere et illuminare humanum intellectum secundum quamdam rationem fundamentalem atque primariam. Re quidem vera, intellectus humanus, ut perficiatur ac illuminetur ratione quadam fundamentali atque primaria, sciat necesse est bene uti ratione ad cognoscendum verum, et hoc fit per *Logicam;* recte uti voluntate ad faciendum bonum, et hoc fit per *Moralem;* deinde, sciat necesse est ens et quæ consequuntur ens, quorum cognitio aliarum rerum cognitioni præsupponitur, et hoc fit per *Ontologiam generalem;* præcipuas quasdam veritates quoque cognoscat oportet, ad quarum contemplationem homo maxime est natus, nempe seipsum, et hoc fit per *Anthropologiam*; Deum, et hoc fit per *Theologiam naturalem;* universales denique leges hujus mundi, et hoc fit per *Cosmologiam*. Merito igitur Philosophia per sex illas partes supra enumeratas distribuitur.

II. *De ordinatione partium philosophiæ.*

At quomodo nunc hujusmodi partes inter se sunt ordinandæ? Primo ponenda est Logica, deinde Ontologia generalis, postea Cosmologia, quarto Anthropologia, quinto Theologia naturalis, sexto Moralis.

derando facit in proprio actu, pertinet ad *rationalem philosophiam*, cujus est considerare ordinem partium orationis ad invicem, et ordinem principiorum ad invicem et ad conclusiones. Ordo autem actionum voluntariarum pertinet ad considerationem *moralis philosophiæ*. Ordo autem quem ratio considerando facit in rebus exterioribus constitutis per rationem humanam, pertinet ad artes mechanicas (In lib. 1. Ethic, lect. 1a). »

Dispositio ista innititur duplici principio. Primum est : *In disciplinis tradendis cognitiones earum rerum sunt priori loco tractandæ, quæ aliis necessario præsupponuntur.* Atqui ex parte cognoscentis, logica quæ agit de recto usu rationis, omnibus aliis cognitionibus necessario præsupponitur; nullam enim veritatem quis assequi potest, nisi per rectum usum rationis (1), quem logica docet. Logica igitur omnibus aliis philosophiæ partibus est præmittenda.

Item, ontologia generalis, quippe quæ de ente universali pertractat ac de primis principiis rerum, quorum cognitio cognitioni omnium aliorum præsupponitur, omnes alias partes philosophiæ, quæ sunt de ente aliquo particulari, ipsa præcedat necesse est. Sic ergo primo logica, deinde vero Ontologia ponenda est in ordinatione partium philosophiæ.

Alterum principium, cui dispositio ceterarum partium contemplativæ philosophiæ innititur, hoc est : *In disciplinis tradendis a facilioribus est incipiendum;* talis est enim processus facultatis intellectivæ hominis, ut ab imperfecta cognitione incipiens, per varios gradus transeundo perveniat ad perfectam. Jam vero, cognitio quæ est de rebus sensibilibus facilior est cognitione rerum spiritualium; et inter res spirituales facilior est cognitio animæ humanæ, quam cognitio Dei. Ergo prius de cosmologia agendum est, seu de rebus sensibilibus universe spectatis, deinde de homine, maxime quoad animam, ultimo de Deo.

Philosophiam vero speculativam sequitur practica; Ethica

(1) « Quando ergo (ratio), ait Augustinus, transiret ad alia fabricanda, nisi ipsa sua prius quasi quædam machinamenta et instrumenta distingueret, notaret, digereret, proderetque ipsam disciplinam disciplinarum, quam *dialecticam* vocant? Hæc docet docere, hæc docet discere; in hac se ipsa ratio demonstrat, atque aperit quæ sit, quid velit, quid valeat. Scit scire; sola scientes facere non solum vult, sed etiam potest. » De Ordine. lib. II, c. XIII, n. 38.

namque necessario præsupponit cognitionem tum hominis tum Dei, tum etiam relationis secundum quam homo refertur ad Deum, eique subjicitur (1). Merito igitur ultimo collocatur.

III. *Objectiones solvuntur.*

Objic. I. Eo asseritur cæteris philosophiæ partibus logicam esse præmittendam, quod sine ipsa recte ratione uti nequeamus. Atqui recte ratione utimur sine logica, instinctu quodam naturali ducti. Ergo non est necessarium logicam præmitti ceteris philosophiæ partibus.

Respondeo : *Conc. Major. Dist. Minor.* Circa quædam scitu facilia, *conc.*; scitu difficilia, *nego.*

Non potest negari multa facilia scitu a nobis cognosci posse per logicam naturalem sine artificiali, uti præsertim sunt ea quæ per solam experientiam cognoscuntur : verum si agatur de rebus quæ sunt supra sensum, quæ nonnisi per accuratam applicationem mentis, per longum ratiocinium addisci possunt, tunc logica artificialis, ut postea latius explicabitur, est omnino necessaria. Ea vero de quibus Ontologia generalis tractat, Cosmologia, Anthropologia, Theologia naturalis, sunt difficillima cognitu, quia a sensu remotissima, quæque proinde accuratam applicationem animi requirunt ac longum ratiocinium. Ergo pro hisce rebus addiscendis, necessario

(1) Ordo hic expositus, ordo *logicus* seu *dialecticus* nominatur; quia a logica incipit, ac modum evolutionis humani intellectus sequitur. Non omnes hunc ordinem tenent; quidam enim, post Cartesium, a psychologia incipiendum esse putant, nempe a cognitione sui, in qua cognitione quadammodo idealiter totus mundus manifestatur. Ordo iste *psychologicus* nuncupatur. Alii autem ab ipso objecto quod mens primo intuetur, incipiunt, ab entis scilicet consideratione; postea vero psycho logiam ponunt, ultimo tandem logicam. Ordo iste *ontologicus* nominatur. Verum tum ordo psychologicus tum ontologicus, si de disciplina tradenda sermo fiat, satis ex iis quæ dicta sunt, rejiciuntur.

præsupponenda est logica, ac velle quærere scientiam, hoc est, claram, evidentem atque reflexam cognitionem immutabilium, quin clara, evidens et recogitata cognitio regularum perveniendi ad veritatem habeatur, quin ex repetito exercitio usus ipsarum possideatur, res omnino absurda esse videtur.

Objic. II. Nequeunt cognosci regulæ recte intelligendi, nisi prius mens exerceatur circa intelligibilia; quoniam regulæ illæ cognoscuntur, quatenus mens recogitat actum suum circa intelligibilia exercitum. Atqui intelligibilia illa maxime ad psychologiam, et ad ontologiam pertinent. Ergo tum psychologia, tum ontologia logicæ est præponenda.

Respondeo : *Dist. Major.* circa omnia intelligibilia, *nego*; circa aliqua, *conc.*

Reipsa ea ratione logica artificialis formatur, quia mens redit supra actum suum, illumque recogitat, cum jam circa ideas et objecta universalia virtutem suam explicaverit. Quapropter omnino necessarium est in tractatione logicæ aliquid de ideis ac de primis objectis idearum dicere.

Verumtamen haudquaquam necessarium est de illis ex professo tractare; sed, ut fieri solet, quædam solummodo prælibare, tantum, quantum necessarium est pro evolvenda lege naturali mentis nostræ, ut sic illa recognosci queat.

Objic. III. Si a facilioribus sit incipiendum. Ergo neque logica, neque ontologia generalis est præmittenda aliis partibus philosophiæ; nam logica de ordinatione conceptuum agit, ontologia vero de universalissimis tractat, quæ cognitu sunt difficillima.

Respondeo : *Nego consequentiam*, quia aliud principium præter allatum, est attendendum; scilicet, *in scientiis addiscendis debere ante omnia cognosci id, quod aliis præsupponitur.* Quia vero, ut dictum est, logica de modo bene utendi ratione, ontologia vero tractat de ente in communi, cujus cognitio omni cognitioni præsupponitur, idcirco tum logica tum ontologia aliis philosophiæ partibus præmittantur oportet. « In addiscendo, ait S. Thomas, incipimus ab eo

quod est magis facile, nisi necessitas aliud requirat : quandoque enim necesse est in addiscendo non incipere ab eo quod est facilius, sed ab eo, a cujus cognitione cognitio sequentium dependet, et hac positione oportet in addiscendo a logica incipere, non quia *ipsa sit facilior scientiis ceteris*, *habet enim maximam difficultatem*, cum sit de *secundo intellectis* (h. e. de ordinatione conceptuum) : sed quia aliæ scientiæ ab ipsa dependent, in quantum ipsa docet modum procedendi in omnibus scientiis (1). » Et hæc de variis philosophiæ partibus, earumque ordinata distributione sufficiunt.

CAPUT IV.

DE NECESSITATE PHILOSOPHIÆ.

I. *Ut perfectio intellectiva hominis evolvatur, philosophia est omnino necessaria.*

Nunc autem ut ad philosophiam, cujus studium est satis operosum, alacri animo sapientiæ amator accedat, in hoc capite de necessitate, in sequenti de præstantia ipsius dicendum est.

Itaque asseritur primo, philosophiam necessariam esse homini non quidem ad vegetandum sicut plantæ, neque ad sentiendum sicut bruta animantia, sed ad vitam intellectivam perficiendam; aliis verbis : *Philosophia est homini necessaria, ut homo est.* Quod sane intelligi debet hoc modo : Nam etsi homo, sine acquisitione hujus scientiæ, quæ philosophia acquisita dicitur, ex natura habet aliqualem perfectionem intellectivam, quæ philosophia naturalis dici potest ; tamen ad majorem evolutionem ejusdem perfectionis, philosophia

(1) Opusc. LXX, quæst. ultima, ar. 1, ad secundam quæstionem, ad 3um.

acquisita est omnino necessaria. Philosophia igitur acquisita haudquaquam est necessaria, ut *perfectio intellectiva hominis aliquo modo sit*, sed *ut absoluta sit*; videlicet, *non est omnibus modis necessaria, sed solum relate ad perfectam cognitionem veritatis.*

Exposita conclusio sic probari potest : Id perfectioni hominis ut homo est, est necessarium, sine quo bona ad perfectionem vitæ intellectivæ ipsius pertinentia, rite non possunt haberi. Atqui sine philosophia, bona ad perfectionem vitæ intellectivæ hominis pertinentia, rite non possunt haberi. Ergo perfectioni hominis ut homo est, philosophia est necessaria. Probatur minor : quia sine philosophia usus rationis non potest esse perfectus, neque scientifica illa contemplatio supremarum veritatum esse potest, neque scientia agendorum, nec sine ipsa quæcumque aliæ scientiæ rite possunt acquiri (1); quippe quæ de fundamentalibus veritatibus agit.

II. *Philosophia est necessaria ad rite gubernandum.*

Asseritur secundo : *Philosophia ad rite gubernandum est necessaria.*

Prob. Etenim ad homines rite gubernandos necessarium est cognoscere naturam, naturales facultates, et passiones eorum, finem gubernationis, et media ad hunc finem ducentia; demum præ oculis oportet habere excellentissimam formam divini gubernii, quam sapiens quilibet gubernator ut exemplar optimum debet intueri : « Non poterit (quis), ait Minutius Felix in Octavio, pulchre gerere rem civilem, nisi cognoverit hanc communem omnium mundi civitatem. »

(1) Philosophia, dum in homine naturalem contemplationem veritatis et amorem bonitatis perficit, mentem purgat, provehit et sanat : vel ipse conatus animi pro veritate inquirenda, ad hominis culturam plurimi valet; vulgaris est sane et inculta societas illa, in qua studia philosophiæ sine honore jacent.

Jam vero, hæc omnia per philosophiam cognoscuntur, ut patet. Ergo philosophia ad rite gubernandum est necessaria. Beatæ profecto forent respublicæ illæ « in quibus, ut vetus habet effatum, vel philosophi regnarent, vel reges philosopharentur » ; multo enim acutius per philosophiam res humanæ discernerentur, quam per solam experientiam, ac quæ honesta, quæ justa, quæ bona melius noscerentur (1).

III. *Philosophia reipublicæ christianæ est necessaria.*

Asseritur tertio : *Philosophia est necessaria, non quidem cuilibet fideli, sed reipublicæ christianæ.*

Prob. Si Theologia est reipublicæ christianæ necessaria, ergo et philosophia; nemo enim potest esse verus Theologus, ut postea dicemus, sine philosophia. Atqui Theologia est reipublicæ christianæ necessaria. Nam etsi necessarium non sit, ut singuli et omnes in Ecclesia Christi sint Theologi, seu fidei Doctores ; tamen quod aliqui sint, ita divina voluntate disponente, est omnino necessarium. Alioquin Ecclesia cum sola fide in sancta rusticitate maneret, quæ, quamvis prodesse possit vitæ merito, tamen dum alios veritatem docere nescit, ac adversariis fidei resistere non valet, simplicitate sua noceret. Patet igitur, Theologiam christianæ reipublicæ esse necessariam. Ergo et philosophia.

IV. *Solvuntur objectiones.*

Objic. I. Intellectus humanus naturaliter perficitur per id, quod contemplationi ipsius naturaliter objicitur. Atqui spectaculum hujus mundi sensibilis est id quod contemplationi intellectus naturaliter objicitur. Ergo per contemplationem hujus mundi sensibilis ipse perficitur. Jam vero, contemplatio

(1) Cfr. Platonem lib. VII de civitate, pag. 127. et 128. v. 2, ed. Didot.

hujus mundi sensibilis expletur per solam experientiam et analysim factorum, non autem per contemplationem illarum supremarum rerum, quæ sunt præter experientiam. Ergo ea philosophia quæ de rebus agit præter experientiam, nullo modo ad mentis culturam pertinet.

Respondeo : *Conc. Major.* et *Minorem. Nego autem Minorem* subsumptam.

Revera, primo quod objicitur reflexioni intellectus est spectaculum hujus mundi sensibilis; non tamen ita, ut intellectus secundum experientiam et analysim contineatur ab ipso, sed ut ulterius progrediatur tum ad leges generales, quibus mundus iste sensibilis regitur, cognoscendas; tum ad operationes animæ, ac animæ naturam; tum denique ad ipsum Deum contemplandum, qui est causa omnium. In contemplatione autem harum rerum, mens naturaliter tanquam in proprio termino quiescit. Est igitur contemplatio rerum sensibilium quædam philosophiæ inchoatio, non tamen est terminus, ad superiora enim conscendere debet vis intellectiva hominis.

Objic. II. Experientia ipsa nos docet, eorum qui ad philosophiam incumbunt, quosdam absurdos et periculosos evadere, quosdam autem ad particularia negotia gerenda omnino ineptos. Ergo philosophia reipublicæ civili non est necessaria.

Respondeo : *Dist. Antec.* Et hoc provenit ex defectu eorum qui ad philosophiam incumbunt, *conc.*; ex germana ejus indole, *nego*.

Philosophia quæ hic reipublicæ civili necessaria dicitur, haudquaquam est philosophia illa insidiosa, fallax, cum rebus fidei non cohærens, ad audaciam rationis et ad versipellem quandam astutiam animum exercens, quæ quibusdam minutis ambagibus, ac sophistico sermone ligat et solvit quæstiones; neque est philosophia, quæ tota in consideratione rerum materialium continetur, qualis est illa quam minuti ac plebei philosophi hodie profitentur. Verum philosophia

reipublicæ civili necessaria, est illa quæ principia ac leges rerum optimarum considerat, quæ naturam et mores hominum atque rationes perspicit, ad particularia usque descendens; quæ cum omnes virtutes complectatur, justitiam, prudentiam, temperantiam, liberalitatem, fortitudinem, interiores motus animi proinde compositos et sedatos facit.

Homines in veritate et in bonitate ita per philosophiam instructi, dummodo in aliorum hominum cœtum descendant, et ad minuta inspicienda assuefiant, ad regendam rempublicam sunt quam aptissimi.

His igitur intellectis, apparet philosophiam ad plenam perfectionem vitæ intellectivæ cujuslibet hominis, ad bonum societatis tum civilis tum religiosæ, esse necessariam. Eam proinde *omnium laudatarum artium procreatricem quandam et quasi parentem* merito, teste Tullio, homines doctissimi judicarunt (1).

CAPUT V.

DE PHILOSOPHIÆ PRÆSTANTIA.

I. *Philosophia contemplativa omnibus aliis naturalibus scientiis est dignior atque præstantior.*

Philosophia, ut supra dictum est, alia est contemplativa et alia activa : et secundum utriusque rationem, omnibus aliis scientiis naturalibus, *philosophia est dignior atque præstantior.*

Ad philosophiam contemplativam quod attinet probatur hoc modo : Dignitas ac præstantia alicujus scientiæ ab objecto potissime sumitur, ita scilicet, ut ea scientia dignior

(1) Tull. De Oratore, lib. I, c.3. — Cfr. qq. Tuscul. lib. I, c. 26.

et præstantior præ aliis habeatur, quæ honorabilius objectum respicit. Atqui inter omnia scientiarum naturalium objecta nullum est honorabilius objecto philosophiæ; philosophia enim respicit veritatem lumine intellectus manifestatam in contemplatione primorum principiorum, legum universalium mundi sensibilis, in contemplatione demum substantiarum spiritualium, animæ scilicet, maxime autem Dei : quæ objecta, ut patet, sunt præstantissima. Ergo inter omnes scientias speculativas, nulla est philosophia contemplativa præstantior.

II. *Philosophia activa seu practica omnibus aliis scientiis practicis est præstantior.*

Ad philosophiam vero activam seu practicam quod attinet, excellentia ejus præ aliis practicis scientiis, sic manifestatur : Scientia practica quæ respicit supremum bonum rationis, ad quod omnia alia bona ab aliis scientiis practicis intenta, ordinantur, omnibus aliis scientiis practicis est dignior. Atqui philosophia activa respicit supremum bonum rationis, *facere nempe hominem rectum in Deum et ad naturalem beatitatem possidendam idoneum*, ad quod bonum omnia alia bona scientiarum practicarum, veluti ad ultimum ordinantur. Ergo philosophia prout activa est, omnibus aliis scientiis activis est dignior, ipsa est caput et domina omnium.

Atque ex his comperitur, philosophiam inter omnes scientias naturales esse excellentissimam. « Omnes aliæ scientiæ, ait S. Thomas, sunt necessariæ magis quam ista, *ad aliquam vitæ utilitatem*; minus enim sunt propter se quæsitæ; sed nulla aliarum dignior ista esse potest... Modicum quod ex hac scientia habetur, præponderat omnibus, quæ per alias scientias cognoscuntur (1). » Etenim philosophia est quædam participata divinæ sapientiæ illuminatio; ipsa, ut in re existens, nihil est aliud, quam *ratio hominis adulta atque perfecta;* qua re nihil in natura potest esse præstantius.

(1) D. Thom. in lib. 1um Metaph. lect. 3a.

CAPUT VI.

DE ORIGINE PHILOSOPHIÆ.

I. *De causa philosophiæ tum prima et remota, tum proxima et secundaria.*

Cum de origine philosophiæ quæritur, vel de causa philosophiæ prima et ultima quæri potest, vel de proxima et secundaria, vel etiam de eo ex quo vis intellectiva primo fuit incitata ad primas causas rerum inquirendas. Dico igitur :

Causa prima et ultima philosophiæ est Deus, tum in ratione causæ efficientis tum in ratione objecti. In ratione quidem causæ efficientis : quia lumen intellectus nostri est quædam participata et effecta similitudo divini luminis; in ratione autem *objecti :* quia quæcumque veritas, quæ præter Deum a nobis intelligitur, non est nisi quidam parvus radius immensæ lucis, quæ Deus est, a quo omnes veritates tanquam a prima veritate resultant.

Causa vero proxima et secundaria philosophiæ est ipsa vis intellectiva, quæ unicuique intelligenti est naturaliter indita. Nam omnis intellectiva cognitio ab ipsa naturali vi nostri intellectus efficitur, quandoquidem mens nostra, nisi prius rei cognitionem propria naturali virtute sibimet efficiat, nihil intelligere valet.

II. *De eo, ex quo vis intellectiva hominis primo incitata fuit ad causas rerum inquirendas.*

Id denique ex quo vis intellectiva ad primas causas rerum quærendas primo fuit incitata, est *Admiratio.* Homo enim facultate intellectiva præditus, habet naturalem inclinationem, ut visis effectibus, de eorum causis inquirat; est namque proprium intellectus, maxime si excellat, cognoscere causas

rerum : *Felix, qui rerum potuit cognoscere causas.* Homines igitur, præsertim excellentissimi, a natura ad contemplationem ita parati, in spectaculum hujus mundi admissi, inter se societate copulati, ex aspectu corporum cœlestium ac universæ naturæ, ex auditu quoque vel lectione quarumdam optimarum veritatum, quas Deus per revelationem hominibus tradiderat (1), perculsi, quia causam harum rerum ignorabant, eas sunt admirati, admirando scire desideraverunt, desiderando quæsiverunt, quærendo tandem invenerunt. *Ergo ex admiratione primitus nata est philosophia.* Vetus est hæc sententia, a Platone et Aristotele apertis verbis proposita : « Maxime philosophis hoc usu venit, ait Plato, ut admirentur, *non enim aliud præter hoc est philosophiæ principium*, et qui Irim Thaumantis, id est admirationis, filiam esse tradidit, non absurde originem ejus explicuisse videtur (2). » Idem Aristoteles habet : « *Propter admirationem et nunc et primo inceperunt homines philosophari :* a principio quidem admirando ea quæ de dubitandis faciliora erant; deinde paullatim ulterius procedentes, etiam de majoribus dubitando (3). » Eadem est sententia Divi Thomæ (4).

III. *Objectiones solvuntur.*

Objic. I. Principium ex quo primo nata est philosophia, est id quod primo movet ad inquirendum. Atqui admiratio non est id quod primo movet ad inquirendum; est enim

(1) De fontibus divinæ revelationis veteres philosophos hausisse, res omnino certa esse videtur, ut in capite sequenti dicetur.

(2) Theætetus. v. 1, pag. 119, edit. Firmin Didot.

(3) Lib. 1. Metaphys. cap. 2, tom. II, pag. 470, edit. Firmin Didot.

(4) Cfr. Comment. in lib. 1um Metaphys. lec. 3a, et 1am 2æ p. ar. 4 ad 5um. In libro IIIo contra Gentes cap. 25, ratione 8â, hæc S. Doctor habet : « Naturaliter inest omnibus hominibus desiderium cognoscendi causas eorum quæ videntur, unde postea *propter admirationem eorum quæ videbantur*, quorum causæ latebant, *homines primo philosophari cœperunt.* »

quædam trepidatio mentis. Ergo principium ex quo primo nata est philosophia, non est admiratio.

Respondeo : *Nego minorem* : Nam admiratio reipsa movet ad inquirendum. Quamvis autem ipsa sit quædam species timoris, ex qua animus errare metuens, refugit subito judicare de re quam miratur; tamen in futurum reipsa inquirit. Atque hoc proprie constituit discrimen inter admirationem et stuporem; quoniam stupor est quædam oppressio mentis, ab ipsa magnitudine objecti illata, omnem inquisitionem impediens; admiratio econtra, est utique mentis trepidatio quædam, habet tamen conjunctam vivam excitationem quærendi quod ignorat.

Objic. II. Si admiratio nequeat esse causa contemplationis, ab ipsa repeti nequit prima philosophiæ origo. Atqui admiratio nequit esse causa contemplationis; est enim « actus consequens contemplationem sublimis veritatis (1). » Ergo nequit ab admiratione repeti prima philosophiæ origo.

Respondeo : *Conc. Major. Dist. Minor.* Contemplationis ex qua ipsa sequitur, *conc.;* secus, *nego.*

Revera admiratio, ut ait S. Thomas, est actus consequens contemplationem sublimis veritatis, et proinde nequit ipsa esse causa illius contemplationis ex qua sequitur; nulla tamen est repugnantia, quominus admiratio sit causa inquirendi quæcumque occulta manent circa rei veritatem, de cujus contemplatione ipsa nascitur. Et sic reapse contingit : quandoquidem mens primo ordinem universi contemplatur, deinde ipsum admiratur, ultimo de causa ejus inquirit. Nulla igitur est difficultas.

Objic. III. Philosophia proprie a revelatione divina ortum habuit. Ergo ipsa non oritur ab admiratione.

Respondeo; *Dist. Antec.* Quæ fuit in primo parente, *conc.*; quæ fuit in posteris, *subdist.* ex parte, *conc.;* ex toto, nego.

(1) D. Thom. 2a 2æ p. q. 180, ar. 3o, ad 3um.

Philosophia, quæ fuit in primis parentibus, tota originem habuit a divina revelatione : « Creavit illis (Deus), ait S. Scriptura, scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, et mala et bona ostendit illis. Posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum (1). » Philosophia vero quæ fuit in posteris, ad præsentationem objecti contemplationis quod attinet, partim a spectaculo naturæ est nata, partim autem auxiliatricem habuit divinam revelationem; per revelationem enim vehiculo societatis traditam, quædam veritates aspectui mentis proponebantur, quæ contemplationem animi provocabant. Attamen, quod primi philosophi de veritatibus, per spectaculum naturæ vel per universalem traditionem propositis, inquirerent, hoc ex admiratione proveniebat.

Quamobrem contemplatoribus veritatis, ex duplici fonte objecta contemplanda offerebantur, nimirum ex naturæ spectaculo, et ex doctrina communiter tradita; interior autem motio ad inquirendum, ab admiratione manabat.

CAPUT VII.

DE UNIONE PHILOSOPHIÆ ET DIVINÆ SUPERNATURALIS REVELATIONIS.

—

I. *Quædam breviter prænotantur.*

Illud imprimis in re, de qua nunc loquimur, est animadvertendum, cognitionem, quæ est ex divina revelatione, esse diversam a cognitione, quæ a philosophia provenit. Etenim cognitio quæ provenit ex divina revelatione, est manifestatio veritatis, quæ tota innititur auctoritati Dei revelantis; cognitio vero, quæ est a philosophia, est manifestatio veritatis, quæ lumine naturali rationis efficitur.

(1) Ecclesiasticus, cap. XVII, vv. 6, 7.

Quanquam autem cognitio, quæ a divina revelatione provenit, sit diversa a cognitione, quæ oritur a philosophia; nihilominus inter se nullo modo opponuntur. Quoniam, cum ambæ unam eandemque, æternam ac divinam veritatem, tanquam principium et fundamentum suum habeant, ambæ proinde sunt necessario veræ; verum autem vero non opponitur. Ergo cognitio, quæ est a divina revelatione, et quæ a philosophia, inter se non opponuntur.

Ultimo notandum est, per divinam revelationem non solum proponi veritates, quæ captum rationis prorsus excedunt; verum etiam veritates, quæ ab humana ratione naturaliter demonstrari possunt; puta, circa existentiam Dei, creationem, spiritualitatem et immortalitatem animorum, eorumque ultimam destinationem, circa Dei providentiam atque gubernationem, etc. Ex his autem sequitur, philosophiam et divinam revelationem posse inter se uniri. Verum, estne necessarium humanæ rationi, quod a divina revelatione adjuvetur? Et vicissim, estne necessarium divinæ revelationi, quod humana ratio ipsi famuletur?

II. *Pro cognoscendis veritatibus naturalibus modo perfecto, philosophia indiget divina revelatione.*

His prænotatis, statuitur prima conclusio : *Philosophia pro cognoscendis veritatibus naturalibus modo perfecto, indiget præsidio divinæ revelationis.* Philosophia enim, cum sit manifestatio humanæ rationis, quæ circa verum non satis est firma; quæ instabiles, incertas ac erroneas cogitationes habet; quæ sibi relicta, nonnisi post longum tempus, et cum admixtione multorum errorum pervenire potest ad cognitionem earum veritatum, quæ sunt homini necessariæ : divina autem revelatio cum sit superior atque supernaturalis, firma et inconcussa manifestatio divinæ rationis; cum ab ipsa non solum divina mysteria, verum etiam veritates per rationes cognoscibiles proponantur, sequitur, philosophiam pro cognoscendis veritatibus naturalibus *modo perfecto*, indigere

præsidio divinæ revelationis. Etenim per præsidium divinæ revelationis, philosophia brevi tempore ad cognitionem veritatis pertingit, ab erroribus prorsus liberatur atque protegitur, superiori quadam illustratione perfunditur, eaque certior ac firmior efficitur in assensionibus suis. Experientia enim docet, parvulos esse philosophos, si divina revelatione destituantur, nulla virilitate præditos, fluctuantes, omni vento doctrinæ circumlatos.

Hinc non sine divinæ providentiæ consilio factum est, *Philosophiæ tanquam auxiliatricem semper affuisse divinam revelationem.* Hoc probatur, non solum, quia veteres philosophi simul cum loquela, aliquam philosophandi inchoationem reipsa, ut patet, a societate acceperunt, quæ societas in sua origine a Deo primo formata fuerat; verum etiam quia certum est, quod philosophi agnoverint existentiam doctrinæ antiquitus traditæ (1); quod eam in magna reverentia uti divinam et sacram habuerint (2); et quod ab ipsa principaliora

(1) Hoc patet ex Platone in Timæo (edit. Didot, v. II, pag. 200), ubi refertur, Solonem audivisse in Ægypto sacerdotem quemdam *admodum ætate provectum*, redarguentem Græcos, quod animi essent juvenes omnes, sine traditione. « O Solon, Solon, Græci semper pueri estis, neque quisquam Græcorum senex est... nullam enim, ajebat sacerdos ille, repositam in eis habetis ex antiqua auditione *vetustam opinionem* neque *canam tempore notitiam.* » Ex Aristotele quoque (in libro duodecimo Metaph. cap. VIII, n. 13, edit. Didot, v. II, pag. 608) : « Tradita autem sunt quædam, ait ipse, a majoribus nostris et admodum antiquis, ac in fabulae figura posterioribus relicta. »

(2) Plato in Philebo : « *Prisci, nobis præstantiores, diisque propinquiores,* hæc ut *oracula* tradiderunt (edit. Didot, vol. I, n. VI, pag. 402). » In eadem sententia loquitur Tullius : « Mihi, inquit, unum satis erat, ita nobis majores nostros tradidisse (De nat. Deor. lib. III, c. 4). » Ac omnes veteres sane unanimi sententia docent, auream olim fuisse ætatem, quæ quo vicinior erat primæ humani generis origini, eo melius, quæ erant vera, cernebat (Cfr. Platonem De Legibus, lib. III, edit. Didot, v. II, pag. 300. — Dicæarch. apud Porphyr. De usu animal.

philosophiæ dogmata desumpserint (1). Atqui hæc traditio, tametsi decursu temporis multis fabulis fuerit conspersa atque corrupta, a divina revelatione tamen primam sumebat originem. Nam Pythagoras, qui tum in Italia tum in Græcia

lib. IV. — ac Tullium qq. Tuscul. lib. I, c. XII). Hinc penes sapientes usu venit, ut vox *antiquum*, idem significaret quod *sacrum*, *præstans*, *omni fide dignum*. Cujus rei exemplum legitur in Tullio (lib. 1, de officiis cap. XLIII). « Quibus rebus intelligitur, ait Cicero, studiis officiisque scientiæ præponenda esse officia justitiæ, quæ pertinent ad hominum utilitatem; qua nihil homini esse debet *antiquius* (hoc est, *sacrius*, *præstantius*, *divinius*). »

(1) Plato plura esse asserit, quorum cognitionem Græci a traditione acceperunt, inter quæ, 1o Doctrinam de multis nominibus, « Reor equidem multa nomina Græcos a barbaris, eos præsertim, qui sub barbaris sunt accepisse. (Cratylus. edit. Didot, vol. I, pag. 302). » Cum nominibus autem doctrinam quoque in ipsis significatam receperunt.

2o Doctrinam de *divina gubernatione*, qua omnia reguntur (*Philebus* edit. Didot, vol. I, n. 16. pag. 411).

3o Doctrinam de animorum immortalitate, eosque judices habere — « Credendum autem, ait, revera semper est antiquis et sacris vocibus, quæ nos docent animum immortalem esse et judices habere, et maximas relicto corpore pœnas pendere (Epist. VII, edit. Didot. v. II, p, 535). »

Aristoteles quoque ex antiqua traditione repetit cognitionem divinæ causalitatis et efficientiæ, ejusque immensitatis : « Vetus igitur sermo est, ait, a majoribusque proditur inter omnes homines, universa tum ex Deo, tum per Deum nobis constituta fuisse, nullamque naturam per se sibi sufficere, salute destitutam a Deo petenda : quocirca veterum nonnulli eousque provecti sunt, ut hæc omnia dictarent deorum esse plena (*De mundo*, cap. VI, edit. Didot. vol. III, pag. 636). »

Tullius demum, ad ostendendam animi immortalitatem, pro argumento utitur « omni antiquitate, quæ quo propius aberat ab ortu et divina progenie, hoc melius ea fortasse, quæ erant vera, cernebat (qq. Tuscul. lib. I, cap. XII). »

primus philosophiæ orientalis fontem aperuit (1), Plato (2), Aristoteles, aliique Græcæ philosophiæ principes, Chaldæorum, Persarum, Ægyptiorum spoliis ditati sunt, qui et ipsi a Judæis sumpserunt (3) : Judæi vero divinorum sermonum erant legitimi depositarii. Ergo philosophiæ semper tanquam auxiliatrix affuit divina revelatio.

Ratio igitur, attente considerans quod debilis sit; quod circa cognitionem veritatis tuto, utiliter ac bene sub adjumento divinæ revelationis semper se exercuerit; quod econtra, divina revelatione destituta, in plures ac varios errores semper fuerit lapsa, facile colligere potest, philosophiam ab illo divino adjumento non esse separandam. Nimis laboriosa, nimis manca est opera agnoscendæ veritatis, si ratio sibi ipsi sola relinquatur : vires deficiunt pro tam longo itinere; innumeris obstaculis detinetur, trepidat, tenebratur tandem igniculus animæ nostræ.

Contra, si lumini rationis lumen divinæ revelationis admoveatur, ac ab ipso regatur et adjuvetur, tunc a pluribus, breviori tempore veritas cognoscetur, certius, plenius ac sine

(1) Cfr. Plin. lib. 36, c. 9. — Diog. Laert. et Jamblic. in vita Pythagoræ. Hermippus, prout refert Flavius Joseph. lib. cont. Appion. de Pythagora ait : « Ille vir multas Judæorum leges in suam transtulit philosophiam. »

(2) Cfr. Clement. Alex. lib. 5 et 6 Strom. — Euseb. Præp. Evan. lib. 10, 11, 12, 13.—Clemens Alex. (lib. 1, Pædag. c. ult.) refert illud Numenii Pythagoræi : *Quid est Plato, nisi Moses attice loquens?* Item Flavius Joseph (lib. 2. c. Appion.) : *Plato*, inquit, *nostrum maxime legislatorem est sequutus.*

(3) « Scire vos velim, ait Theodoretus (serm. 1o in lib. de curandis Græc. affect.), Phœnices proximos Hebræis, atque conterminos, si quid veritatis didicerunt, ab Hebræis præceptoribus didicisse. Ipsi quoque Ægypti uberrimos fructus ex Hebræorum consuetudine perceperunt; diutissime enim Hebræi homines in Ægypto versati sunt. Quin et ipsi Chaldæi magnum sibi commodum ab eisdem sumpserunt. Hebræos enim Chaldæi Reges in Babyloniam captivos duxerunt. »

errore quisque philosophabitur : non quidem quoad omnia, plura enim disputationi mortalium sunt relicta ; verum in iis, quorum cognitio necessario est conjuncta cum vera felicitate hominis.

III. *Divina revelatio indiget præsidio philosophiæ.*

Altera conclusio hæc est : *Divina revelatio, qualis debet esse in doctore Fidei, indiget præsidio philosophiæ.* Est enim necessaria philosophia, 1° ut quædam præparatio ad divinam revelationem suscipiendam : quoniam quæ vulgo *præambula Fidei* dicuntur, ut sunt existentia Dei, creatio, immortalitas animæ humanæ ejusque libertas, a divina revelatione, ut veritates per rationem cognitæ, præsupponi debent. Præterea, proprium est philosophiæ expendere et subministrare motiva, ex quibus mysteria Fidei esse credibilia perspiciuntur. 2° Est necessaria philosophia propter scientificam evolutionem divinæ revelationis; siquidem a Philosophia accipit Doctor Fidei, definiendi, dividendi, ratiocinandi modum ac viam; ab ipsa quoque accipit similitudines ac analogias ad declaranda et suadendenda mysteria cœlestia. 3° Per philosophiam demum, si vera sit, impiorum hominum artes atque fallaciæ deteguntur, et contra callidas ac insidiosas incredulorum præstigias resistitur.

Igitur, si philosophia divina revelatione indigeat, et divina revelatio philosophia, *opemque sibi mutuam ferant*, ut loquitur Vaticana Synodus (1), sequitur, quod, etsi philosophia et divina revelatio distinguantur inter se, non sunt tamen separandæ, sed amico fœdere conjungendæ; non quidem sicut *duæ sorores*, quemadmodum falso quidam dixerunt (2), verum ut domina et ancilla : divina revelatio ut dirigat atque gubernet, philosophia vero ut famuletur. Dignum enim et

(1) Cap. IV.

(2) Cousin. Introd. à l'hist. de la Philos. première leçon circa finem.

justum est, ut philosophia, quæ ex lumine inferiori oritur, subjiciatur divinæ revelationi, quæ a lumine superiori promanat.

IV. *Solvuntur objectiones.*

Objic. I. Philosophia habet proprium objectum, habet propria principia. Ergo non indiget præsidio alterius cognitionis, maxime vero fidei, quæ est cognitio rationis prorsus diversæ.

Respondeo : *Conc. Antec. Dist. consequens : Absolute* considerata, *conc.*; prout est fœtus humanæ rationis, *nego.*

Revera philosophia habet proprium objectum, habet propria principia : quocirca *absolute* considerata, non indiget præsidio alterius cognitionis, ac ipsa a cognitione fidei est omnino diversa. Quia tamen, quatenus fœtus humanæ rationis, est infirma atque deficiens, idcirco, ut ab errore liberetur, ut certior ac firmior evadat in conclusionibus suis, fidei adjumento indiget.

Objic. II. Id quod eminet absolute supra omnes alias cognitiones, non debet nec potest subjici alteri cognitioni. Atqui philosophia absolute eminet supra omnes alias cognitiones, etiam supra fidem : philosophia enim est *lumen omnium luminum, auctoritas omnium auctoritatum*. Ergo philosophia non debet nec potest subjici ulli cognitioni, vel ipsi fidei.

Respondeo : *Conc. Major. Nego Minor.* si sermo fiat de fide. Quod vero adducitur pro probatione minoris, quia scilicet philosophia est lumen etc. duplicem sensum potest habere. Primus sensus est : Id tantum ratio admittere debet, de quo potest sibi formare claram ideam, illudque intelligere ut verum in se (1). Juxta hunc sensum propositio illa est

(1) Hæc est doctrina eorum, qui nihil philosopho esse admittendum arbitrantur, nisi id quod ipse conspicit per ideam claram et evidentem : quique proinde rationem faciunt liberam et a se, sine ulla dependentia a fide, eamque proclamant *principem normam omnis veritatis cognos-*

omnino rejicienda; etenim si vera esset, omnis moralis certitudo tolleretur, et omnis disciplina, quæ, ut recte docet Augustinus, ab auctoritate incipere debet (1), nec amplius fides supernaturalis, quæ tota divinæ auctoritati innititur, stare posset.

Alius sensus dictæ propositionis est iste : Ratio etiam in iis, quæ propter auctoritatem admittit, videt ea esse hoc modo admittenda, et videndo, vi naturali mota, assentit. Qui sensus est utique verus, si sermo fiat de fide humana; nam quando quis utitur lumine alterius in cognoscendo, ab ipsa ratione movetur, ut tali lumine utatur. Falsus est autem sensus ille, si sermo fiat de fide divina; Christianus enim assentit rebus fidei, non quidem ad credendum motus per vim luminis naturalis, sed propter supernaturalem inclinationem divinitus datam, qua ipse primæ veritati revelanti adhæret.

Objic. III. At dices : Quando Christianus credit, nonne ratione utitur, tanquam mensura, regula, auctoritate ultima, atque suprema (2). Siquidem Christianus credit mysteria fidei,

cendæ. «La Philosophie, ait Cousin (Intr. à l'hist. l. l.), est la lumière de toutes les lumières, l'autorité des autorités.» Profecto in hac sententia jacet totum virus recentioris philosophiæ. Etenim parum prodest philosophia, si principium auctoritatis tollatur, ut jam probavimus. Hoc salutari adjumento sublato, experientia quotidiana docet, in errore, in dubietate, in infantia, in jugi varietate, sine ullo exitu philosophiam manere, veritatem nunquam stabilem et tranquillam lucere, omnem intellectualem disciplinam pessumdari, omnem discendi progressionem adimi. «Quoniam, ut recte observat Diodorus Siculus (lib. C), parentibus utuntur magistris (Chaldæi), *plenius omnia discunt, et iis quæ docentur majorem fidem habent...* (Græci vero) qui non parentum doctrinam imitantur, sed *ipsi sua sponte in disciplinarum studio pro libitu incumbunt*, et de maximis scientiis inter se altercantes, dum novis semper opinionibus student, *incertos discipulos reddunt, animumque eorum per omnem vitam dubium, nulla certa sententia, errare compellunt.*»

(1) Lib. II, de Ordine c. IX, n. 26.

(2) « La philosophie, ait Cousin, est la lumière de toutes les lumières, l'autorité des autorités. Ceux qui veulent imposer à la philosophie et à

quia Deus revelavit; credit Deum revelasse illa mysteria, propter motiva credibilitatis. Quocirca primum motivum fidei sunt ipsa motiva credibilitatis. Est autem proprium virtutis naturalis rationis cognoscere et expendere illa motiva, ac ipsa est quæ movet, ut assentiatur ipsis. Ergo est proprium virtutis naturalis rationis imperare actum fidei. Ergo vere ratio et proinde philosophia est mensura, regula, auctoritas ultima, atque suprema omnium cognoscendorum, etiam quando Christianus credit.

Respondeo : Christianus utitur ratione tanquam mensura, regula, auctoritate ultima et suprema quando credit : *Dist.* Quando credit modo omnino naturali, secundum aliquam opinionem mere humanam, *conc.*; quando credit, *sicut oportet*, modo omnino supernaturali, *nego*.

Potest aliquis adhærere rebus fidei bifariam : vel naturaliter ex propria virtute, ex quibusdam motivis, quibus veritas fidei nostræ aliquo modo manifestatur, vel ex virtute supernaturali Dei, qui mentem movet, ut mens primæ veritati revelanti adhæreat. Si de priori adhæsione in argumento dicatur, tunc verum est quod in argumento infertur, nimirum proprium virtutis naturalis rationis esse, imperare actum fidei, actum fidei inquam, qui totus est naturalis, quique vim humanæ opinionis non excedit.

Verum si de posteriori adhæsione loquatur, tunc neque mens adhæret Deo revelanti propter motiva credibilitatis, neque proprium est rationis, imperare actum fidei. Etsi enim motiva credibilitatis aliquo modo præparent mentem ad susceptionem fidei; tamen Christianus, ut jam dictum est,

la pensée une autorité étrangère, ne songent pas que de deux choses l'une : ou la pensée ne comprend pas cette autorité, et alors cette autorité est pour elle comme si elle n'était pas ; ou elle la comprend, elle s'en fait une idée, l'accepte à ce titre, et alors c'est elle même qu'elle prend pour mesure, pour règle, pour autorité dernière (Intr. à l'histoire de la philos. première leçon). »

si credat *ut oportet*, nempe sub motione supernaturali Dei, tunc oblitus sui, supra se constitutus et sublimatus, ita adhæret Deo veritatem revelanti, ut primum, ultimum, proximum et unicum principium in quod resolvitur fides ex parte *objecti*, sit *veritas prima, ut revelans;* ex parte *subjecti* autem, motio Spiritus Sancti. Verum hæc ad theologiam pertinent.

Objic. IV. Fides minuit studium inquirendæ veritatis, quia veritatem ut certam proponit cum obligatione illam suscipiendi ; affert proinde ipsa præjudicium ac præoccupationem quandam, quæ impedit liberum examen, proprium humanæ rationis. Ergo philosophia non est jungenda cum fide.

Respondeo : Nego fidem minuere studium inquirendæ veritatis. Etenim quæ per fidem cognoscuntur, propter divinam auctoritatem Dei revelantis *obscure* cognoscuntur : quæ vero secundum scientiam naturalem cognoscuntur, clare et evidenter. Naturali autem desiderio sciendi hominis non sufficit rem cognoscere per auctoritatem, naturaliter enim appetit ipsam evidentiam rei. Quapropter, cum fides non tribuat objectis suis evidentem manifestationem rei, manet proinde in homine simul cum fide, naturalis stimulus ac incitamentum ad evidentiam illam quærendam, quæ est bonum et naturalis perfectio nostri intellectus.

Item, *nego* fidem esse præjudicium et præoccupationem impedientem rectum examen rei. Nam, cum a fide nonnisi verum proponatur, et cum cognitio veri nequeat esse præjudicium et præoccupatio ulterioris cognitionis ejusdem veri, sequitur, cognitionem veritatis quæ ex fide est, non impedire inquisitionem rationalem ejusdem veritatis ; sed econtra mentem adjuvare. Siquidem fides proponendo verum, determinat aspectum mentis circa objectum philosophice inquirendum, eumque dirigit, ne decipiatur.

Objic. V. Contra aliam conclusionem : Fides est quædam divina ac suprema sapientia nullius indiga. Ergo fides philosophiæ præsidio non eget.

Respondeo : *Dist. Antec.* quantum est ex se, h. e. in abstracto considerata, *conc.*; prout debet esse in Theologo, *nego.*

Fides, quantum est *ex se*, habet proprium objectum, habet proprium lumen, independens a lumine philosophiæ; et sic est quædam divina ac suprema sapientia nullius indiga : sed Theologus, ut sciat reddere rationem de fide accepta, eamque scientifice evolvere, et ab incredulorum fallaciis defendere, indiget philosophia.

NOVITIATE LIBRARY

CAPUT VIII.

DE QUATUOR CHARACTERIBUS CHRISTIANÆ PHILOSOPHIÆ.

Christiana philosophia ea hic nuncupatur, *quæ a fide dirigitur eique inservit.* Characteres autem hujus philosophiæ, prout ex sanctis Patribus colligitur, ad quatuor possunt revocari.

Primus est, ut *Philosophia ope et adjumento fidei utatur*, ita nempe, quod nihil ipsa doceat directe vel indirecte, mediate vel immediate doctrinæ fidei repugnans. Damnanda est proinde ea recentior philosophia, quæ in inquisitione veri, lumini rationis exclusive, sine ullo respectu ad fidem, se committit.

Alius character est, ut philosophia christiana non sit *litigiosa, non importune arguta, non nimis curiosa, non garrula, non ventosa*; *sed vera, solida, sana, quæ potissime circa cognitionem hominis et Dei versetur.* Etenim cognitio Dei et hominis sunt duo termini, sunt duo extrema, sunt duo summa capita totius philosophiæ, quorum cognitio ineffabili lumine animum implet, ac supernaturali Theologiæ plurimum confert.

Tertius character est, ut philosophia *tanquam ancilla*,

quodam famulatus obsequio fidei inserviat; quia, ut in præcedenti capite dictum est, fides est omnium humanarum cognitionum domina, eas vocans tamquam ancillas suas ad arcem, ad sui scilicet defensionem.

Quartus character est, ut, quamvis primario contemplandi gratia, philosophia fuerit inventa, tamen *ipsa actionem quoque respicere debeat*. Etenim contemplatio creaturarum ad contemplationem Dei ducit; contemplatio Dei ad amorem Dei; amor autem Dei ad studium conformitatis cum ipso. Philosophia igitur contemplationem et actionem simul respicere debet. «Cognitio contemplatioque naturæ, ait Tullius, manca quodammodo atque inchoata sit, si nulla actio rerum consequatur (1)» ; ac Sanctus Paulus damnat eos « qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt (2).» « Verus philosophus, ut Augustini verbis utar, est amator Dei (3).»

Non est ergo christiana philosophia quædam vana sciendi curiositas; sed ipsa, dum animum ab errore, ab inanibus sollicitudinibus, a cupiditatibus liberat, dum firmitatem, mentisque puritatem, ac sinceram ad bonum propensionem ei tribuit, est vera animi disciplina et institutio vitæ. Talem decet esse christianam philosophiam, cujus studium, si verum sit atque sincerum, *deificationem quandam conciliat* (4).

CONCLUSIO.

Hactenus de introductione ad philosophiam; in ipsa de natura philosophiæ, de definitione, existentia, partitione, de necessitate, præstantia, origine, unione ejus cum fide, de quibusdam characteribus demum, qui philosophiæ christianæ sunt proprii, ut supra proposuimus, dictum est. Lectorem benevolum precor, ut non perfunctorie, sed sedulo diligenterque hæc omnia consideret.

(1) Lib. I, de Offic. cap. 43. — (2) Ad Rom. cap. 1, v. 21. — (3) De civ. Dei lib. VIII, c. 1. — (4) Greg. Nazian. orat. XXIa, § 2.

LOGICA,

SEU DE MODO BENE COGITANDI.

LOGICÆ

PROLEGOMENA.

Ad logicam, quæ est prima pars philosophiæ, modo accedentes, aliqua præmittamus oportet circa scopum ejus, circa objectum, naturam, definitionem, divisionem, necessitatem ac dignitatem, circa fontes et originem ejus, nec non circa perfectionem, quam ipsa confert intellectui.

CAPUT I.

DE SCOPO LOGICÆ.

I. *Logica alia est naturalis, et alia artificialis.*

Quemadmodum bonum visus est videre pulchros colores, et bonum auditus audire pulchros sonus, ita et cognoscere veritatem, sine cujus cognitione vita intellectualis esse nequit, est bonum mentis.

Sed homo in cognitionem veri pertingere nequit, nisi quasdam regulas pro vero investigando diligenter observet. Hæ regulæ haudquaquam institutæ sunt a libero hominis arbitrio, sed ex ipsa natura : Deus ipse facultati intellectivæ eas immutabiliter inseruit. Complexus harum legum, secundum quas extat in nobis habitudo quædam naturalis recte cogitandi, *Logica naturalis* nuncupatur.

Verum hæ regulæ, etsi menti humanæ naturaliter sint insitæ, jacent tamen ipsæ crassis tenebris occultatæ et circumfusæ. Quapropter qui pro vero assequendo ipsis expedite uti velit, conari debet quod, evolutionem et exercitium operationum intellectualium accurate considerando, eas leges carpat, in lucem eruat, et ordinate proponat. Complexus harum legum, sic humana ope adinventarum, secundum quas homo scientiam, habitudinem, et facilitatem quamdam recte cogitandi acquirit, *Logica artificialis* nominatur.

II. *Dirigere mentem in verum est scopus logicæ tum naturalis, tum artificialis.*

Ex his autem intelligi potest scopus logicæ (1) tum naturalis tum artificialis. Nam, cum per hoc nomen *Logica* intelligatur complexus legum, quæ ordinantur ad directionem mentis, ut mens veritatem manifestare possit, sequitur, logicam tanquam scopum suum, non aliud quicquam intendere, quam *directionem mentis in cognitionem veri.*

(1) Logica a λόγος nominatur, latine, *sermo, verbum, ratio* : Λογική autem dicitur ea pars philosophiæ, *quæ est quærendi ac disserendi*, ut loquitur Tullius (De Finib. lib. I, c. 8). Hoc nomen *Logica*, ad universam artem rite cogitandi significandam, ab stoicis primo usurpatum fuisse videtur.

Prima origo logicæ fuit ab Italia, a Zenone nempe Eleatico; eam postea, præsertim quoad partem litigiosam, Megarici excoluerunt : Plato quoque passim in disputando, plura sub nomine *Dialectica* (est ars disserendi de re, ex iis quæ sunt quam maxime probabilia, ut docet Arist. de soph. elench. c. 34; vel ut placet Platoni, ars interrogandi et respondendi. Cratylus, v. I, p. 288), habet de logica, hac illac in suis dialogis dispersa.

Sed qui logicam primo plene tradidit, Aristoteles fuit. Eam quinque scriptis complexus est : *De Prædicamentis, de Interpretatione, de Analyticis, de Topicis, de Sophisticis elenchis.* In priori scripto loquitur de iis, quæ ad simplicem perceptionem pertinent; in secundo de iis, quæ ad judicium; in tribus aliis de forma syllogismi tractat et ejus materia.

CAPUT II.

DE OBJECTO LOGICÆ.

I. *De tribus operationibus mentis, quas logica dirigere debet.*

Cognito scopo quem logica intendit, modo de ejus objecto dicendum est, si prius tamen quædam annotentur.

Juxta hanc materiam Aristoteles syllogismum dividit in apodicticum seu demonstrativum, in dialecticum seu probabilem, in sophisticum demum, ad fallacias vitandas.

Quæ in his libris ab Aristotele traduntur, vera sunt, profunda, subtilia, præcisa; nihil a conspectu hujus valentis ingenii, de iis quæ ad evolutionem humanæ mentis spectant, aufugisse videtur; de natura propositionis et syllogismi tam exacte, tam plene loquutus est, ut non sit amplius quod desideretur. Verum tamen de absolvenda materia forte plus æquo sollicitus, nimis minutus, nimis sectus, nimis spinosus evadit; quandoque obscurus, etiam parum ordinatus, vocibus forte nimis implexus.

Docentis logicam ea esse debet diligentia, quod animi solidis ac necessariis bene cogitandi præceptis imbuantur; ab illis autem dialecticæ gyris atque mæandris abstinere debet, non enim prosunt. « Tanquam si quispiam, ait Augustinus, dare volens præcepta ambulandi, moneat non esse levandum pedem posteriorem, nisi cum posuerit priorem, deinde minutatim quemadmodum articulorum et poplitum cardines oporteat movere describat. Vera enim dicit, nec aliter ambulari potest : sed facilius homines hoc faciendo ambulant, quam animadvertunt cum faciunt, aut intelligunt cum audiunt. Qui autem ambulare non possunt, multo minus ea curant, quæ nec experiendo possunt attendere. Ita plerumque citius ingeniosus videt non esse ratam conclusionem, quam præcepta ejus capit : tardus autem non eam videt, sed multo minus quod de illa præcipitur. Magisque in his omnibus ipsa spectacula veritatis sæpe delectant, quam ex eis in disputando aut judicando adjuvamur, nisi forte quod exercitatiora reddunt ingenia, si etiam malitiora aut inflatiora non reddant (De doct. chr. lib. II, c. XXXVII). »

Primo igitur notandum est, tres esse operationes mentis : *Simplicem apprehensionem, Judicium, et Discursum.* Mens enim cum aliquid cognoscit, vel unum quid intelligit una voce expressum, simplici intellectione repræsentatum, et tunc per *simplicem apprehensionem* percipit; vel comparatione instituta duorum conceptuum inter se, habitudinem eorum intelligit, ex. c. homo est albus, et tunc *judicat*; vel demum infert habitudinem duorum conceptuum inter se ex habitudine præintellecta, quam ipsi habent cum uno tertio conceptu; ex. c. infero Petrum esse animal rationale ex habitudine præintellecta, quam tum Petrus, tum animal rationale habent cum homine, et tunc mens *discurrit.*

Deinde recolendum est proprium logicæ esse, respicere et dirigere in cognitionem veritatis intellectum hominis. Ergo et operationes ejus

Verum hujusmodi tres operationes mentis spectari possunt duobus modis : 1° Ut sunt quædam res, seu quædam animæ vires; 2° ut sunt intellectiones, seu conceptiones manifestativæ rerum. Nam cum anima aliquid intelligit, per vim aliquam ipsi propriam intelligit; dum autem intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, format conceptus, qui sunt rerum intellectarum manifestativi.

II. *De objecto logicæ tum materiali, tum formali.*

His intellectis, asseritur : *Objectum materiale logicæ sunt tres operationes mentis, non tamen prout sunt quædam res, sed prout sunt conceptus manifestativi rerum*; *objectum autem formale ipsius est modus bene utendi ratione.*

Probatur : Res circa quam proxime et immediate versatur aliqua facultas, dicitur objectum materiale ejus : ratio autem quam facultas attingit in ipsa, dicitur objectum formale; ex. c. malum punicum est objectum materiale visus, color autem, quem visus in ipso videt, est objectum formale. Atqui logica proxime et immediate versatur circa conceptus mentis, ac in

ipsis modum bene utendi ratione considerat : quomodo nempe idea si sit obscura, debeat fieri clara ; si confusa, distincta ; si incompleta, completa ; quomodo disponendi sint conceptus inter se, ut vera judicia proferantur, vel ut ex ipsis legitima illatione nova cognitio inferatur ; quænam via, et quinam modus servandus sit inter varias ac diversas cognitiones et argumenta, pro invenienda vel pro docenda, vel etiam pro propugnanda aliqua veritate ; quomodo mens scire possit se scire veritatem, vel ab inquisitione veritatis esse ei desistendum, in propria connaturali ignorantia quiescendo. Hæc omnia, ut patet, ad modum bene utendi ratione pertinent. Manifestum est igitur, conceptus mentis esse objectum materiale, seu materiam, circa quam versatur logica (1) ; modum autem bene utendi ratione, quem mens in ipsis conceptibus contemplatur, esse objectum formale.

III. *Objectum principale logicæ est discursus.*

Si modo quæratur : Cum modus ille ordinatus bene cogitandi, se teneat tum ex parte simplicis apprehensionis, tum ex parte judicii et discursus, modus ille estne potissime in discursu considerandus ? Affirmative : quia simplex apprehensio et judicium ordinantur ad discursum, tanquam ad principalem operationem. Intendimus enim bene apprehendere, quia intendimus bene judicare ; intendimus autem bene judicare, quia intendimus bene ratiocinari. Objectum igitur principale logicæ est discursus ; apprehensio autem et judicium sunt objectum secundarium ; siquidem a logica considerantur secundum ordinem ad discursum.

(1) Tractatio de conceptibus mentis in logica, ea ratione circumscribenda est, *ut tantum de ipsis dicatur, quantum necessarium est ad colligendas regulas, quibus ratio in inquisitione veritatis dirigi debet.* Sine ordine proinde nonulli in logica *ex proposito* tractant de natura nostrarum idearum, de origine ipsarum earumque efficacia, vel etiam de natura operationum mentis, quatenus sunt res quædam ; horum enim omnium tractatio ad psychologiam et ideologiam pertinet.

IV. *Solvuntur difficultates.*

Objic. I. Nequit intellectus observare in conceptibus modum bene utendi ratione, nisi dicatur conceptus habere ordinem inter se. Atqui nequit dici conceptus humanæ mentis habere ordinem inter se, alioquin directione logicæ non indigerent. Ergo nequit intellectus observare in conceptibus modum bene utendi ratione. Materia proinde, in qua logica suum formale objectum contemplatur, non sunt conceptus mentis.

Respondeo : *Dist. Major.* Si non habent ordinem neque actualem, neque virtualem *conc.*; si non habent ordinem actualem, bene tamen virtualem, *nego.* Item, *dist. Minor.* non habent ordinem actualem perfectum, *conc.*; ordinem virtualem, *nego.*

Etsi conceptus mentis, antequam per studium et applicationem rite disponantur inter se, reipsa non habent inter se ordinem actualem perfectum, uti ipso experimento comperitur; potest tamen mens considerare in ipsis ordinem, quem debent habere. Talis enim est eorum natura, ut quamvis rite inter se non sint dispositi, postulent tamen rite inter se ordinari. Ipsa obscura, confusa et diminuta perceptio angit intellectum eumque pulsat, ut in claram, distinctam, et completam perceptionem conetur : *habet namque natura intellectualis sensum, latentem quidem, sed vivum, de iis quæ debentur ei.*

Objic. II. Sed si logica conceptus tantum respiceret; hinc ipsa nonnisi telas araneas texeret. Hoc autem dici non potest, quia ipsa est scientia realis. Ergo etc.

Respondeo : *Dist. Major.* Si logica respiceret conceptus, quorum vis tota subjectiva esset, sine ullo ordine ad realitatem, *conc.*; secus, *nego.*

Respicit logica conceptus, non tanquam formas mere subjectivas, sed secundum quod ipsi ordinari debent inter se, ut possint veritatem manifestare. Ordinatio autem horum conceptuum in ipsa realitate fundatur; nam principia quibus

veritas propositionum, et bonitas illationum probatur, sunt principia realia.

Objic. III. In logica præter conceptus, etiam res significatæ per conceptus, insuper et ipsa signa conceptuum considerantur. Ergo materia logicæ, quæ in conclusione assignatur, non est sufficiens.

Respondeo : *Dist. Antec.* Directe et ex instituto, *nego*; ex consequenti et per modum cujusdam concomitantiæ, *conc.*

Revera, in logica non solum conceptus considerantur, verum etiam aliquo modo res significatæ per conceptus, et ipsa signa conceptuum. Et hoc quidem non ea ratione, quasi ad logicam per se ac directe spectaret naturam rerum, vel voces, quibus significantur conceptus, considerare : primum enim ad metaphysicam, alterum ad grammaticam pertinet; sed idcirco de naturis rerum agit logica, quia earum quidditas est objectum, quod in mente manifestatur per conceptus. Nequit ergo fieri sermo de conceptibus, quin aliquo modo res ipsæ per conceptus manifestatæ attingantur. Item, de vocibus agit logica, quia cum voces sint expressiones sensibiles conceptuum, in vocibus proinde faciliori quadam ratione conceptus in ipsis expressos, mens contemplatur (1). Quapropter logica modum bene utendi ratione, *proprie et formaliter* in ipsis conceptibus observat et contemplatur; in rebus autem et in vocibus ex consequenti, per modum cujusdam concomitantiæ.

(1) Grammaticus et Logicus de vocibus tractant, sed diversa ratione : « Grammaticus, ait Zabarella (De natura logicæ, c. X.), partes orationis tractat, ut partes locutionis, conceptum autem significatum non considerat, nisi propter vocem significantem ; logicus vero conceptus ab eis significatos contemplatur, ipsas autem voces significantes non considerat, nisi propter conceptus significatos... Logicus enim primario conceptus respicit, secundario voces : contra, Grammaticus primario voces, conceptus secundario. »

CAPUT III.

DE NATURA LOGICÆ EJUSQUE DEFINITIONE

I. *Logica prout considerat in operationibus mentis modum bene cogitandi, est speculativa.*

Logica considerari potest sub duplici facie. Ipsa enim respicit conceptus mentis, vel ut speculetur in ipsis qualis sit modus ordinate procedendi in inquisitione veri, ut inde regulas bene ratiocinandi colligat; vel ut ipsos dirigat, quatenus compertas regulas ad intellectuales operationes applicat.

Secundum primam faciem logica, 1° est speculatio quædam, quam ratio de seipsa instituit. Hujus speculationis effectus *est manifestatio, qua mens humana ipsa se sibi manifestat, juxta proprias formales conditiones, secundum quas evolvi debet ad cognoscendum verum* (1).

(1) Ut liquido appareat, quænam sint istæ formales conditiones, secundum quas mens evolvi debet, ut verum cognoscat, quarum manifestatio a logica speculatione efficitur, notandum est, in cognitione reperiri duplex elementum, elementum scilicet *objectivum*, et elementum *subjectivum*. Elementum subjectivum est ipsa manifestatio rei in mente existens, elementum autem objectivum est idipsum, quod per cognitionem manifestatur. Ex. c. in hoc argumento : Nemo beatus nisi virtuosus. Petrus est beatus. Ergo virtuosus. — Quid sit esse beatum, quid virtuosum, quid Petrus, nexus ille esse virtuosi et beati, Petri et esse beati, hæc omnia sunt aliquid objectivum, quæ a consideratione intellectus non pendent : sed quod esse virtuosum, esse beatum et esse Petri, et quod connexio unius cum alio *manifestetur* in mente, hoc ab ipsis conceptibus mentis eorumque debita connexione pendet. Hujusmodi igitur formales conditiones, secundum quas mens evolvi debet, ut verum cognoscat, non se tenent ex parte objecti, sed ex parte mentis manifestantis objectum ; unde et *formales* dicuntur, mentem enim informant. Hæ conditiones autem leges naturales intellectus dicuntur, quia secundum ipsas ordinari debent conceptus, ut possint manifestare verum.

NOVITIATE LIBRARY

2° Est speculatio quædam, quæ habet rationem scientiæ : Logica enim argumentis demonstrativis probat veras esse leges definiendi, dividendi, argumentandi, quas ipsa speculatur. Ergo logica est scientia; nam scientia nihil est aliud, quam cognitio certa et evidens per demonstrationem.

3° Est speculatio quædam, quæ vere ab ideologica speculatione non differt, nisi quod ideologia sit plenior consideratio idearum, non solum quoad conditiones formales, secundum quas ideæ debent ordinari; verum etiam quoad naturam, quoad existentiam, quoad originem, quoad efficaciam ipsarum : logica vero est quædam circumscripta consideratio conditionum formalium, secundum quas ad rite intelligendum, ideæ debent ordinari. Est igitur logica *ideologia quædam decurtata*.

II. *Logica secundum quod applicat regulas ad bene cogitandum, est potius ars, quam scientia.*

Secundum aliam faciem autem, logica est potius *ars*, quam *scientia* : Logica enim hoc modo sumpta, tota consistit in applicatione regularum, per quas «homo in ipso actu rationis ordinate, et faciliter, et sine errore procedit (1); » et proinde

(1) Præstat de hac re paulo latius beatum Thomam audire : «Sicut dicit Philosophus in primo Metaph. hominum genus arte et rationibus vivit : in quo videtur philosophus tangere quoddam hominis proprium, in quo a cæteris animalibus differt. Alia enim animalia quodam naturali instinctu ad suos actus aguntur : homo autem rationis judicio in suis operibus dirigitur. Et inde est, quod ad actus humanos faciliter et ordinate perficiendos, diversæ artes deserviunt. Nihil enim aliud ars esse videtur, quam certa ordinatio rationis, qua per determinata media ad debitum finem actus humani perveniunt. Ratio autem non solum dirigere potest inferiorum partium actus, sed etiam actus sui directiva est. Hoc enim est proprium intellectivæ partis, ut in seipsa reflectatur. Nam intellectus intelligit seipsum, et similiter ratio de suo actu ratiocinari potest. Sicut igitur ex hoc quod ratio de actu manus ratiocina-

est organum et instrumentum, est quasi ministra aliarum scientiarum. Ipsa informans quodammodo materiam aliarum scientiarum, eam per modum definitionis, divisionis, propositionis et argumentationis, rationali ordinatione disponit. Ex his autem sic argumentari possumus : Docente S. Thoma, « Nihil aliud ars esse videtur, quam certa ordinatio rationis, qua per determinata media ad debitum finem actus humani perveniunt. » Atqui logica, prout applicat regulas ad bene cogitandum, est certa ordinatio rationis, qua per determinata media intellectus humanus ad veritatem cognoscendam pervenit. Ergo logica, prout applicat regulas ad bene cogitandum, est ars.

III. *Definitio logicæ.*

Itaque si duplex sit facies logicæ, haudquaquam natura ejus unica definitione declarari potest; sed pro unaquaque, distincta definitio est necessaria. Quamobrem logica primo modo sumpta, definiri potest : *Est scientia, qua cognoscuntur conditiones formales, secundum quas mens evolvi debet, ut assequatur veritatem.* Alio modo sumpta, definiri potest : *Est instrumentum, quo mens dirigitur in cognitionem veri.*

tur, adinventa est ars ædificatoria, vel fabrilis, per quas homo faciliter et ordinate hujus actus exercere potest : eadem ratione ars quædam necessaria est, quæ sit directiva ipsius actus, per quam scilicet homo in ipso actu rationis ordinate et faciliter, et sine errore procedat. Et hæc est ars logica, id est naturalis scientia. Quæ non solum rationalis est ex hoc quod est secundum rationem, quod est omnibus artibus commune; sed etiam ex hoc, quod est circa ipsum actum rationis sicut circa propriam materiam. Et ideo videtur esse ars artium, quia in actum rationis nos dirigit, a quo omnes artes procedunt (Poster. Analytic. lib. I. lect. 1a). »

CAPUT IV.

DE DIVISIONE LOGICÆ.

I. *Divisio logicæ, quæ a nobis proponitur est bona.*

Quatuor libros hæc logica complectitur : Primus est *de cognitione intellectuali in genere*; secundus *de modo inferendæ conclusionis*; tertius *de modo recognoscendæ conclusionis illatæ;* quartus *de methodo,* ubi peculiari quadam ratione et modo magis practico, de directione mentis in cognitionem veritatis fit sermo. Hanc autem divisionem esse bonam ex eo probatur, quod ipsa contineat ea omnia, de quibus logica tractare debet; et quod partes ejus ordinate distribuantur inter se.

II. *Hæc divisio continet ea omnia, de quibus logica tractare debet.*

Quod hæc divisio contineat ea omnia, de quibus logica tractare debet, probatur hoc modo : Tria sunt, quæ logica tradere debet, ut assequatur scopum suum, qui est dirigere mentem in cognitionem veri : 1° Debet tradere aliquam generalem notitiam de cognitione intellectuali; experientia enim constat, quod qui ad studium logicæ accedunt, quin prius aliquali notitia circa cognitionem intellectualem fuerint informati, hærent ipsi animo; quippe qui non habent, quo convertere possint intelligentiam. Decet ergo statim initio logicæ, antequam in minutas ac subtiles illas speculationes de tribus operationibus intellectus aggrediamur, aliqua per summa capita de cognitione intellectiva prælibari; quod quidem fit a nobis in libro primo.

2° Logica debet tradere modum dirigendi mentem juxta motum, quo ratio movetur ad perfectam cognitionem veri. Mens autem duplici motu movetur ad perfectam cognitionem veri.

Unus, secundum quem a principiis primis *descendendo*, ad conclusiones pervenit; alius, secundum quem a conclusionibus *ascendendo*, redit ad prima principia. « Ratiocinatio humana, ait S. Thomas, secundum viam acquisitionis vel inventionis procedit a quibusdam simpliciter intellectis, quæ sunt prima principia : et rursus in via judicii (quando nempe intellectus propriam cognitionem secum ipse reputat, ac recognoscit) resolvendo redit ad prima principia, ad quæ inventa examinat (1). » Ergo de directione mentis, sub ratione hujus duplicis motus, logica tractare debet. Quod quidem a nobis in secundo et tertio libro præstatur; nam in secundo libro, ut dictum est, de modo inferendæ conclusionis fit sermo, in tertio vero de modo recognoscendæ conclusionis illatæ.

3° Debet demum logica tradere modum, quo præcepta ac regulæ bene cogitandi sint applicandæ circa diversa officia rationis; sive quando intellectus veritatem inquirit in ipsis rebus; sive quando eam legendo vel audiendo addiscit; sive quando eam alios docet, vel etiam ab adversariorum impugnatione defendit. Et de hoc quidem in quarto libro fit sermo, ubi tractatur de methodo.

Ex his igitur compertum habetur, divisionem logicæ a nobis propositam, omnia complecti, de quibus logica tractare debet.

III. *Partes enumeratæ recto ordine distribuuntur inter se.*

Partes autem in quas logicam partiti sumus, esse ordinate distributas inter se, sic ostenditur : Ordinata distributio partium ea est, in qua partes se aliquo modo excludunt; et in qua prior ordine illa collocatur, cujus cognitio præsupponitur cognitioni alterius. Atqui, ut intuenti patet, partes logicæ a nobis enumeratæ, mutuo se excludunt; ac illa prior ordine collocatur, cujus cognitio præsupponitur cognitioni

(1) I. P. q. 79. art. 8.

alterius. Ergo partes, in quas nostra logica dividitur, sunt ordinate distributæ inter se. Quibus intellectis manifestum efficitur, divisionem logicæ a nobis propositam, esse bonam.

CAPUT V.

DE NECESSITATE LOGICÆ, EJUSQUE DIGNITATE.

I. *Proponitur quæstio de necessitate logicæ, eaque declaratur.*

Logica, ut jam supra innuimus, alia naturalis est, et alia artificialis. Logica naturalis nihil est aliud quam ipsum lumen rationis, prout operationibus suis utitur pro cognitione veritatis acquirenda. Logica autem artificialis est ipsa objectiva manifestatio logicæ naturalis, seu legum, quibus mens naturaliter regitur in cognitione veritatis.

De necessitate logicæ naturalis nulla potest esse dubitatio. Etenim pro scientiis acquirendis, tam necessaria est logica naturalis, quam necessarius est ipse usus rationis.

Sed quæritur modo : *Logica naturalis* sufficit ne ipsa sola ad scientias acquirendas, an requiritur etiam *logica artificialis?* aliis verbis : Estne necessarium ad scientias acquirendas, quod mens antea per reflexionem cognoverit, qualis debeat esse legitimus usus rationis? an nativus usus ipsius, solus sufficit?

II. *Potest humana ratio per logicam naturalem, sine logica artificiali, aliqualem scientiam rerum sibi comparare.*

Respondeo primo : *Logica naturalis potest per se sine logica artificiali, esse instrumentum ad alias scientias acquirendas.*

Probatur per experientiam : Experimur enim multa ab intellectu cognosci sine logica artificiali ; ex. c. prima principia,

et plura quæ a primis principiis non admodum remote deducuntur; insuper logica artificialis, ut patet, a logica naturali primo effecta est, ac omnis qui logicam artificialem addiscit, per logicam naturalem eam addiscit.

Quod quomodo fiat, ut clare intelligatur, notandum est, duplex esse genus artium; est enim quoddam genus artium, quæ versantur circa materiam, in qua nulla est virtus, per quam effectus artis produci possit : ex. c. in ligno nulla est vis activa, per quam ipsum ex se in formam scamni mutari queat, sed illa forma ab arte lignaria necessario pendet. Est aliud genus artium, quæ versantur circa materiam habentem in se principium activum producendi ipsum effectum artis : ex. c. medicina, cujus est proprium sanitatem efficere, versatur circa corpus animale, in quo est aliqua virtus activa ad sanitatem producendam; corpus enim animale propria virtute, sine medicina aliquando sanatur.

Jam vero logica artificialis est ars secundi generis; versatur enim ipsa circa operationes intellectus, quæ ex se habent virtutem activam producendi illum effectum, qui a logica artificiali producitur, scilicet scientiam. Potest ergo logica naturalis per se, sine logica artificiali, esse instrumentum ad alias scientias acquirendas. Ex quo sequitur, logicam artificialem ad scientias acquirendas non esse *simpliciter*, hoc est, *omnibus modis* necessariam.

III. *Logica artificialis pro scientiis perfecte acquirendis et conservandis, est omnino necessaria.*

Respondeo secundo : Quia tamen logica naturalis ad acquirendas et conservandas scientias *aliquo modo* tantum et *imperfecte* sufficit, idcirco *ad perfectam acquisitionem et conservationem scientiarum*, hoc est, ut facile, ordinate et sine errore scientia rerum habeatur et conservetur, *logica artificialis est simpliciter necessaria:* ita scilicet, ut sine ipsa, circa ea quæ ad *plenam* scientiam alicujus objecti pertinent, discurrere, vel ab oppositis erroribus et impugnationibus se

defendere nemo possit. Conclusio nostra experientia aperte liquet; fugit enim veritas ab intellectu humano, qualem ipsum de facto debilem esse experimur, nisi arte logica exerceatur, excolatur et adjuvetur. Propter perturbationem mentis, ab imbecillitate voluntatis et a passionibus provenientem, cognoscere bonitatem vel defectum cujuscumque illationis, vel ex veritatibus cognitis alias remotas veritates deducere, sine logica homo non valet; neque eas ad primos fontes cognitionis, unde omne philosophicum examen et recognitio efficitur, potest revocare. Indiget ergo hominis ratio exerceri et perfici per logicam, si ad perfectam acquisitionem et conservationem scientiarum pervenire velit. « Hæc docet docere, ait Augustinus, hæc docet discere; in hac se ipsa ratio demonstrat, atque aperit quæ sit, quid velit, quid valeat. Scit scire; sola scientes facere non solum vult, sed etiam potest (1). » Quam proinde merito *formatricem aliarum* philosophiæ *partium*, *judicemque* alibi vocat (2).

(1) De ordine lib. II, c. 13.

(2) Academ. lib. III, c. 17, n. 37. Sancti Patres plurimi logicam faciunt : eam tum humanæ tum christianæ sapientiæ contra adversariorum vexationem ad instar muri esse, ac veluti sepimentum et propugnaculum passim affirmant.

Plato autem de necessitate logicæ (lib. VII. Civitas, v. II. p. 138. édit. Didot) ita discurrit : « (Socr.) Pueros tuos, quos nunc oratione educas atque erudis, si quando reipsa erudires, non sineres, opinor, ratione carentes quasi lineas maximarum rerum in civitate potestatem habere. (Gl.) Non certe, inquit. (Socr.) Legemne igitur feres, qua jubeantur eam potissimum disciplinam capessere, quæ eos ad interrogandum et respondendum ut scientes decet, aptissimos redditura sit? (Gl.) Feram, inquit una tecum. (Socr.) Numquid ergo videtur tibi, inquam, *doctrinis omnibus dialectica instar apicis nobis esse imposita, nec ulla doctrina recte super hanc posse poni, sed hic jam doctrinarum omnium esse finis?* (Gl.) Mihi quidem videtur, inquit. »

Necessitas logicæ facile colligi potest ex damnis non levibus, quæ invaluerunt, tum cum studium dialecticæ, ex grammaticorum oppugna-

IV. *Logica aliis scientiis non est dignior.*

Hæc de necessitate logicæ : ad ejus autem dignitatem quod attinet, etsi plus cæteris scientiis utilis sit logica; tamen non est aliis dignior. Eo enim aliqua scientia est dignior, quo magis propter se quæritur. Logica autem non propter se quæritur, sed ut temperamentem et organum humanæ cognitionis. Logica ergo non est aliis scientiis dignior.

Hæc tamen asserimus de logica, prout est quædam ratio practica : nam si ipsa consideretur prout est scientia, quæ speculatur in mente regulas ac præcepta recte cogitandi, tunc sua dignitate non caret; ipsa enim hoc modo accepta, est speculatio, quæ versatur circa nobilissimam activitatem animæ humanæ.

CAPUT VI.

DE FONTIBUS LOGICÆ, EJUSQUE ORIGINE.

I. *Fontes logicæ sunt conceptus, res, et voces.*

Fontes logicæ ii dicuntur, e quibus regulæ ac præcepta bene cogitandi sumuntur. Tres autem sunt ipsi : Primus fons sunt conceptus mentis, in quibus intellectus observat ordinem, quem ipsi debent habere, ut possint veritatem manifestare. Alius fons sunt res; conceptus enim ut veri

tione, sæculo decimo sexto imminui cœpit. Magna enim inde, teste historia, facta est perturbatio in mente; omnis firma ac sublimis cogitatio evanuit; in scriptis nihil virile amplius prolatum est, nihil districtum, nil dialecticum, quod vel invitos in assensum traheret, sed totum flaccidum, molle, sine nervis. Licentia autem omnia proferendi incredibili modo excrevit. Tentat nos sane hodie opinionum varietas atque dissensio, ac levissimorum hominum commentis oppressi sumus. Nec res aliter evenire poterat; nam de medio sublata hac ingenii disciplina, dialecticam dico, quid boni ab indisciplinatis ingeniis esse potest?

sint, proportionem et commensurationem cum rebus habere debent; eorum insuper ordinationes atque connexiones, fundantur in principiis a rebus desumptis, uti ex dicendis patebit. Tertius fons sunt vocabula : vocabula namque sunt expressiones ac notæ ipsorum conceptuum. Quapropter ordinatio conceptuum in vocabulis, ipsos repræsentantibus, utiliter quæri potest.

Animadvertendum est autem hic, quod res et voces non sunt fontes primarii, e quibus regulæ ac præcepta bene cogitandi sumuntur; sed in ipsis, *ex consequenti tantum*, *per modum cujusdam concomitantiæ*, consideratur ordo, quem debent habere conceptus. Fons logicæ primarius sunt conceptus; quandoquidem logica, ut dictum est, circa ordinationem conceptuum tota versatur, ac in ipsis regulas bene intelligendi speculatur.

II. *Origo logicæ artificialis est reflexio mentis supra se, circa intelligibilia se exercentem.*

Ex his autem intelligi potest genesis seu modus, quo necessario nasci debuit logica artificialis. Nam quidam homines primo circa aliqua intelligibilia propriam rationem exercuerunt; pedetentim autem per exercitium, habitudinem quamdam ratiocinandi acquisiverunt : deinde supra exercitium rationalis activitatis per reflexionem redeundo, considerarunt ipsam, ac sic paulatim regulas recte cogitandi in ipsa adinvenerunt. Harum regularum complexus logicam artificialem constituit. Ex reflexione igitur mentis, supra exercitium propriæ activitatis nata est logica. Ex quo intelligi debet, logicam esse filiam reflexionis, ac neminem posse in hac disciplina proficere, nisi in se tentet descendere, activitatem proprii intellectus concutere, sentire, eamque deprehendere. Hoc tamen paucissimi tentant.

CAPUT VII.

DE PERFECTIONE QUAM LOGICA CONFERT INTELLECTUI.

I. *Qualis sit perfectio, quam logica artificialis tribuit humano intellectui.*

Etsi logica non tribuit menti activitatem intelligendi ac ratiocinandi, quia hoc est quid animæ humanæ innatum, ab ejus substantia naturaliter resultans ; ipsa tamen, dum mentem circa considerationem sui exercet, eam purgat et evehit supra sensibilia, eique expeditam possessionem sui, et adjumentum bene cogitandi confert. Et hæc est perfectio, quam logica artificialis tribuit humano intellectui.

II. *Quanam conditione logica artificialis vere prodesse possit.*

Verum illud sedulo est hic attendendum, quod, ut cognitio illa, quam mens per logicam acquirit de ordinatione suarum operationum, salutarem influxum circa modum bene cogitandi possit exercere, non qualiscumque cognitio ea esse debeat; sed talis, ut per assiduam exercitationem in consuetudinem et usum transierit; aliud est enim theoriam logicæ addiscere, aliud consuetudinem et habitum ejus acquirere. Qui ergo utiliter in logica proficere cupit, non solum qualis debeat esse directio mentis intelligat oportet; verum etiam per assiduum exercitium practice se instruere debet de modo bene cogitandi. Hac sola conditione logica vere prodesse potest.

CONCLUSIO.

Hactenus de introductione ad logicam : in ipsa, ut supra proposuimus, dictum est de scopo logicæ, de objecto, natura, definitione, divisione, necessitate ac dignitate, de fontibus ac origine ejus, nec non de perfectione, quam tribuit humano intellectui. Quæ omnia sunt cognitu necessaria.

NOVITIATE LIBRARY

LOGICÆ

LIBER PRIMUS.

DE COGNITIONE INTELLECTIVA.

PROOEMIUM.

Haud est nobis hic propositum, perfectam tractationem habere de cognitione intellectiva; sed solum aliqualem notitiam de ipsa tradere, quantum sufficit, ut attente ac fixis oculis quilibet considerare possit id, circa quod logica versatur, ac finem, ad quem ipsa ordinare debet intellectum, agnoscere. Nisi enim hæc duo explorate fuerint perspecta, anima, dum logicæ studet, sine exitu vagatur. Nam nequeunt præcepta logicæ inquiri, aut applicari, aut etiam in proprium finem dirigi, nisi sit nota materia, in qua inquiruntur et circa quam applicantur, nisi sit notus finis, quem ipsa prospicere debent. Quamobrem tribus sectionibus totus hic liber continetur : In prima fit sermo de activitate hominis intellectuali, ut est in se, nec non de mediis, per quæ rerum cognitio ab ipsa attingitur; quæ pertinent ad materiam, in qua principaliter inquiruntur et circa quam applicantur logicæ præcepta. In altera tractatur de adjumentis ejusdem activitatis, quæ materiam secundariam logicæ constituunt. In tertia vero agitur de fine, ad quem præcepta logicæ ultimo ordinari debent.

SECTIO PRIMA.

DE ACTIVITATE HOMINIS INTELLECTUALI, QUÆ EST MATERIA PRINCIPALIS, IN QUA INQUIRUNTUR ET CIRCA QUAM APPLICANTUR PRÆCEPTA LOGICÆ.

CAPUT I,

DE NATURA COGNITIONIS INTELLECTIVÆ.

I. *Quid sit cognitio universe sumpta, et quænam elementa ipsam constituant.*

Cognitio universe sumpta, prout nempe abstrahit a cognitione sensitiva et intellectiva, definiri potest : *Est quædam viva manifestatio, per quam animæ aliquid ostenditur, quæ ab anima efficitur, et in anima manet.* Hæc definitio declaratur :

1° *Cognitio est quædam manifestatio, per quam animæ aliquid ostenditur.* Quotiescumque enim homo actum cognitionis exercet, aliquid necessario manifestatur ei, ac nulla cognitio potest esse, aut intelligi, quin aliquid ipsa manifestet. Ex. c. video *lapidem nigrum* : quid est videre lapidem nigrum? Est actus cognoscendi, quo nigredo lapidis mihi manifestatur. Rursus, intelligo *bis tria esse sex* : quid est hoc? Non est aliud quicquam, quam manifestatio seu claritas quædam, qua veritas ista ostenditur : *bis tria sunt sex.* Quod confirmatur : Nam discrimen inter cognoscentia et non cognoscentia, in eo continetur, quod cognoscentibus circumstantia objecta manifestentur ; non cognoscentibus autem, quæ sunt corpora bruta, cum quibus nulla res loquitur, nihil manifestatur. Patet igitur cognitionem esse manifestationem, seu lumen ostendens aliquid animo.

2° Est manifestatio *viva*. Ipsa enim ita afficit subjectum in quo est, ut de sua præsentia ipsum commoneat : Et vere, cognoscens dum aliquid cognoscit, aliquo modo saltem, sentit se cognoscere; aliis verbis, sentit in se, ut aliquid vivum, hanc interiorem affectionem, quæ cognitio nominatur.

3° Est manifestatio, *quæ ab anima efficitur*. Etenim quisque experitur, quod dum ipse aliquid cognoscit, aliquid efficit, manifestationem nempe rei, per quam cognoscit.

4° Est manifestatio, *quæ manet in anima*. Siquidem quando quis aliquid cognoscit, cognoscendo vere illuminatur quadam interna claritate sui generis, eâque perficitur : unde in schola solemus dicere, cognitionem esse actum et perfectionem *immanentem*; haud enim est ipsa quædam diffusio ac eruptio agentis ad exteriora immutanda ordinata, sed intus manet, ut quædam interior ac vitalis perfectio ipsius cognoscentis.

Ex his autem comperitur, quænam sint elementa quæ ad cognitionem formandam concurrunt : Primum elementum est *cognoscens facultate aliqua activa præditum*, mediante qua actum cognitionis exercet; nam cognitio a cognoscente non eliceretur, si cognoscens facultate activa non polleret. Alterum elementum cognitionis est *objectum*; nam qui actum cognitionis exercet, aliquid necessario cognoscere debet; idipsum autem quod cognoscitur, nominatur *objectum*. Tertium elementum est *manifestatio objecti in animo existens*; quæ quidem ab ipsa re quæ cognoscitur, distinguitur : manifestatio enim objecti est in anima, res ipsa autem quæ cognoscitur, non semper est in anima. Quartum elementum denique est *sensus ille interior*, qui omnem actum cognoscendi comitatur, per quem aliquo modo sentimus nos cognoscere.

Verum hic aliquis quærere posset : Quorsum hæc manifestatio in animo ponitur, et quidem ut aliquid à re quæ cognoscitur distinctum? Nonne vis activa cognoscendi una cum præsentia objecti, per se sufficit ad actualem cognitionem constituendam?

Respondeo : Sufficit sane præsentia objecti cum vi activa

cognoscendi, ad actualem cognitionem constituendam; verum tamen objectum non potest dici *præsens* facultati cognoscenti, nisi per interiorem illam manifestationem; dicere enim, lapidem esse præsentem visui, et simul asserere, eum non habere interiorem manifestationem in visu, repugnat. Et vere quidem, nam quod virtuti cognoscenti objicitur, haudquaquam objicitur ac præsens fit ei sub nuda illa conditione, secundum quam existit in natura, quasi res ipsa existens in natura, actui cognitionis inesset; vel quasi ipse actus cognitionis ab animo in rem ipsam transiens, eam sua virtute contrectaret et immediate involveret, ut nonnulli pueriliter imaginantur. Verum id quod objicitur actui cognitionis, objicitur ac fit præsens ei, prout manifestatur et exprimitur per repræsentationem aliquam sui existentem in animo; quod enim cognoscitur (et hoc diligenter expendatur), objicitur actui cognitionis, ut *aliquid formaliter* (1) *expressum et manifestatum, sub quadam claritate sui generis*, quam quisque dum cognoscit in seipso experitur.

Hæc doctrina antiquissima est, quam veteres philosophi et sapientes cujusque ætatis, tanquam communem animi conceptionem semper habuerunt. *Omnis cognitio*, ajebant illi, *fieri debet per assimilationem*, quatenus scilicet cognoscens, manifestando et exprimendo per cognitionem in seipso objectum, assimilatur quodammodo rei, quam cognoscit : id enim est cognoscens in *repræsentando*, quod res a parte rei in essendo. Est igitur res manifesta, quod quatuor elementa in qualibet cognitione discerni debeant : Cognoscens, res quæ cognoscitur, manifestatio vitalis, per quam res formaliter in animo repræsentatur, et sensus interior, quo animus aliquo modo se cognoscere sentit.

II. *De cognitione sensitiva.*

Cognitio sic universe sumpta, alia est sensitiva et alia

(1) Hoc est : Cujus esse proprium ac intrinsecum est, ut sit aliquid expressum et manifestatum.

intellectiva : de ipsarum natura atque discrimine breve, sed diligens est instituendum examen; indiget enim intellectus, ut proprias operationes recogitare possit, quod ipse sibi distincte clareque innotescat. Et primo quidem de cognitione sensitiva.

Cognitio itaque sensitiva constituitur per interiorem quandam affectionem, quæ *sensatio* dicitur, cujus est proprium manifestare ac referre qualitates exteriores rerum corporearum, singularium ; puta, colores, vel sonus, vel odores, vel sapores, vel molle et durum, calidum et frigidum, vel etiam magnitudinem et motum. Ex. c. visus oculi, uti experimur, est vitalis functio ac interior quædam affectio animi, per quam lucidum coloratum manifestatur, ut aliquid apparens in superficie alicujus corporis individui et singularis. Cognitio sensitiva definiri potest : *Est quædam vitalis affectio, per quam exteriora accidentia rerum corporalium tantum, manifestantur.* Cognitio sensitiva igitur non transcendit ordinem rerum corporalium ; sed ipsa tota continetur ac circumscribitur a manifestatione qualitatum, quæ extrinsecus in corporibus apparent.

III. *De cognitione intellectiva.*

Cognitio autem intellectiva constituitur per aliquam interiorem operationem animi, quæ *intelligere* nuncupatur, et est claritas et manifestatio quædam interior, cujus est proprium exprimere et repræsentare tum corporalia, tum spiritualia, ac de qualibet re ostendere *quod sit* (εἰ ἔστι) ; *quid sit* (τί ἐστι) ; *qualis sit* (ὅτι) ; *unde et cur sit* (διότι). Intelligere enim quasi *intus legere* dicitur, quia scilicet in *interiora* rerum penetrat, manifestando sibi extantiam, naturam, proprietates, causas rerum, ac mutuam earum ordinationem.

Verum id quod *proprie* ad intellectualem manifestationem per se ac primo pertinet, est cognoscere *universalia;* deinde vero sub lumine universalium omnia alia, etiam singularia et

mutabilia percipere. « Intellectus noster, ait S. Thomas, non est cognoscitivus nisi universalium (1). »

Quæ enim proprie objiciuntur intellectui, non sunt sicut cætera, quæ nascuntur, occidunt, fluunt, labuntur; sed *universalia* sunt : hoc est, sunt naturæ seu quidditates rerum, quæ manifestantur in mente, 1° *Ut aliquid separatum* a mutatione, a contingentia, ab omni eo quod non pertinet ad interiorem constitutionem rei, quæ concipitur; 2° *Ut aliquid ultimum :* nam, quando cognoscimus res, non solum quales de facto ipsæ sint hic et nunc, verum etiam quales absolute esse debeant, ad universalia, tanquam ad ultimam uniuscujusque rei generis formam atque mensuram, h. e. tanquam ad typum et exemplar, omnia quæ a nobis concipiuntur, revocantur.

Hoc experientia probatur : Intelligimus enim quid sit ens, quid verum, quid bonum, quid pulchrum, quid unum, quid substantia, quid accidens, quid causa, quid effectus, quid homo, quid circulus, quid justum, quid honestum, quid sanctum etc. Porro, hujusmodi notiones a contigentia et a mutatione abstrahunt, eæque manifestantur aspectui mentis, ut aliquid *semper idem, ac eodem modo manens*; ad ipsas respicimus, tanquam ad eximias quasdam species, cum de re aliqua judicamus, *qualis ipsa debeat esse;* sub lumine ipsarum demum quæcumque intellectiva cognitio perficitur. Sed hæc facili exemplo sunt declaranda.

IV. *Ratio cognitionis seu manifestationis intellectualis facili exemplo declaratur, eaque definitur.*

Sit igitur pro exemplo notio circuli : Concipio rationem objectivam circuli, quam his verbis exprimo : *Circulus est, quod ab extremis ad medium æqualiter undique distat.* Consideretur nunc modus, quo hujusmodi ratio objicitur menti : Sub nulla qualitate sensibili ipsa repræsentatur; est enim aliquid separatum a colore, a sonu, a sapore, ab odore, a molli

(1) 1ª P. q. 86ª, a. 1.

et duro, a calido et frigido, a magnitudine et motu, ab omni materia lignea vel lapidea, aurea vel ferrea; mens autem in ipsa hoc unum intuetur, habitudinem nempe inter extrema et medium, secundum quam extrema circuli debent æqualiter a medio distare. Quæ habitudo quidem, præsentatur menti ut *aliquid necessarium* et *immutabile*, a contingentia et mutatione separatum. Num potest esse vel concipi circulus, quin undique æqualis sit distantia ab extremis ad medium? Præsentatur ipsa ut *aliquid ultimum, ad quod* omnes circuli in natura existentes, cujuscumque sint materiæ et magnitudinis, *tanquam in typum et exemplar* rediguntur. Siquidem ad hanc ideam circuli respicientes, percipimus ac judicamus, quinam sint circuli perfecti et quinam imperfecti, secundum conformationem vel deformitatem, quam habent cum ipsa. Ex his autem definiri potest cognitio intellectualis : *Est quædam vitalis affectio, per quam tum corporalia tum spiritualia, manifestantur sub lumine quarumdam rationum, quæ universales sunt et ultimæ.*

I. *De discrimine inter cognitionem intellectivam et sensitivam.*

Declarata natura cognitionis sensitivæ et intellectualis, modo de utriusque discrimine, quod ex dictis facile colligi potest, dicendum est. Differt igitur cognitio sensitiva ab intellectiva *secundum objectum*, et *secundum modum quo unaquæque attingit objectum.*

1° *Secundum objectum* : 1. Quia sensus de rebus corporalibus nonnisi exteriora videt; intellectus autem præter illa accidentia, substantiam quoque cognoscit, cui illa accidentia inhærent. Ex. c. visus de luna videt colorem, magnitudinem apparentem, figuram, motum; sed intellectus videt etiam id, quod sub colore, magnitudine, figura et motu subsistit, substantiam scilicet, cui illa accidentia inhærent. — 2. Quia sensus de rebus, quæ ordinem corporalem transcendunt, nihil manifestat; non enim quid sit Deus manifestat, quid anima, quid bonum, quid pulchrum, quid honestum, quid turpe;

de rerum causalitate, et ordinatione, de natura contingentiæ ac necessitatis nihil percipit : intellectus autem percipit hæc omnia.

2° Differt cognitio sensitiva et intellectiva, *quia alio modo una, et alio modo altera suum objectum manifestat*. Nam sensus objectum suum manifestat quale ipsum est *hic* et *nunc*; intellectus autem manifestat objectum suum, non solum quale apparet hic et nunc, sed etiam quale ipsum debet esse sub lumine universalium ac sempiternarum rationum. Ex. c. Quando intellectus cognoscit lunam, et format hæc judicia : Luna existit, Luna est substantia, est corpus, est corpus sphæricum etc., omnes istæ rationes, quæ prædicantur de luna, sunt rationes universales et exemplares, ostendentes non solum qualis de facto sit luna; verum etiam qualis ipsa debeat esse, si sit ens, si substantia, si corpus, si corpus sphæricum etc. Video enim per intellectum quod si luna *existat*, necessario debeat esse extra causas et extra nihilum; si sit *substantia*, necessario debeat esse aliquid per se subsistens; si *figuram sphæricam* habeat, necessario extrema æqualiter a medio debeant distare. Et hæc de discrimine cognitionis sensitivæ et intellectivæ sufficiunt(1). Unum hic notare vellem,

(1) «Sensus, ait S. Thomas, non apprehendit essentias rerum, sed exteriora accidentia tantum : similiter neque imaginatio, sed apprehendit solas similitudines corporum. Intellectus autem solus apprehendit essentias rerum; unde in 3° de Anima dicitur, quod objectum intellectus est *quod quid est* (h. e. essentia et quidditas rerum in universali).» Ia P. q. 57, a. I. ad 2um. — Et alibi : « Dicitur intelligere, ait S. Doctor, quasi intus legere. Et hoc manifeste patet considerantibus differentiam intellectus et sensus. Nam cognitio sensitiva occupatur circa qualitates sensibiles exteriores : cognitio autem intellectiva penetrat usque ad essentiam rei. Objectum enim intellectus est quod quid est, ut dicitur in 3° de Anima. Sunt autem multa genera eorum, quæ interius latent, ad quæ oportet cognitionem hominis, quasi intrinsecus penetrare. Nam sub accidentibus latet natura rei substantialis, sub verbis latent significata verborum, sub similitudinibus et figuris latet veritas

scilicet tantam esse diversitatem cognitionis sensitivæ et intellectivæ, ut cognitio intellectiva non secundum gradum tantum, verum etiam ut aliquid omnino extraneum a cognitione sensitiva distinguatur; ad quam proinde se habet, ut sonus ad visum oculorum, et ut lux ad olfactum narium (1).

CAPUT II.

DE OPERATIONIBUS QUIBUS MENS ASSEQUITUR VERITATEM.

I. *Recensentur et definiuntur operationes, quibus mens assequitur veritatem.*

Quemadmodum per experientiam scimus, nequit humana ratio una simplici manifestatione et uno aspectu cuncta intelligibilia complecti : nequit ipsa quidem de una eademque re unico actu simul omnia videre, puta, *naturam*, *proprietates*,

figurata. Res enim intelligibiles sunt quodammodo interiores respectu rerum sensibilium, quæ exterius sentiuntur, et in causis latent effectus, et econverso (2^a $2^æ$ q. 8^a, a. 1). » — In libro II c. Gent. c. 66, S. Doctor quinque differentias adducit inter sensum et intellectum : 1^a Quia cognitio sensitiva in omnibus animantibus reperitur, non autem cognitio intellectiva. 2^a Sensus non est cognoscitivus, nisi singularium ; intellectus autem est cognoscitivus universalium. 3^a Cognitio sensus non se extendit, nisi ad corporalia; intellectus autem cognoscit incorporalia, sicut sapientiam, veritatem, et relationes rerum. 4^a Nullus sensus cognoscit seipsum (scil. quid ipse sit, et quomodo operatio ejus compleatur); intellectus autem cognoscit seipsum, et cognoscit se intelligere. 5^a Sensus corrumpitur ab excellenti sensibili (ut oculus a luce nimis viva, et tactus a nimio calore); intellectus autem non corrumpitur ab intelligibili excellentia : quinimmo qui intelligit majora, potest melius postmodum minora intelligere.

(1) D. Thom. lib. III, c. Gent. c. 54.

relationes ejus varias atque diversas. Sed ipsa, ob parvitatem sui luminis, in cognitionem veri pedetentim atque gradatim progredi cogitur, sicut ortus lucis, ab imperfecto ad perfectum.

Et vere quidem, si modus procedendi humanæ rationis diligenter observetur, quisque conspicere potest, quod ipsa primo simplices rerum notiones sibi formet, *quid sit ens, quid verum, quid bonum, quid pulchrum, quid honestum, quid justum, quid sanctum, quid turpe, quid substantia, quid accidens, quid quantitas, quid relatio, quid qualitas, quid corpus, quid vita, quid animalitas, quid circulus, quid triangulus, quid albedo etc.*

Deinde simplices has notiones inter se confert; et si earum convenientia vel discrimen per se et *immediate* affulgeat, tunc affirmando vel negando statim de re judicat : ut si quis conferat notionem trianguli cum notione circuli, mens statim ac immediate judicat : *Circulus non est triangulus.*

Quod si earum convenientia vel discrimen *mediate* tantum discerni possit, tunc mens circa convenientiam vel discrimen ipsarum, primo sibi quæstionem proponit : ex. c. *Notioni animæ humanæ inestne notio esse spiritualis?* Postea, assumpta una tertia notione, cum qua ambæ illæ notiones conferri possunt, puta, *notione esse intellectualis*, iterum collationem instituit inter notionem esse intellectualis et esse spiritualis, inter notionem esse animæ humanæ et esse intellectualis; et statim ac intellectus perspexerit, quod notioni esse intellectualis subsit notio esse spiritualis, et quod notioni animæ humanæ subsit notio esse intellectualis, ab una collatione ad aliam discurrendo, *mediate* judicat : *Anima humana est substantia spiritualis.* — En totus discursus : *Substantia intellectualis est spiritualis — Anima humana est substantia intellectualis — Ergo anima humana est substantia spiritualis.*

Ex quibus patet, cognitionem intellectivam hominis paulatim evolvi ab imperfecto ad perfectum, *a potentia ad actum*, ut loquitur schola.

Ista vero mentis evolutio tribus operationibus completur : Una, qua formantur simplices illæ notiones, quæ uno simplici intuitu conspiciuntur. Altera, qua notiones *immediate* conferuntur inter se, eæque junguntur vel sejunguntur, secundum quod inter se convenire vel non, a mente videntur. Ultima, qua notiones *mediate* conferuntur inter se assumendo tertiam, eæque junguntur vel sejunguntur, secundum quod cum tertia convenire vel non, ab ipsa mente ratiocinando detegitur.

Prima operatio *simplex apprehensio* vel *perceptio* nominatur, vel etiam cum D. Thoma, *intelligentia indivisibilium et incomplexorum* (1). Ipsa definiri potest : *Est operatio mentis, per quam intelligitur essentia uniuscujusque rei in seipsa, quin de ipsa aliquid affirmetur vel negetur.*

Secunda operatio *judicium intuitivum* nuncupatur. D. Thomas *compositionem* vel *divisionem*, eam appellat, prout affirmando conjungimus, aut negando sejungimus. Ipsa definiri potest : *Est operatio mentis, per quam ex immediata collatione unius notionis cum alia, una de alia immediate affirmatur vel negatur.*

Tertia operatio humani intellectus *judicium discursivum, discursus, ratiocinatio* vocatur. Ipsa definiri potest. *Est operatio mentis, per quam convenientia vel discrimen duarum notionum inter se, ex proportione quam habent cum una tertia notione, infertur.*

II. *Tres recensitæ operationes mentis omnes cogitandi motus complectuntur, eæque ordinatæ sunt inter se.*

Hujusmodi autem motus cogitandi a nobis enumerati, omnes motus intellectuales hominis explent et evacuant. Quotiescumque enim intellectus noster aliquid intelligit, vel unum quid intelligit sine affirmatione et sine negatione, aut aliquid affirmando vel negando; si primum, est simplex ap-

(1) I Periherm. lect. 1ª.

prehensio; si alterum, est judicium intuitivum vel discursus, prout habitudo duarum notionum inter se, immediate videtur vel mediate, assumpta scilicet una tertia notione. Præter hujusmodi motus intellectuales alii dari non possunt, ut intuenti patet.

Ad ordinem vero harum operationum quod attinet, res est manifesta. Prima enim operatio, quæ est quædam informatio ac prima quædam instructio intellectus, est propter judicium; judicium siquidem constituitnr ex notionibus, quæ per simplicem apprehensionem primo cognoscuntur. Judicium autem, cujus est cognoscere immediatam habitudinem, quam inter se habent simplices notiones, quodque proinde est evolutio quædam et quasi interpretatio atque locutio prioris operationis, est propter discursum. Nam discursus cujus est cognoscere mediatam habitudinem notionum, ac veluti e tenebris in lucem eruere quæ in judiciis abdita continentur, tribus judiciis constituitur : In primo una notio cum alia confertur; cum qua et alia notio in secundo item confertur; in tertio demum, conclusio illata intelligitur (1). Discursus autem ad aliam operationem non ordinatur; sed ab ipso, veluti propria proles et proprius fructus, gignitur scientia, vel opinio, vel fides, vel etiam animi dubietas.

(1) De tribus hisce operationibus hoc modo loquitur D. Thomas : « Sicut dicit Philosophus (Aristoteles) in tertio de Anima, duplex est operatio intellectus. Una quidem, quæ dicitur indivisibilium intelligentia, per quam scilicet apprehendit essentiam uniuscujusque rei in seipsa. Alia est operatio intellectus, scilicet componentis et dividentis. Additur autem et tertia operatio, scilicet ratiocinandi, secundum quod ratio procedit a notis, ad inquisitionem ignotorum. Harum autem operationum, prima ordinatur ad secundam : quia non potest esse compositio et divisio nisi simplicium apprehensorum. Secunda vero ordinatur ad tertiam : quia videlicet oportet, quod ex aliquo vero cognito, cui intellectus assentiat, procedatur ad certitudinem accipiendam de aliquibus ignotis. » In libr. Perihermenias, lect. 1a.

III. *Abstractio, Attentio, Assensus, Methodus, non sunt operationes distinctæ a tribus enumeratis, sed modi quidam et quasi temperamenta ipsarum.*

Contra ea, quæ supra a nobis constituta sunt de tribus operationibus mentis, aliquis posset dicere, operationes mentis plures esse quam tres; nam præter simplicem apprehensionem, judicium et discursum, numerandæ sunt aliæ actiones, abstractio nempe, attentio, assensus et methodus. Ergo etc.

Respondeo : Sub his vocibus, *abstractio*, *attentio*, *assensus* et *methodus*, non designantur operationes diversæ ab illis, quæ supra a nobis enumeratæ fuerunt; sed solum modi et temperamenta quædam earumdem operationum. Et vere quidem :

Abstractio : Sub hoc nomine significatur ipsa simplex apprehensio mentis, quatenus in una eademque re unum considerat, aliis non consideratis : ex. c. in lapide mens considerat rationem entis, non considerata ratione substantiæ; vel rationem substantiæ, non considerata ratione corporis; vel rationem corporis, non considerata ratione qualitatum quæ propriæ sunt lapidis, et econverso. Patet igitur, quod abstractio non sit, nisi modus quidam perceptionis, quæ per partes ac *divisim* res considerat, ad confusionem vitandam.

Attentio : Sub hoc nomine significatur accurata applicatio mentis circa aliquod objectum. Aliis verbis : Attentio est obtutus mentis in unum reductus, sive illud unum sit una indivisibilis notio, sive sit duarum notionum habitudo, immediata vel mediata. Hæc attentio, si paulatim ad singulas partes objecti lento gressu, ut ita dicam, adhibeatur, *consideratio* tunc dicitur, et etiam *reflexio*, qua mediante in eadem re animus persistit, ac quodammodo repetitis motibus redit in ipsam. Manifestum est igitur *attentionem* esse modum quemdam accurate percipiendi, judicandi, vel etiam discurrendi. Non est ergo operatio a tribus enumeratis operationibus distincta.

Assensus : Sub hoc nomine designatur operatio, *per quam mens adhæret rei cognitæ eamque approbat*. Hæc operatio a judicio realiter non differt. Etenim adhæsio mentis nihil est aliud quam determinatio intellectus aliquid affirmantis vel negantis; est ipsa viva illa interior affirmatio mentis. immediate vel mediate notiones jungens inter se, vel etiam sejungens. Atqui determinatio mentis aliquid affirmantis vel negantis, ipsa viva illa interior affirmatio mentis, immediate vel mediate notiones jungens inter se, vel etiam sejungens, a judicio realiter non differt : nonne enim intellectus de re aliqua judicat, ex hoc ipso quod affirmando vel negando aliquid determinat? Ergo adhæsio mentis, hoc est assensus, a judicio (1) realiter non differt; nisi velimus subtiliter distinguere, tribuendo judicio vim inveniendi et affirmandi veritatem, assensui vero vim quiescendi in illa. Sed hæc distinctio est rationis, et non rei; siquidem invenire et affirmare veritatem et quiescere in illa est unum et idem.

Methodus : Sub hoc nomine significatur operatio illa, secundum quam mens conceptus, judicia et discursus apposito ordine disponit, ut clarius ac magis expedite aliqua determinata veritas manifestetur. Porro disponere et ordinare est actus rationis, qui a discursu proprie non differt; ex eo enim quod ratiocinamur de modo, quo facilius aliqua materia intelligi potest, actus rationis sub certo ordine disponimus. Ergo methodus proprie a discursu non differt, nisi materialiter, quia scilicet seriem quandam conceptuum, judiciorum et ratiocinationum necessario complectitur, quod in simplici discursu non contingit.

Liquet igitur operationes mentis, per quas assequimur veritatem, nec plures esse nec pauciores tribus illis supra a

(1) Per judicium hic debet intelligi non solum secunda operatio mentis, nimirum judicium simplex seu intuitivum, sed etiam judicium discursivum : nam si veritas *immediate* affirmetur, tunc assensus est secunda operatio mentis; est tertia vero, si *mediate*.

nobis enumeratis, scilicet *simplici apprehensione, judicio et discursu*. Si quæ nomina vero diverse de intellectu significare videntur, illa vel in generali actionem intellectivam denotant, quæ in tres operationes dividitur (1); vel modos quosdam et quasi temperamenta trium operationum, de quibus in responsione dictum est; vel etiam aspectum quemdam particularem significant, sub quo dictæ operationes considerantur, sive in ordine ad principium a quo eliciuntur (2); sive in ordine ad terminum formalem ac interiorem, quem mens producit, quando aliquid intelligit (3); sive in ordine ad rationem objectivam, quæ manifestatur (4); sive in ordine

(1) Talia sunt : *Cognitio, intellectio, cogitatio,* hæc nomina enim significant in genere operationem intellectus, per quam aliquid manifestatur.

(2) Talia sunt : *Dictio,* «nihil est aliud *dicere* quam proferre verbum (I p. q. 34, a. 1, ad 3um).» — *Conceptio*, vis enim intellectiva quando intelligit, penes se quodammodo parit manifestationem rei cognitæ. — *Locutio mentalis*, mens enim quando aliquid intelligit, penes se loquitur, non verbo oris vel imaginationis, sed verbo mentali, manifestando scilicet veritatem.

(3) Talia sunt : *Verbum mentis, Species expressa, Conceptus formalis, Verbum cordis, Terminus formalis seu internus operationis intellectivæ, Idea expressa, Intentio intellecta, Intellectiva assimilatio cognoscentis et rei cognitæ,* vel *Manifestatio seu repræsentatio mentalis,* vel etiam metaphorice, *Imago intelligibilis rei.* Penes recentiores, *Idea,* vel *Notio,* vel etiam *Perceptio.* Sub quibus vocibus significatur ipsa res prout formaliter habet esse cognitum et manifestatum in intellectu; hoc est, *aliqua idealis transformatio et assimilatio viva et lucida cognoscentis ad cognitum, per quam res cognita vitali quadam ratione formaliter repræsentatur in mente.*

(4) Per *rationem objectivam* intelligimus idipsum, quod mens de re, quam intelligit, videt. Hæc ratio objectiva nominatur : IDEA, RATIO vel NOTIO REI. Operatio igitur intellectiva in ordine ad rationem rei, proprie, si presse et accurate loqui velimus, dicitur INTELLECTIO. «Dicitur enim intelligere, ait S. Thomas, quasi intus legere. Nam... cognitio intellectiva penetrat usque ad essentiam rei (2a 2æ, q. 8, a. 1).» — Secundum

ad subjectum, in quo cognitio recipitur (1); sive demum in ordine ad modum, quo mens assentiendo adhæret cognitis(2).

autem diversitatem rationis objectivæ intellectio diversimode nominari potest : etenim prout ipsa versatur circa notiones absolutas, necessarias et universales, quales exprimuntur sub his vocibus : *esse*, *existere*, *posse*, *necessitas*, *contingentia*, *mutabilitas*, *immutabilitas*, *unitas*, *multitudo*, *causa*, *effectus*, *substantia*, *accidens*, *absolutum*, *relativum*, *perfectum*, *imperfectum*, *justum*, *injustum*, *honestum*, *sanctum*, *turpe etc.*, INTELLIGENTIA VEL INTELLIGERE PURUM dici potest, *purum*, inquam, quia intellectus eas rationes intelligendo, abstrahit ab actuali existentia rerum, et, ut loquitur schola, ab omnibus conditionibus materialibus, et individuantibus : *intelligere* vero dicitur, quia immediate, sine ratiocinio rationes illæ cognoscuntur. — Quod si rationes objectivæ abstractæ, ratiocinando cognoscantur per illationem ductam a propositionibus universalibus et necessariis, ut præsertim in geometria contingit, quando ex. c. cognosco ratiocinando, *radios in circulo æquales esse inter se*, *vel angulos trianguli æquales esse duobus rectis*, tunc illa operatio INTELLECTIO RATIONIS PURÆ nuncupari potest; ratiocinium enim per quod ipsa intelligitur, totum perficitur per notiones abstractas, sine ulla dependentia ab actuali existentia rerum. — Rursus, si ratio objectiva, quæ intelligitur, sit aliquid Dei, puta, *bonitas*, *vel sapientia*, *vel sanctitas*, *vel justitia Dei*, tunc operatio illa per quam speculamur hujusmodi rationes, atque ab eis regulas agendorum accipimus, INTELLECTIO RATIONIS SUPERIORIS dici potest, ut sic ab ea operatione distinguatur, quæ contemplationi rerum creatarum intendit, quæque proinde merito INTELLECTIO RATIONIS INFERIORIS potest nominari. — Demum operatio intellectiva, prout intelligit res singulares, ut in natura existunt, a nonnullis PERCEPTIO nominatur (utuntur isti hac voce, ut patet, modo diverso ab eo, quo supra usi sumus, quando de prima operatione mentis loquebamur).

(1) Operatio intellectiva in ordine ad subjectum in quo recipitur, prout scilicet quis intelligit se esse, se sentire, se intelligere, se velle etc., SENSUS INTIMUS intellectus dicitur, vel si fortis sit ac vivida, REFLEXIO PSYCHOLOGICA, vel etiam cum recentioribus, CONSCIENTIA REFLEXA, vel APERCEPTIO nominatur.

(2) Talia sunt : SCIENTIA, OPINIO, FIDES, ASSENSUS RETENTIO seu DUBITATIO. Etenim si assensus elicitur ex evidenti demonstratione,

CAPUT III.

DE VARIO GENERE COGNITIONIS INTELLECTIVÆ HOMINIS, AC DE MEDIIS, QUIBUS ILLUD ATTINGITUR.

I. *Diversa genera ac diversa media cognitionis intellectivæ hominis breviter recensentur.*

De vario genere cognitionis intellectivæ hominis, nec non de mediis, per quæ ipsa attingitur, in præsenti dicere oportet : hæc enim pertinent ad cognitionem habendam de activitate intellectuali hominis, quatenus sub directionem logicæ cadit. Varia sunt igitur genera cognitionis intellectivæ hominis, varia et media, per quæ attingitur : alia enim est cognitio factorum in natura corporali existentium, quæ acquiritur per *Sensus exteriores;* alia est cognitio factorum in anima existentium, quæ acquiritur per *Sensum intimum;* alia est cognitio similitudinum rerum corporalium, vel etiam eorum quæ ab anima finguntur, quæ acquiritur per *Imaginationem*; alia est cognitio universalium et necessariorum, quæ acquiritur per *Lumen intellectuale*; alia est cognitio mediata, quæ acquiritur per *Ratiocinationem;* alia demum est cognitio eorum, quæ testimonio et auctoritate aliorum a nobis cognoscuntur, quæ acquiritur per *Auditum et Intellectum.* De his omnibus singillatim breviter est dicendum.

habetur *scientia*; si ex argumentis tantum probabilibus, habetur *opinio*; si ex testimonio aliorum, habetur *fides*; si mens denique propter opposita argumenta æque suspensa manet, habetur *assensus retentio* seu *dubitatio.*

II. *De primo genere intellectivæ cognitionis, ac medio per quod ipsa acquiritur.*

Primum genus cognitionis intellectivæ complectitur facta singularia, actu existentia in natura corporali, sub conditione spatii (*hic*) et temporis (*nunc*), sub ratione contingentiæ, secundum quam possunt non existere vel aliter se habere, quæ facta *immediate sine ratiocinio* intellectui objiciuntur. Ex. c. cognosco Paulum ambulantem, vel campum virescentem, vel ortum solis, vel tempestatem maris sine *ratiocinio*, ut quædam facta singularia, hic et nunc existentia in natura corporali; ut facta contingentia : quod enim Paulus non ambulet, vel campus non virescat, vel sol non oriatur, vel mare non turbetur, nulla est repugnantia.

Si modo quæratur : Per quale medium intellectus attingit cognitionem factorum singularium, in natura corporali actu existentium?

Respondendum est : Medium ex quo intellectus horum factorum cognitionem haurit, *sunt sensus externi*. Et vere quidem res ita se habet : quotiescumque enim agitur de cognoscendis externis accidentibus corporum, actu existentium in natura, de cognoscendo nempe eorum colore, vel sonu, vel odore, vel sapore, duro vel molli, calido vel frigido, vel magnitudine, vel unitate, vel multitudine, vel loco, vel distantia, vel propinquitate, vel motu, vel tempore, non aliunde horum omnium cognitionem potest intellectus hominis attingere, quam a sensibus externis (1). Quod per expe-

(1) Quinque sunt sensus externi, quorum quilibet est organis corporalibus affixus : *Visus oculorum*, *Auditus aurium*, *Olfactus narium*, *Gustus palati*, *Tactus totius corporis*, præsertim manus. — In sensibus istis triplex objectum est distinguendum : *Proprium*, *Commune*, *per Accidens*. Proprium dicitur, quod ad unum et singularem sensum *exclusive* pertinet : sic videre lucem et colores est solius visus, audire sonos est solius auditus, sentire odores est solius olfactus, gustare sapores est solius gustus, sentire molle et durum, calidum et frigidum,

rientiam constat : nam, nisi prius sensus externi a rebus in natura corporali actu existentibus immutentur, nullam de his rebus cognitionem habere potest humanus intellectus.

III. *De secundo genere intellectivæ cognitionis, ac medio per quod ipsa acquiritur.*

Sunt alia facta præter allata, alterius generis, non in natura corporali existentia, sed in anima ipsius cognoscentis, singularia et ipsa atque contingentia, quæ intellectui immediate objiciuntur : intelligimus enim immediate nostrum esse, nostrum intelligere et nostrum velle, omnes quoque sensationes animæ ejusque passiones.

Via autem, per quam hæc facta interiora cognoscit humanus intellectus, est *sensus intimus*, nimirum sensus ille, quo quisque sentit se existere, ac proprium esse variis ac diversis modis affectum (1). E. c. dum aliquid video, sentio me

humidum et siccum est solius tactus. — Objectum commune sensuum dicitur, quod a pluribus sensibus ratione objecti primarii, cum quo connectitur, percipitur : sic visus ac tactus ratione proprii objecti manifestant motum, quietem, numerum, figuram et magnitudinem ; ad quæ tempus, situs, unitas, distantia et propinquitas referuntur. — Objectum denique per accidens dicitur, quod continetur sub apparentiis sensibilibus, tanquam aliquid naturaliter connexum cum illis ; sic cum apparentiis sensibilibus vultus, naturaliter connectitur amor vel odium, vel ira, vel tristitia, et cum mutationibus accidentalibus corporis, substantia. Etsi namque exteriores sensus neque odium cognoscant, neque tristitiam, neque substantiam, cognoscendo tamen exteriora accidentia, præbent ipsi materiam intellectui illa omnia cognoscendi. — Exercitium sensuum exteriorum, prout referunt facta singularia in natura corporali actu existentia, *experientia externa* vocatur.

(1) Quælibet actualis modificatio, quodlibet factum internum partis sensitivæ vel intellectivæ, est quædam *viva affectio*, est quædam experimentalis perceptio tum sui ipsius, tum animæ cujus est. Hæc tamen affectio non semper a nobis advertitur, quia ad exteriora intenti. — Hujusmodi affectio *experientia interna*, vel *sensus intimus*, a nonnullis *conscientia directa* nominatur.

videre; dum aliquid imaginor, sentio me imaginari; si amore vel odio, gaudio vel tristitia, timore vel audacia teneor, si aliquid intelligo vel volo, sentio sensu quodam vivo hæc omnia in me fieri. — Intellectus itaque a sensu isto interiori excitatus, ab ipso attingit factorum internorum cognitionem, quæ attente considerans (1), de ipsis judicat. Hinc cum aliquis interrogatur, quonam modo ipse intelligat se esse, se intelligere, se libere operari, etc. respondere cogitur: *Quia sentio hæc.* Via ergo, per quam intellectus cognoscere potest facta illa interna, quæ in ipsa anima cognoscentis fieri contingunt, est *sensus intimus.*

IV. *De tertio genere intellectivæ cognitionis, ac medio per quod ipsa acquiritur.*

Intellectus noster similitudines quoque rerum materialium cognoscit, in organa exteriora actu non influentium, vel etiam similitudines nullam realitatem habentes in natura, sed solum fictam repræsentationem in animo. Ex. c. ab urbe, quam olim vidi, absens, similitudo ejus repræsentatur in animo meo ac menti objicitur; sic etiam imago et similitudo matris meæ defunctæ, et generatim omnes imagines et similitudines rerum, quæ olim a nobis per sensus exteriores fuerunt cognitæ, vel quæ nunquam per sensus exteriores fuerunt cognitæ, sed quæ animo finguntur: ex. c. imago montis aurei, centauri, montis sine valle etc., menti repræsentantur.

Medium per quod harum similitudinum cognitionem attingit intellectus, est *imaginatio* seu *phantasia.* Est hæc facultas speculum quoddam internum, est quædam immensa

(1) Hæc attenta consideratio intellectus circa ea, quæ intus in animo fieri contingunt, *conscientia reflexa*, vel etiam *reflexio psychologica* nuncupatur. *Reflexio* quidem, quia iterata applicatione mentis objectum considerat; *psychologica* vero, quia versatur circa ea quæ in animo fiunt; eaque proinde tota est subjectiva, et ab alia reflexione distinguitur, quæ est de objectis externis, quæque merito hac ratione *reflexio ontologica* vocatur.

tela, in qua similitudines rerum exteriorum pinguntur, et in qua quisque juxta sua vota, timores, iras, voluptates, quod vult, format et pingit. Ad ipsam igitur intellectus respiciens, similitudines reales vel fictas intuetur, ac de ipsis judicat.

V. *De quarto genere intellectivæ cognitionis, ac medio per quod ipsa acquiritur.*

Est quartum genus cognitionis, secundum quam quædam objiciuntur intellectui immediate, quatenus abstrahunt ab actuali existentia, a causa, a loco, a tempore, quæ repræsentantur secundum immobilem, æternam, necessariam rationem, ut regulæ et principia omnis cognitionis intellectivæ. Tales sunt rationes illæ, quæ in his vocibus significantur : *entitas*, *unitas*, *bonitas*, *justitia*, *sanctitas*, vel etiam per propositiones, quarum veritas per solam declarationem terminorum innotescit : ex. c. *Impossibile est idem simul esse et non esse — Totum est majus sua parte — Non est effectus sine causa — Bonum est faciendum et malum vitandum, etc.*

Medium per quod intellectus attingit objecta ista, quatenus sub modo universalitatis, immutabilitatis, necessitatis et æternitatis objiciuntur ei, est *ipsum lumen intellectuale*. Etenim nec oculis, nec auribus, nec ullo alio sensu exteriori, neque sensu interiori, neque ratiocinatione aliqua, sed cogitatione tantum immediate hæc omnia comprehenduntur. «Lux, inquit D. Thomas, in qua contemplamur veritatem (universalem, necessariam, immobilem, æternam), est intellectus agens(1).» Cujus virtute, seclusis omnibus conditionibus quæ sunt propriæ singularium, contingentium, loci et temporis, secundum nudam quidditatem et essentiam ab intellectu hominis res considerantur.

(1) QQ. dd. q. de spirituali creatura a. 10.

VI. *De quinto genere cognitionis intellectivæ, ac medio per quod ipsa acquiritur.*

Est quintum genus cognitionis intellectivæ, in quo res objiciuntur intellectui non in seipsis, sed ex præcognitis, cum quibus naturaliter connectuntur. Ex. e. cognosco charitatem esse bonum æternum, quia cognosco charitatem esse virtutem, quæ est bonum æternum; vel cognosco scyphum vitreum, si lapide violenter concutiatur, frangi, quia per experientiam scio, vitrum esse fragile; vel cognosco Julium vivere, quia cognosco ipsum sentire et intelligere; vel cognosco pluviam imminentem, quia video cœlum esse nebulosum, etc.

Medium, per quod intellectus hominis attingit hujusmodi objecta, sunt præcognita per experientiam internam vel externam, vel etiam per lucem naturalem intellectus, addita vi illativa ejusdem intellectus. — De hac vi illativa, de qua in præcedenti capite jam aliquid diximus, postea fusius proprio loco dicetur.

VII. *De sexto genere cognitionis intellectivæ, ac medio per quod ipsa acquiritur.*

Quædam demum intellectus hominis cognoscit non in seipsis, neque in aliquo alio, cum quo naturaliter connectuntur; sed aliorum cognitione utendo, scilicet per *fidem*. Sic qui nunquam vidit Romam, cognoscit tamen Romam existere, per cognitionem illorum, qui eam viderunt; — Nos, qui nunquam vidimus Paulum Apostolum, scimus tamen ex aliorum cognitione, Paulum Apostolum extitisse; — Homo rudis, qui probationes immortalitatis animæ non intelligit, propter auctoritatem tamen sapientum immortalitati animæ assentit.

Hujusmodi cognitio originem habet ab auditu et ab intellectu: ab auditu quidem, quia per ipsum intellectus cognoscit quid ab aliis asseritur; ab intellectu vero, quia auctoritate asserentis cognita, ipse est qui se movet ad assentiendum, proprio principio ductus : *Credendum est illis, qui rem scire potuerunt, quique in asserendo veraces fuisse comperiuntur.*

VIII. *Veritates, quæ sensus communis dicuntur, non constituunt novum genus cognitionis a generibus supra enumeratis distinctum, neque sensus communis constituit medium aliquod cognitionis, distinctum a mediis supra recensitis.*

Hæc sunt varia genera cognitionis naturalis humani intellectus, hæc sunt omnia media, quibus intellectus utitur ad varium illud genus cognitionis attingendum; nec plura sunt, nec pauciora: ac falleretur sane, qui aliud genus cognitionis, aliud medium adjicere vellet. Nam quod aliqui addunt, genus cognitionis nempe, quod per *sensum communem* attingitur, totum ad prædicta redigitur.

Re quidem vera : Omnes veritates, quæ sensui communi adscribuntur, vel ad primum genus cognitionis pertinent, et tunc ab experientia externa originem habent : ex. e. *In ordine naturali id quod fuit, erit, et est — Scyphus vitreus si lapide violenter percutiatur, frangitur — Nemo sicco pede super aquas naturaliter ambulare potest*, etc.

Vel ad secundum genus cognitionis, quod per sensum intimum aquiritur : ex c. *Operationes sentiendi, intelligendi, appetendi, ac ceteræ omnes, quas per sensum intimum percipio, sunt proprii ego — Inter multiplices ac varias affectiones animi, quisque de identitate sua personali est certus*, etc.

Vel ad quartum genus cognitionis, quod per evidentiam luminis intellectualis acquiritur : ex c. *Non est effectus sine causa — Unicuique suum est tribuendum — Nemo sine causa est lædendus*, etc.

Vel demum ad quintum genus cognitionis, quod per ratiocinationem efficitur : ex c. *Deus est colendus — Characteres fortuito projecti in chartam, nequeunt efficere paginam conceptiones ordinatas exprimentem — Nequeunt omnes homines simul convenire, ut me decipiant — Quod ab omnibus, ubique et semper asseritur, verum est*, etc.

Compertum est igitur omnes veritates, quæ sensui communi tribui solent, non posse constituere diversum genus cognitionis, quoniam sub quatuor jam recensitis generibus

continentur. Hoc unum discrimen aliquis notare posset : nam veritates *sensus communis* eæ dumtaxat habentur, quæ omnibus ratione utentibus obviæ ac perviæ sunt, et sine labore, ut veræ ac certæ cognoscuntur. Est enim sensus communis *vis ipsa intellectiva, prout est determinata circa cognitionem aliquarum veritatum, quæ ab omnibus ratione utentibus, sine studio, quasi spontaneo ac naturali judicio, cum certitudine admittuntur, ut principia et regulæ recte judicandi, maxime de iis, quæ ad vitam hominis vel corporalem, vel intellectualem, vel etiam moralem sunt necessaria* (1). Inter veritates autem, quæ sub diversis illis generibus continentur, non solum veritates, quæ omnibus sunt perviæ, numerantur, verum et aliæ. At hoc discrimen est nimis leve, ut ex ipso distinctum genus cognitionis constitui possit, ac medium cognitionis distinctum.

Ex his omnibus colligitur : Cum varium sit genus intellectivæ cognitionis, cum diversa sint media, per quæ intellectus cognitionem assequitur; consectarium est, logicam diversitati cognitionis et mediorum diversa quoque præcepta accommodare debere, ut sic activitatem intellectualem hominis in cognitionem veri dirigere possit.—Et hæc pro prima sectione sufficiunt.

(1) Sensus communis alio modo definiri potest : Est certa quædam determinata habitudo virtutis intellectivæ, ad certas quasdam determinatas veritates, quæ statim sine labore, sive per experientiam sive per lucem intellectivam, sive etiam per facile ratiocinium ab omnibus, qui usum rationis habent, subito cognosci possunt.

SECTIO SECUNDA.

DE ADJUMENTIS ACTIVITATIS INTELLECTUALIS HOMINIS, QUÆ MATERIAM SECUNDARIAM LOGICÆ CONSTITUUNT.

—

CAPUT I.

DE ADJUMENTO ACTIVITATIS INTELLECTUALIS HOMINIS, QUOD EST PHANTASIA.

—

I. *Activitas intellectualis hominis a phantasia adjuvatur.*

In capite tertio præcedentis sectionis jam dictum est, *phantasiam* seu *imaginationem* (idem enim hæc nomina significant) esse medium cognitionis intellectivæ, quatenus per ipsam similitudines rerum materialium absentium olim sensibus exterioribus perceptarum, cum omnibus quæ cum ipsis simul hausimus, redeunt et recurrunt ad animum; vel etiam quatenus per ipsam quædam nova finguntur, quæ in re non existunt. Cognitionem enim harum similitudinum rerum corporalium singularium, realium vel fictarum, ab imaginatione intellectus attingit. Nunc autem de phantasia, prout operatur una cum intellectu illumque adjuvat, breviter dicendum est.

Dico igitur : *Phantasia est naturale adjumentum intellectus.* Etenim, uti ex aperta experientia comperitur, nihil ab intellectu intelligi potest, nec spiritualia quidem et a sensu

maxime remota, quin aliquo modo se convertat ad idolum illud imaginationis, quod *phantasma* dicitur. Hinc ligata phantasia, ut plerumque in dormientibus contingit, operatio quoque intellectualis remittitur; ipsa turbata, ut in phreneticis apparet, intellectus turbatur. Hinc etiam quando quis aliquid intelligere nititur, componit sibi phantasmata, cum re intelligenda proportionem et analogiam habentia; vel quando aliquid aliis declarare intendit, utitur exemplis, ut ex ipsis animus excitatus, phantasmata sibi formare possit, ac rem intelligere. Est igitur manifestum phantasiam inservire intellectui, ejusque naturale adjumentum existere.

II. *Quonam modo phantasia sit naturale adjumentum intellectualis activitatis.*

Tribus autem modis phantasia adjuvat intellectum : 1° Quia proponit intellectui objectum materiale, ad cujus præsentiam intellectus propria activitate sibi format intelligibilem seu universalem repræsentationem illius quidditatis, quæ est propria phantasmatis. Ex. c. Ad præsentiam phantasmatis, repræsentantis circulum aliquem singularem in materia existentem, propria activitate intellectus sibi format cognitionem intellectualem circuli.

2° Quia ex præsentia phantasmatis intellectus determinatur quodammodo ac ita circumscribitur, ut possit in eadem cogitatione persistere. Experimur enim, quod cognitio intellectiva, si sub aliqua sensibili specie non retineatur, statim elabitur.

3° Quia per remotionem phantasmatum cognoscimus aliquo modo res simplices et spirituales. Habet enim homo aliqualem cognitionem de rebus spiritualibus, quatenus intelligit eas non habere illum modum essendi, qui est proprius corporum, quæ per phantasmata repræsentantur. Ex. c. Nemo potest negare, quod cum quis intelligit, vim cogitandi non esse aliquid coloratum, utputa, album vel rubrum, non esse aliquid calidum vel frigidum, durum vel molle, dulce vel amarum, non esse aliquid extensum, in determinata portione spatii

NOVITIATE LIBRARY

existens, nemo, inquam, negare potest quod, dum hæc quis intelligit, intelligat simul aliquo modo *per remotionem*, qualis sit vis cogitandi.

4° Quia intellectus, propter analogiam existentem spiritualia inter et corporalia, utitur phantasmatibus, quæ sunt imagines corporalium, ad spiritualia sibi declaranda. Ex. c. Sibi repræsentat Deum immensum ad instar pelagi sine termino, vel Deum æternum in forma senis antiqui. Ac religio sane, viam et aditum ad animum sibi aperit, per *similitudines sensibiles*, *per symbola*, *per visiones atque parabolas*; et totum cultum externum ad hoc ordinat, ut animus scilicet impressione harum sensibilium imaginum excitatus, ad superiora et invisibilia cognoscenda assurgere possit.

Hi sunt modi diversi, quibus ab imaginatione adjuvatur activitas intellectualis hominis, dummodo tamen quæ sensus externi perceperunt, ab ipsa fideliter referantur. Nam si imaginatio similitudines fictas ex vi qua pollet, mutandi, dividendi, augendi, componendi, tanquam reales proponat; si similitudinibus rerum, quas intellectui proponit, aliquid detrahat, vel aliquid sui addat; si demum ipsa vivis ac mobilibus suis speciebus intellectum præoccupet, eumque præcipitem faciat et inconsideratum ad judicandum, tunc manifestum est imaginationem non adjuvare, sed turbare intellectum.

CAPUT II.

DE ALIO ADJUMENTO ACTIVITATIS INTELLECTUALIS HOMINIS, NEMPE DE VOCABULIS.

—

I. *De signis in genere.*

Omne quod aliquid aliud a se significat, dicitur *signum*, cujus natura tota in *repræsentando* consistit. Signum definiri

potest : *Id quod potentiæ cognoscitivæ aliquid aliud a se repræsentat.* Tria sunt in signo consideranda : Res quæ est signum ; — Res significata per signum ; — Utriusque connexio. Ex. c. In fumo, qui est signum ignis, consideratur fumus qui habet rationem signi, consideratur ignis qui significatur per fumum, consideratur connexio fumi et ignis.

Ad divisionem signi quod attinet ipsa desumi potest ex parte modi quo rem significat ; ex parte rei significantis ; et ex parte rei significatæ (1). Verum si signum reduplicative ut

(1) Ex parte rei quæ est signum, signum dividitur in *practicum*, si aliquo modo efficiat rem, quam significat ; sic *medicina* signum practicum sanitatis dicitur : — in *non practicum* seu *theoreticum*, si nihil in rem, quam significat, efficiat ; sic nomina, signa idearum *non practica* seu *theoretica* dicuntur : — *in sensibile*, si sensibus appareat ; sic vultus demissus est signum sensibile tristitiæ, et pulsus agitatus signum sensibile ægritudinis : — *in insensibile*, si sensibus non appareat : sic tranquillitas conscientiæ est signum bonæ vitæ. — Ex parte vero rei significatæ, attenta circumstantia temporis, dividitur *in commemorativum*, si rem præteritam, ut præteritam significet ; ex. c. monumenta defunctorum : — *in demonstrativum*, si rem præsentem significet ; sic aer illuminatus præsentiam solis significat : — in *prognosticum*, si rem futuram significat, sic cœlum nebulosum imminentem pluviam annuntiat. — Si vero natura rei significatæ consideretur, tunc signum dividitur *in spirituale*, si rem spiritualem designet ; sic sacramenta, quæ gratiam significant, signa spiritualia dicuntur : — *in physicum*, si rem in natura corporea existentem significet ; sic folia ficulneæ vicinam æstatem, ac hirundinis reditus ver novum significat : — *in logicum*, si conceptus mentales significet ; sic vocabula dicuntur signa logica, quia ad conceptus significandos sunt instituta. — Signum logicum rursus dividitur *in vocale*, de quo in hoc capite tractatur : — *in gesticulatum*, quod gestibus seu motibus corporis perficitur, præsertim per motum manuum, vultus et oculorum ; qui gestus quandoque sunt naturales, quandoque vero ex conventione confecti : — in *scriptum*, quod scriptura nempe exaratur. — Scriptura si immediate significet cogitationes vel ideas, *ideographica* nuncupatur, sic providentia Dei per *oculum* exprimitur, æternitas vero per *circulum*. Ad

signum dividatur, cum ratio ejus tota in significando consistat, tunc divisio signi a diversitate modi quo significat, est desumenda. Sic autem signum dividitur in *formale* et *instrumentale*: *Formale* dicitur quod rem significat per modum *similitudinis* et *imaginis*, ut effigies regis in denario, regem significat; *instrumentale* vero, quod rem significat per modum *indicationis*, quemadmodum contingere solet, cum ex uno cognito in cognitionem alterius, etsi dissimilis, propter connexionem quam habent inter se, devenimus; sic ex vultu irato affectionem animi, et ex vestigio in pulvere relicto animalis transitum cognoscimus.

Rursus, signum instrumentale aliud est *naturale*, si habitudo et connexio cum re significata sit naturalis; aliud est *arbitrarium*, si habitudo et connexio sit ex conventione et instituto hominum; aliud est *certum*, si rem definito modo manifestet; et aliud *incertum*, si modo vago et indefinito. Ex. c. Gemitus est signum naturale doloris; color autem in indumento est signum arbitrarium dignitatis; respiratio est signum certum vitæ; immobilitas autem corporis non est certum signum mortis, sicut in syncope contingit.

Cæteris signis in præsenti relictis, nos hic aliquid breviter dicere intendimus de illo signo sensibili idearum, quod voce exprimitur (1); « Verba enim, ait Augustinus, prorsus inter homines obtinuerunt principatum significandi, quæcumque animo concipiuntur, si ea prodere quisque velit (2) »

hoc genus scribendi reduci possunt symbola, hieroglyphica Ægyptiorum, characteres quoque geographici, arithmetici, algebraici, scripturæ omnes symbolicæ ac emblemata quæque, pictura denique ipsa. — Si vero scriptura significet *immediate* vocabula, conceptus autem *mediate*, tunc hujusmodi scriptura *phonetica*, seu *phonographica* vel etiam *alphabetica* dicitur; qualis est scriptura, qua Europæi communiter utuntur. Definitur ipsa: *Est signum vocabuli ad placitum, scriptura exaratum.*

(1) Hoc signum distinguitur per *nomen*, *verbum* et *orationem*, quæ ex verbo et nomine constituitur: sed de his postea, proprio loco dicemus.

(2) De doctr. Christ. lib. II, c. 30.

II. *De natura signi quod voce exprimitur.*

Natura signi vocalis hæc est, ut significet *immediate* conceptus; res autem, mediantibus conceptibus : hinc vocabula ab Aristotele *passionum animæ signa* dicuntur (1); hinc etiam fit, quod modus loquendi semper modum cogitandi sequatur, non autem semper sequitur modum existendi rerum in natura.

Connexio signi vocalis cum conceptu, quem significat, non est ex natura, sed ex libera institutione Dei vel hominum. Etsi enim quædam voces ita prodi possunt, ut sonu blando aliquo modo rem blandam exprimant, ut *voluptas*, vel duro, rem duram, ut *crux*; etsi sint voces, quæ rem ita proferunt, quod imitentur sonum qui auditur, ut *hinnitus* equorum, *belatus* ovium etc.; etsi, inquam, aliqua naturalis affinitas existat inter vocabula, quibus unaquæque natio utitur, et conformationem organi vocalis; etsi sint quædam voces, vel melius labiorum strepitus, ut gemitus, suspiria, ejulatus, exclamationes, quæ dolorem, vel gaudium, vel admirationem, vel animi repugnantiam naturaliter significant; nihilominus *natura nomen nullum est* (2). Etenim nomina, si ex natura significarent, sequeretur, penes omnes populos ipsa habere naturalem ac necessariam connexionem cum conceptibus; ac proinde iidem conceptus nonnisi iisdem vocibus exprimi possent, quod patet esse falsum; ad exprimendos enim eosdem conceptus, nationes diversæ vocibus diversis utuntur.

Ex quibus apparet, vocabulum prout est in mente, esse aliquid complexum, quod in quatuor elementa potest resolvi : In conceptum sonus articulati; — in conceptum significatum per sonum articulatum; — in conceptum habitudinis sonus articulati et conceptus, quem sonus significat; — demum in ipsum objectum, quod per conceptum repræsentatur. Ex. c. in hoc nomine *Arbor*, 1° considerari debet conceptus sonus hujus vocis *arbor*, qui a mente concipitur, quando vox illa auditur; mens enim non posset ab aliis vocibus hanc vo-

(1) Aristotel. Lib. periherm. cap. I.
(2) Ibid. cap. II.

cem *arbor* distinguere, si de ipsa nullum conceptum haberet.

2° Debet considerari conceptus qui per illam vocem significatur : siquidem cum mens vocem illam audit, aliquid concipit, quod non est ipsa vox; non potest autem fieri quod aliquid concipiatur sine conceptu.

3° Debet considerari conceptus habitudinis existentis inter vocem et conceptum per vocem significatum : quomodo enim quis scire posset quid hæc vox *arbor* significet, nisi connexionem ejus cum conceptu, ad quem significandum est instituta, cognosceret?

4° Demum in illa voce *arbor* debet considerari ipsa res, quæ menti objicitur per conceptum : nam cum vox illa conceptum significet, conceptus vero rem ipsam, quæ menti objicitur; sequitur, hanc vocem *arbor* idipsum quod menti objicitur per conceptum, mediate significare. — His pro confusione vitanda accurate perspectis, modo quid sit vocabulum est definiendum : *Vocabulum est sonus articulatus significativus ad placitum conceptus mentalis.*

III. *Activitas intellectualis hominis a vocabulis adjuvatur.*

Multis modis activitas intellectualis hominis a vocabulis adjuvatur. Uno modo, quia vocabula inserviunt claritati et distinctioni idearum, earumque conservationi. Hæc enim est lex virium animæ, quod mutuo se adjuvent : idcirco dum homo intelligit, phantasmata in imaginatione et sonus in ore formantur. Influxu horum sonuum vocalium aliquid exprimentium, anima facilius sistitur circa rem per vocem expressam, voce enim permanente, veluti ambitu quodam sensibili cogitatio continetur, ne subito elabatur. Dum autem animus vocabulis adjutus, sic in intuitu ejusdem rei sistitur, ideæ clariores et distinctiores efficiuntur, eæque fortius ac profundius in animo imprimuntur. Verum est igitur claritati et distinctioni idearum, earumque conservationi vocabula inservire; qua ratione pectini et radio telæ a Platone comparantur, quemadmodum enim subtegmen et stamina confusa pectine

et radio discernuntur, ita quoque ideas confusas, inter se vocabulis discernimus, ac veluti circumscriptione quadam sensibili continemus. « Nomen, ait Plato, rerum substantias docendi discernendique instrumentum est, sicut pecten et radius telæ (1). »

Alio modo vocabula inserviunt activitati intellectuali, quia per ipsa manifestatur interior cogitatio hominis : vocabulum enim est veluti vehiculum, quo mediante cogitatio unius transfertur in intellectum alterius, eique aperitur. « Quid aliud molimur (*cum loquimur*), ait Augustinus, nisi animum ipsum nostrum, si fieri potest, cognoscendum, et perspiciendum animo auditoris inferre : ut in nobis ipsi quidem maneamus, nec recedamus a nobis, et tamen tale indicium, quo fiat in altero nostra notitia, proferamus ; ut, quantum facultas conceditur, quasi alter animus ab animo, per quem se indicet, proferatur (2)? »

Tertio modo, cum vocabula sint symbola cogitationis hominis ejusque expressiones, fit, quod ex modo significandi vocabulorum, possit quoque comperiri modus cogitandi humani intellectus. Vocabula igitur sunt adjumenta, quæ activitati intellectuali multum inserviunt, dummodo tamen *definite* adhibeantur, omni ambiguitate semota, ut postea dicetur ; sunt ipsa quædam fulcimenta, quæ attentionem mentis sustentant ; ad doctrinam aliis tradendam ipsa valent ; denique sunt fontes, e quibus modus bene cogitandi ab intellectu attingi potest.—Si quis expendere cupiat, quantum adjumentum activitati intellectuali afferant signa externa, præsertim vocabula, consideret, quæso, quid de activitate mentis foret, si hæc signa non essent. —Experientia docet, patrimonium idearum penes populos vocabulorum ambitu circumscribi, *ac nullam ideam claram et distinctam extare in mente, si aliquo signo sensibili, maxime vocabulis, exprimi nequeat.*

(1) Cratylus, edit. Didot, vol. I, pag. 286.
(2) Aug. lib. de Fid. et Symb., c. III, n. 4.

CAPUT III.

DE TERTIO ADJUMENTO ACTIVITATIS INTELLECTUALIS HOMINIS, NEMPE DE VOLUNTATE.

I. *Voluntas est princeps quædam facultas, a qua pendet exercitium et applicatio earum facultatum animi, quæ libertati arbitrii subduntur.*

Voluntas est appetitus intellectualis hominis, est inclinatio quædam tendens ad omnia quæ perfectioni hominis conveniunt : sic volumus bona sensibilia, et cibum, et potum, et videre pulchros colores, et audire pulchros sonus; volumus bona intellectualia, veritatem scilicet, honestatem, justitiam, sanctitatem, pulchritudinem, etc. Quidquid ergo ad perfectionem hominis pertinet, infra objectum voluntatis continetur.

Ab hac facultate proinde pendet *applicatio et exercitium cæterarum potentiarum animæ, quæ libertati arbitrii subduntur.* Voluntas enim, ut ex dictis colligi potest, se habet ad cæteras facultates animi, sicut rex ad ministros reipublicæ : nam quemadmodum rex in regno, respiciens quidquid ad bonum regni pertinet, ministris suis utitur pro bono reipublicæ assequendo; ita et voluntas, respiciens bonum volentis, utitur cæteris facultatibus animi, libertati arbitrii subjectis, pro bono volentis assequendo. Et hoc quidem ab experientia confirmatur : Nam etsi proprium uniuscujusque potentiæ sit attingere suum objectum, tamen quælibet applicatur et exercetur circa hoc vel illud objectum a voluntate. Sic quod visus oculorum applicetur ad hoc vel illud videndum, auditus ad hoc vel illud audiendum, a voluntate provenit : a voluntate quoque provenit excitare appetitum sensitivum vel illum

cohibere (1); applicare et exercere virtutem intellectivam circa inquisitionem hujus vel alterius objecti, eamque detinere, ut in consideratione ejusdem rei diu persistat. Applicatio igitur et exercitium cunctarum potentiarum animæ, quæ libertati subduntur, a facultate voluntatis revera pendent.

II. *De modo quo voluntas adjuvat intellectum circa cognitionem veri.*

Ex his autem comperitur, quantum et quale adjumentum sit voluntas respectu activitatis intellectualis hominis; voluntas enim, quanquam non præbeat intellectui vim intelligendi, plurimi tamen valet ad facultatem intellectivam ita exercendam, ut possit assequi veritatem. Et vere quidem, nam, ut dictum est, quod intellectus applicetur circa quædam determinata objecta, ac in una eademque re consideranda contineatur; quod animus a tumultu et ab externis occupationibus, quæ contemplationem veritatis impediunt, arceatur; quod vehementia passionum et cupiditatum, quæ tanquam serpentes qui humi reptant, animum illaqueant, compescatur, hæc omnia a voluntate pendent.

Removere igitur ea quæ germanum ac sincerum usum activitatis intellectualis impediunt, ipsamque efficaciter applicare, ut veritatem cognoscat, a voluntate est. Qua ratione verum est dicere : *Nemo intrat in veritatem, nisi per voluntatem.* — Hactenus de adjumentis activitatis intellectualis hominis, quæ ad materiam secundariam logicæ spectant.

(1) Hæc potestas voluntatis est *politica*, et non *despotica*; quamvis enim appetitus sensitivus ex sua nativa virtute debeat voluntati parere, potest tamen ei resistere, quia habet aliquid sibi proprium.

SECTIO TERTIA.

DE VERITATE COGNOSCENDA DEQUE FALSITATE VITANDA, QUOD EST FINIS AD QUEM ULTIMO PRÆCEPTA LOGICÆ ORDINANTUR.

CAPUT I.

DE VERITATE COGNOSCENDA.

I. *Quid et quotuplex sit veritas, declaratur.*

Veritas alia est in rebus, alia in intellectu. Veritas in rebus nihil est aliud, *quam res ipsa quatenus est*; ex eo enim quod res est, verum est ipsam esse : « quare ut secundum esse unumquodque se habet, ita etiam secundum veritatem (1). » — Hæc veritas, *veritas transcendentalis* nominatur, quia de ente ac de omni differentia entis praedicatur, nominatur quoque *veritas objectiva*, quia rebus ipsis, quæ objiciuntur intellectui, tribuitur.

Veritas autem in intellectu nihil est aliud, quam *conceptus intellectus, prout in repræsentando est conformis rei intellectæ.* Et vere quidem, tunc veritas dicitur esse in intellectu, quando res manifestatur in ipso, sicut revera est in se. — Hæc veritas, *veritas subjectiva* vel etiam *logica* nominatur, quia non in natura existit, extra animum, sed in mente;

(1) Aristotel. lib. II Metaphys. cap. 1, edit. Didot. vol. I, pag. 486.

vel etiam *formalis* quia ad perfectionem formalem, h. e. *interiorem*, intellectus pertinet. — De *veritate* secundo modo accepta in præsenti loquimur.

II. *Qualis debeat esse hæc veritas formalis, ut omnibus modis absoluta sit atque perfecta.*

Hæc autem veritas, quæ *formalis* nuncupatur, ut sit perfecta, debet esse *clara*, *distincta*, *integra*, *certa*. — Quæ voces, antequam conclusio probetur, sunt declarandæ.

Clara : Veritas *clara* dicitur illa, per quam statim id quod per ipsam repræsentatur, ita innotescit, ut ab omnibus aliis facile distingui possit. Sic id quod significatur per *motum*, *quietem*, *æqualitatem*, *partem*, *totum*, *diminutionem*, *augmentum*, *existentiam*, *tempus*, *locum*, etc., omnes statim ac facile intelligunt, etsi non sit facile de omnibus his rationibus, quid ipsæ sint, explicare. — Quod si per veritatem res ita innotescat, ut ab omnibus aliis distingui non possit, tunc veritas dicitur *obscura*.

Distincta : Veritas *distincta* ea nuncupatur, per quam aliquis omnia discernere potest, quæ in objecto continentur. Verum, quia in objecto quædam *actualiter-formaliter* continentur, quædam autem *virtualiter*, secundum quamdam habitudinem; idcirco veritas quæ *distincta* vocatur, in duo genera distribuitur : alia enim est veritas *distincta-actualis*, alia est veritas *distincta-virtualis* seu *integra*.

Veritas *distincta-actualis* est ea, qua *cognoscuntur omnia quæ actualiter-formaliter in una re integra continentur*. Ex. c. Natura hominis tunc manifestatur secundum veritatem *distinctam-actualem*, quando et quoad corpus, et quoad animam, et quoad omnes facultates animæ manifestatur in mente; quoniam ex his omnibus *formaliter-actualiter* constituitur homo.

Integra seu *distincta-virtualis* dicitur ea, *per quam cognoscuntur non solum omnia, quæ formaliter-actualiter, sed etiam quæ virtualiter in re integra continentur*. Ex. c. Homo co-

gnoscitur secundum veritatem *distinctam-virtualem ;* quando in mente manifestatur tum prout est in se, tum quoad omnia, quæ facere potest secundum intellectum et voluntatem, tum quoad habitudinem illam, quam habet ad causas a quibus pendet, et ad cætera omnia entia, cum quibus ordinem hujus universi constituit. — Hæc veritas seu cognitio (cognitio enim prout est conformis rei, idem significat quod veritas formalis) communiter vocatur *comprehensiva*, *integra*, *plena*, *absoluta*, de qua bene Augustinus : « Aliud est videre, aliud est totum videndo comprehendere. Quandoquidem id videtur, quod præsens utcumque sentitur : totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, *ut nihil* ejus lateat videntem, aut cujus fines circumspici possunt; sicut te nihil latet præsentis voluntatis tuæ, circumspicere autem potes fines annuli tui (1). » — Quod si per veritatem non possit intellectus distinguere omnia, quæ uni rei formaliter-actualiter insunt, cognitio *confusa* dicitur : quæ vero valet distinguere omnia quæ formaliter-actualiter in ipsa continentur, non autem quæ virtualiter, cognitio distincta quidem dicitur, sed *incompleta* et *manca*, etsi quandoque *relative perfecta* nominetur.

Certa : Veritas *certa* dicitur ea, secundum quam intellectus aliquid ita cognoscit, ut firmiter ei adhæreat : certitudo enim est firma ac immobilis adhæsio mentis circa aliquod objectum. Sed immobilitas ac firmitas hujus adhæsionis, quæ certitudinem veritatis naturalis constituit, tunc perfecta est, ac vere philosophica, quando intellectus assentit evidentia immediata, vel evidenti demonstratione motus. — Si mens rei cognitæ firmiter non adhæret, tunc veritas illa *incerta* dicitur, eaque *opinio* proprie nuncupatur.

His vocibus declaratis, proposita conclusio facile sic ostenditur : Cum veritas formalis tota consistat in interiori illa expressione, secundum quam intellectus in cognoscendo est

(1) Aug. Epist. 147, alias 112, cap. 9.

conformis rei cognitæ; sequitur, quod quæcumque requirantur pro perfectione hujus interioris expressionis, et ea quoque pro perfectione veritatis formalis debeant requiri. Atqui, ut patet, pro perfectione interioris expressionis requiritur, quod *clara* sit, *distincta*, *integra*, *certa*. Ergo et ad perfectionem veritatis formalis quoque pertinet quod *clara* sit, *distincta*, *integra*, *certa*; certa, inquam, non qualicumque certitudine, sed ea quæ propria est sapientis, quando assentit vel propter immediatam evidentiam, vel propter evidentem demonstrationem a principiis illatam. Hoc pacto enim tantum haberi potest perfecta illa, ac omnibus numeris absoluta *adæquatio rei et intellectus.*

CAPUT II.

DE FALSITATE VITANDA.

I. *Quid sit falsitas declaratur.*

Quoniam in capite antecedenti de veritate formali dictum est, ac de iis quæ requiruntur ut ipsa sit perfecta et omnibus numeris absoluta, modo de falsitate quæ veritati opponitur, dicendum est. — Falsitas vere et proprie a parte rei non reperitur. Nam, si *verum* a parte rei sit *id quod est*, ac omne existens in rerum natura sit id quod est, nuspiam esse falsum, concludendum est. Falsitas ergo proprie non est in natura extra animum, sed in mente tantum; eaque consistit in quodam dissensu rei et intellectus: ex eo enim quod mens judicat aliquid esse, quod reipsa non est, vel aliquid non esse, quod reipsa est, intelligit rem aliter ac est in se, et proinde fallitur. — Falsitas definiri potest : *Est quædam dissidentia rei et intellectus.*

II. *In quanam mentis operatione proprie reperiatur falsitas.*

Si modo quæratur, num omnibus operationibus mentis subesse possit falsum : Respondendum est : 1° *Prima operatio mentis, quando aliquid unum, simplex, indivisibile, incomplexum, sibi repræsentat non potest esse falsa.* Ratio est, quia hujusmodi operatio repræsentat aliquid reale, saltem possibile, quod non potest aliter esse ab eo quod concipitur(1).

(1) Ut hæc ratio rite intelligatur duo sunt quærenda : 1o Cur prima operatio mentis, quando aliquid unum, simplex, indivisibile, incomplexum sibi repræsentat, *aliquid reale, saltem possibile*, sibi repræsentet oportet ? 2o Cur id quod ita repræsentatur, nequit aliter esse ab eo quod concipitur ?

Respondeo : Prima operatio mentis quando aliquid unum, simplex, etc. sibi repræsentat, aliquid reale, saltem possibile, sibi repræsentet oportet, quia *quod non potest esse non potest per se repræsentari*. Nam quod non potest esse dicitur *impossibile*; impossibile dicitur *quod opponitur enti;* quod opponitur enti dicitur *non ens.* Ergo quod non potest esse est non ens. *Non ens* autem non potest per se repræsentari; quia omne quod per se repræsentatur est aliquid, alioquin nullius esset repræsentatio, quod repugnat. Verum est ergo dicere : *Quod non potest esse non potest repræsentari :* Num repræsentari potest aliquid simul esse et non esse ? vel circulum esse quadratum, etc. ?

Respondeo alteri quæstioni : Id quod mens sibi repræsentat ut aliquid unum, indivisibile, simplex, nequit aliter esse ab eo quod concipitur : quia si aliter posset esse ab eo quod concipitur, aut dicendum esset, quod mens non concipit realitatem, aut dicendum esset quod realitas illa potest mutari, et aliter se habere. Primum non potest dici, uti jamjam probavimus ; sed neque alterum, quia quod est unum, indivisibile, simplex et incomplexum, sive actu existat, sive in potentia, mutari non potest ; nihil enim ab ipso detrahi potest, nihil ipsi superaddi, quod ad mutationem necessario requiritur. Dicendum est ergo, quod mens quando circa indivisibilia versatur, aut nihil intelligit, aut si aliquid, quod intelligit verum est. «Intellectualis visio, ait Augustinus, non fallitur. Aut enim non intelligit, qui aliud opinatur quam est, aut si intelligit, continuo verum est.» De Genesi ad Litteram, lib. XII, cap. 14, n. 29.

Ergo non potest esse falsa, siquidem falsitas, ut dictum est, in eo consistit, quod res aliter concipiatur ab eo quod est. Ex. c. Concipio quidditatem circuli : *Est linea circa centrum, æqualiter a centro distans*, aliquid indivisibile exprimitur in hoc conceptu, aliquid reale, quod, ut patet, non potest esse aliter ab eo quod concipitur.

2° *Operatio mentis per quam manifestantur judicia naturalia, quæ pollent immediata evidentia, vel quæ evidenter connectuntur cum aliis primis principiis, non potest esse falsa.* Etenim mens est naturaliter determinata circa ipsa, ac ipsa aliter esse non possunt ab eo modo quo a mente concipiuntur. Num potest esse vel cogitari quod sit effectus sine causa, vel quod pars sit major toto, vel quod bis tria non sint sex, vel quod radii circuli non sint æquales inter se? « Proprium est horum principiorum, ait S. Thomas, quod non solum necesse est ea per se vera esse, sed etiam necesse est videri quod sint per se vera. Nullus enim potest per se opinari contraria eorum (1). »

3° *Operatio mentis, per quam immediate, sine ratiocinio, contingenter unum de alio asseritur vel negatur; aut etiam per quam mediate ratiocinando, unum de alio asseritur vel negatur sine evidentia, potest subesse falsitati.* Ratio est, quia intellectus, dum de his judicium exercet, ab aliis motivis duci potest, quæ sunt præter realitatem, ac ita errare. Et hoc verum est tum *in via inventionis*, quando scilicet quis proprio studio et labore scientiam a rebus acquirit, tum *in via doctrinæ*, quando ab aliis doctrinam addiscendo accipit. *In via inventionis* quidem, quia intellectus in judicando moveri potest a sensibus corruptis vel male adhibitis, a vocabulorum abusu, ab imaginatione, a sensu intimo, demum ab ipsa vi intellectiva, quæ primas notiones, ex quibus tota cognitio pendet, non satis digerit, eas obscuro et confuso modo percipiendo. *In via vero doctrinæ*, quia intellectus moveri potest in judi-

(1) Posterior. Analytic. lib. I lect. 19a.

cando ab auctoritate docentis, qui dum alios doctrinam docet, vel fallit, quia fallitur, vel quia vult fallere. Constat ergo operationem mentis, quando judicat de rebus contingentibus, vel de iis quæ evidenti ratiocinio non comperiuntur, subesse posse falsitati. — Et hæc de falsitate sufficiunt.

CAPUT III.

QUONAM MODO VERITAS COGNOSCENDA ET FALSITAS VITANDA SIT FINIS LOGICÆ.

—

Præcipuus finis logicæ est ita dirigere operationes mentis, ut a falsitate arceantur et veritatem formalem adipiscantur.

Jam supra diximus, proprium esse logicæ activitatem intellectualem hominis dirigere. Nam quemadmodum regula dirigit manum non satis firmam, ad ducendas lineas rectas; ita quoque logica operationes defectivas mentis dirigit, ad formandam intellectualem illam ac interiorem manifestationem, quæ *veritas formalis* dicitur. Quinam igitur est finis *præcipuus* logicæ? Finis *præcipuus* logicæ est dirigere operationes mentis, ita ut a falsitate arceantur et veritatem adipiscantur. *Veritatem*, inquam, *adipiscantur* non qualicumque modo, sed clare, distincte, cum certitudine, demonstrative manifestatam. *Demonstrative manifestatam* dico, quia si mens certa non foret se assequutam esse veritatem, quæreret adhuc ipsa, nec proinde quiesceret.

II. *Pro iis operationibus in quibus falsitas non potest reperiri, directio logicæ intendit, quod ipsæ clare, distincte et perfecte percipiant.*

Verum hic aliquis dicere posset : Si finis ad quem directio logicæ ordinatur, sit fuga falsitatis; ergo operationes illæ in quibus falsitas non potest reperiri, nequaquam sub directionem logicæ cadunt. Respondendum est : Operationes per quas indivisibilia et incomplexa manifestantur, et per quas

naturalia judicia affirmantur, in quibus consequenter falsitas esse non potest, revera, ad adeptionem veritatis quod attinet et fugam erroris, sub directionem logicæ non cadunt, sed solum quoad claritatem, distinctionem et integritatem cognitionis. Logica enim tradit modum, secundum quem manifestationes illæ intelligibiles, ad verum a natura immobiliter firmatæ, si obscuræ sint, involutæ atque confusæ, intellectivo conspectui objiciuntur claræ, distinctæ ac integræ.

III. *Finis logicæ non continetur totus in fuga erroris, et in adeptione clara et distincta veritatis, sed etiam ut mens sciat docte opinari, dubitare, ignorare.*

Qui considerat terminum, quo essentialiter circumscribitur et finitur humanus intellectus, perspicit plura esse quæ excedunt naturalem captum ipsius, quæque proinde ab ejus conspectu absconduntur; sicut sunt supernaturalia et divina. Rursus, qui considerat *statum præsentem* hominis, de quo scriptum est : *Corpus quod corrumpitur aggravat animum, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem* (1), intelliget, plura eorum quæ ad naturam pertinent, hominem ignorare, de pluribus cogi dubitare, plura probabili conjectura ut veri similia tantum sequi.

Jamvero, etsi ad logicam maxime spectet tradere modum, quo intellectus possit vere, clare, distincte ac certe veritatem manifestare; tamen ad ipsam quoque pertinet tradere modum docte ignorandi veritatem, docte dubitandi, docte opinandi; alioquin manca et incompleta esset directio ipsius, ac scopum suum non attingeret perfecte. Intentio logicæ ergo debet esse, ut mens non tantum *in cognitionem certam et evidentem rerum dirigatur, verum etiam in doctam opinionem, in doctam animi dubitationem atque ignorantiam*, tradendo modum bene sciendi, bene opinandi, bene dubitandi, bene ignorandi. Quæ directio, si bona et prudens fuerit, ducit intellectum in quietem. Sed quod quis tam bona et prudenti

(1) Liber Sapientiæ cap. IX, v. 15.

directione utatur, est donum Dei, a quo proinde tanquam a datore omnium bonorum, humiliter est petendum. —Et hæc de fine, ad quem præcepta logicæ ultimo ordinari debent, sufficiunt.

CONCLUSIO HUJUS LIBRI.

Ex his quæ hucusque in hoc libro tractata fuerunt, intelligitur quænam sit materia logicæ, tum principalis tum secundaria ; nec non finis quem ipsa, dum circa materiam istam versatur, intendit.

Quando ergo de activitate intellectuali hominis, de mediis per quæ res cognoscendæ huic activitati objiciuntur, de præcipuis illis adjumentis cogitandi logica tractat, huc tota ejus intentio spectat, tradere *modum bene cogitandi ;* qui si totus ac completus sit, continetur in modo *bene sciendi*, *bene opinandi*, *bene dubitandi*, *bene ignorandi*. Sed ad exitum hujus libri non pigeat iterum audire, quod studiosi, si in modo bene cogitandi proficere velint, etiam atque etiam conentur comprehendere germanam indolem activitatis intellectualis. — Indoles hujus activitatis hæc est : Veritatem quæ est in rebus, penes se suscipit; eamque quadam secunda nativitate in suam potestatem redigit ; ac sub lumine idearum universalium res cognoscendo, in similitudinem earum ipsa quodammodo transformatur. Sunt istæ similitudines ac repræsentationes rerum in intellectu vivæ existentes, quæ materiam *essentialem* logicæ constituunt ; ipsis proinde demptis, ars tota dialectica ruat necesse est. «Si quis, ait Plato, species (h. e. similitudines ac repræsentationes intellectuales) rerum existentium auferat, neque speciem quandam uniuscujusque distinguat, haud sane reperiet, quo convertat intelligentiam, cum non permiserit ideam uniuscujusque rerum existentium eamdem semper existere, et in hunc modum disserendi facultatem funditus subvertet (1). »

(1) Parmenides, edit. Didot, v. I, pag. 632.

LOGICÆ

LIBER SECUNDUS.

DE MODO CONCLUSIONIS INFERENDÆ.

PROŒMIUM.

Cognita materia circa quam logica versatur, ac fine ad quem ultimo ordinari debent ejus præcepta, in hoc libro de *modo conclusionis inferendæ* dicendum est. Quia vero conclusio nequit inferri, nisi præsupponantur quædam judicia; quæ et ipsa simplices notiones seu ideas præsupponere debent; idcirco non solum de ratiocinio, sed et de prima operatione mentis, quæ est simplex perceptio, et de altera, quæ est judicium, hic tractare necessarium est. Quamobrem secundus liber tribus sectionibus continetur : In prima fit sermo *de simplici apprehensione mentis*; in secunda *de judicio;* in tertia *de ratiocinio.*

SECTIO PRIMA.

DE SIMPLICI APPREHENSIONE MENTIS.

CAPUT I.

DE EO PER QUOD SIMPLEX APPREHENSIO CONSTITUITUR, AC DE NECESSITATE IPSAM RITE COGNOSCENDI.

I. *De eo per quod simplex apprehensio constituitur.*

Simplex apprehensio seu simplex perceptio mentis, de qua supra jam aliquid diximus, potest considerari secundum duplicem faciem : 1° Prout pertinet *ad ordinem physicum seu realem*, et sic est *quædam vis spiritualis animæ*, cujus tractatio spectat ad psychologiam. 2° Prout pertinet ad *ordinem idealem* seu *repræsentativum*, et sic est *repræsentatio quædam in anima, manifestans id quod est.* Hæc simplex apprehensio, prout ad ordinem idealem pertinet, constituitur per determinationem quamdam formalem, secundum quam manifestat hoc et non illud, puta, *hominem et non equum, rationem circuli et non trianguli, quid sit accidens et non quid sit substantia.* — Quæ formalis determinatio *Idea*, *Conceptus*, *Simplex dictio*, *Conceptus rei perceptæ*, ac multis aliis vocibus nominatur, de quibus supra (pag. 71) ; a logicis proprie *Terminus mentalis* dicitur, quia terminat operationem mentis sicut punctum lineam, et ab ipsa omnis motus mentis primo incipit, et in ipsam ultimo resolvitur.

Simplex apprehensio dicitur *simplex* bifariam : 1° Ex parte *objecti* et ex parte *modi*, quemadmodum contingit quando

mens uno simplici conceptu unam simplicem rem percipit, puta, *ens*, *unum*, etc. 2° Ex parte *modi*, et non *objecti*, sicut quando intellectus uno conceptu, quin aliquid affirmet vel neget (*en modus simplex*), rem compositam percipit, puta, *hominem album*.

Terminus mentalis, quia ad hominem pertinet ex anima et corpore constitutum, exprimitur extra per signum aliquod sensibile vel *voce* prolatum, vel *gestibus* oculis ostensum, vel etiam *scriptura* exaratum. Hoc signum sensibile est veluti ideæ vicarium; ea ratione institutum, ut per ipsum aliis manifestetur id, quod cognoscens sibi manifestat per proprium conceptum. Sed de ipso jam multa diximus (pag. 83 et sqq.), quæ non oportet repetere; solum de divisione vocabuli, quod et *terminus vocalis* dicitur, estque *sonus articulatus significativus ad placitum conceptus mentalis*, postea aliqua dicemus.

II. *Quam necessarium sit accuratum ac diligens examen instituere circa prædictam operationem.*

Simplex apprehensio, prout est quædam intellectiva manifestatio rei, potest absolute spectari in se, et sic est simplex aspectus mentis nihil de re affirmans, nihil negans; potest insuper spectari prout est terminus ex quo constituitur judicium, et sic habet rationem prædicati vel subjecti; potest demum spectari prout ex ipsa formatur discursus, et sic habet rationem medii termini, vel majoris vel minoris extremi, ut proprio loco posthac videbimus.

Ex his autem quisque colligere debet, quam necessarium sit, sedulo diligenterque de hac prima intellectiva operatione tractare. Etenim ab ipsa ædificium scientiæ totum dependet; est quippe principium a quo omnis cognitio incipit, et elementum ex quo tota sequens cognitio constituitur : errare in ipsa parum quid videri potest a principio, sed profecto magnum erit in fine. « Si notiones ipsæ (quæ verborum animæ sunt), ait Baco de Verulamio, male et varie a rebus

abstrahantur: tota fabrica corruit. Neque laboriosa vel consequentiarum argumentorum, vel veritatis propositionum examinatio rem in integrum unquam restituet; cum error sit, ut loquuntur medici, in *digestione prima;* quæ a functionibus sequentibus non rectificatur (1). »

CAPUT II.

DE DIVISIONE TERMINORUM.

I. *A quonam principio sumenda sit divisio terminorum, quæ ad logicam spectat.*

Divisio terminorum, prout ad logicam spectat, haudquaquam sumenda est ex parte objectorum quæ per conceptus significantur; sed solum ex parte conditionum generalium, secundum quas conceptus repræsentantur in mente. Cum enim hujusmodi divisio tota *logica* esse debeat, merito proinde tota ex parte conceptuum, ipsa desumatur oportet.

Jam vero, conditionum generalium, secundum quas conceptus repræsentantur in mente, quædam a vocabulis non exprimuntur una cum conceptibus : utputa, hæc vox *rationalitas* non exprimit conditionem conceptus, num scilicet *clarus* an *obscurus* ipse sit; quædam vero exprimuntur, sicut hæc vox *humanitas* exprimit conceptum humanitatis, et simul conditionem ejus, quod scilicet sit conceptus abstractus.

Ex his ergo apparet, ex duplici capite sumi posse divisionem terminorum mentalium. Una, *quæ sumitur ex parte conceptuum sine relatione ad terminos vocales.* Altera, *quæ sumitur ex parte conceptuum cum relatione ad terminos vocales, a quibus exprimuntur.*

(1) De Augm. scient. lib. V, cap. 2.

II. *De divisione conceptuum, qui non referuntur ad terminos vocales.*

Incipiendo itaque a divisione terminorum mentalium, seu conceptuum, qui non referuntur ad terminos vocales, dico : *Conceptus alii sunt intuitivi, alii abstractivi; alii sunt directi, alii reflexi; alii sunt clari, alii obscuri; alii distincti, alii confusi; alii completi seu comprehensivi, alii incompleti; alii sunt conceptus ultimati, alii non ultimati.* Omnes hi conceptus, exceptis conceptibus claris et obscuris, distinctis et confusis, completis et incompletis, de quibus supra diximus cum de *veritate* loqueremur (pag. 92, et sqq.), singillatim sunt declarandi.

Conceptus intuitivus : Etsi, inspecta origine hujus vocis *intuitus*, quæ ab *intueri* dicitur et aspectum mentis significat, etsi, attento usu aliquorum auctorum, conceptus intuitivus dici possit de omni intellectiva repræsentatione, per quam immediate, statim, uno ictu, uno simplici aspectu veritas videtur; nihilominus secundum communiorem acceptionem in philosophia, *conceptus* seu *notitia intuitiva* proprie dicitur de conceptu mentis repræsentante aliquid actu existens, aliquid objective præsens intellectui secundum actualem existentiam, ita scilicet *præsens*, ut intuitus videntis terminetur in rem ipsam sicuti est in proprio esse, sine abstractione. Sicut quando quis percipit immediate ortum vel occasum solis, cursum fluminis, hominem sedentem, vel ambulantem. — Conceptus intuitivus definiri potest : *Est conceptus per quem cognoscitur res particularis existens, quatenus immediate objicitur intellectui, ut est in se.*

Conceptus abstractivus : Conceptus abstractivus *est conceptus rei absentis*, sive absentia provenit, quia res sine actuali existentia concipitur, quemadmodum contingit quando aliquis in abstracto res cognoscit, ex. c. *justitiam*, *sapientiam*, etc.; sive quia, quamvis ut existens concipiatur, non tamen est objective per se immediate præsens aspectui intellectus. Ex. c. Astrologus, qui scit hic et nunc hora tertia post meridiem esse eclipsim, si eam non percipit immediate per se, cognitio ista *abstractiva* dicitur.

Conceptus directus : Conceptus directus dicitur, *quo cognoscitur aliquod objectum extra ipsum conceptum existens* ; utputa, mundus externus, ratio sapientiæ, vel justitiæ, vel immortalitatis, etc.

Conceptus reflexus : Conceptus reflexus dicitur, *quo mens proprium suum conceptum cognoscit*, quemadmodum contingit, quando quis intelligit se intelligere.

Conceptus ultimatus : Conceptus ultimatus *est conceptus significatus per vocem*; sic conceptus quem intelligo per hanc vocem *sanctitas*, ultimatus dicitur.

Conceptus non ultimatus : Conceptus non ultimatus *est conceptus vocis, per quam significatur conceptus rei*; sicut quando concipio vocem *homo*, per quam significatur conceptus rei, quæ est homo.

Hujusmodi omnes conceptus dividuntur, ut patet, sine relatione ad terminos vocales, a quibus non exprimuntur; non enim quando exprimo conceptum animalitatis, vox ista *animalitas* simul exprimit, quod conceptus ille sit intuitivus vel abstractivus, directus vel reflexus, clarus vel obscurus, etc.

III. *De divisione terminorum mentalium seu conceptuum, qui significantur per terminos vocales.*

Cum hic fiat sermo de divisione terminorum mentalium, qui significantur per terminos vocales, nullum proinde discrimen est faciendum inter divisionem terminorum mentalium et vocalium; sed divisio ipsa terminorum vocalium est divisio terminorum mentalium.

1° Ex terminis igitur vocalibus ii, *qui rem aliquam* significant *positivi* dicuntur, ut *homo*, *lapis*, etc.; *qui rei absentiam* significant, *negativi*, ut *cæcitas*, *nihil*, etc. — Termini positivi *particula negativa affecti*, ut *non homo*, *non lapis*, etc., *infiniti*, vel *indefiniti*, vel etiam *infinitantes* in schola nuncupantur. — Est autem hic advertendum, esse quosdam terminos, qui *voce* quidem sunt *negativi*, non autem *sensu*; ut *infi-*

nitum, *immortale*, *immensum*, *innocens* : hæc vocabula enim aliquid positivum significant, a quo esse finitum, esse mortale, esse mensum, esse nocens removetur. — Econtra, alii sunt *positivi voce*, *sensu* vero negativi; ut *mortale*, *corruptibile*, *peccatum*, etc.— Alii vero et *sensu* et *voce* sunt negativi; ut *injustus*, *impius*, etc.

2° Ex terminis vocalibus ii, *qui de pluribus dicuntur secundum eumdem omnino conceptum*, nominantur *univoci*; sic *homo* est una vox, quæ de pluribus dicitur secundum rationem prorsus eamdem, ut cum dico : *Emilius est homo*, *Antonius est homo*, non aliam et aliam rationem de Emilio et Antonio prædico per hanc vocem homo, sed eamdem omnino.

Qui vero de pluribus dicuntur, non secundum eumdem omnino conceptum, sed prout aliquo modo illa plura ut unum concipiuntur, nominantur *analogi*, vel etiam *æquivoci a consilio*. Si fundamentum ex quo unitas ista analogiæ concipitur, sit *secundum habitudinem ad unum principale*, tunc termini qui conceptum hujus unitatis exprimunt, *analogi attributionis* dicuntur; sic *conceptus sanitatis* prædicatur de cibo, de medicina, de pulso, secundum analogiam attributionis, quia secundum aliqualem unitatem concipiuntur ista, per ordinem ad sanitatem quæ est in animali; dicitur enim medicina sana, quia sanitatem efficit; cibus sanus, quia eam conservat; pulsus sanus, quia eam significat. Si vero fundamentum ex quo unitas ista analogiæ concipitur, sit proportio aliqua quam plura habent inter se, tunc terminus, per quem conceptus hujus proportionis significatur, dicitur *analogus proportionalitatis*; sic *pes* de ima parte montis, de ima parte tabulæ, et de membro inferiori corporis animalis, secundum analogiam proportionalitatis prædicatur; eodem modo *ridere* de homine dicitur et de prato.

3° Ex terminis vocalibus ii, *qui significant id quod menti objicitur ut aliquid per se*, *categorematici* nuncupantur, seu *significantes per se*; *ut homo*, *animal*, *lapis*, *Angelus*, etc. — Hi termini sine consortio aliorum possunt esse subjectum, vel

prædicatum propositionis. *Qui vero significant id quod objicitur menti, tanquam modificationem alicujus rei, non autem ut aliquid per se, syncategorematici* in schola nuncupantur seu *significantes cum alio*; quia se solis non significant, sed alteri conjuncti, ut *omnis*, *nullus*, *aliquis*, *etiam*, *velociter*, *faciliter*, etc.

4° Verum terminorum categorematicorum plures sunt subdivisiones. Nam terminus categorematicus 1° alius est *communis*, alius *singularis* : communis est *qui de pluribus dicitur* : vel de pluribus tantum simul acceptis, puta, *populus*, *exercitus*, *ecclesia*, etc. (1); vel de pluribus simul et de singulis, uti *substantia*, *homo*, etc. Si primo modo, *communis-collectivus* nominatur; si posteriori, *communis-distributivus*. Dicitur etiam *universalis*, dummodo terminus-communis-distributivus *univoce* prædicetur de pluribus, puta, *animal*. Singularis vero dicitur terminus, qui de uno tantum prædicatur, ut *Aurelius*, *Antonius*, etc.

2° Terminus categorematicus alius est *adjectivus* seu *connotativus*, et alius *substantivus* : Dicitur connotativus seu adjectivus, *qui aliquid significat per modum alteri adjacentis*; *ut justus*, *sobrius*, *prudens*, significant justitiam, sobrietatem, prudentiam alteri adjacentem. — Substantivus, *qui significat aliquid quod per se stat*, sive reipsa substantia sit, ut *homo*, *lapis*, etc., sive instar substantiæ concipiatur, h. e. sine subjecto, ut *albedo*, *pulchritudo*, *bonitas*, *virtus*, etc.

3° Alius est *concretus*, et alius *abstractus* : Concretus *qui significat aliquod constitutum ut quod* : vel clarius, *qui signi-*

(1) Terminus collectivus quandoque sub aliquo respectu ut *distributivus* haberi potest, quando nempe utimur illo ad exprimendas collectiones ejusdem rationis. Sic hac voce *populus*, quæ multitudinem ordinatam hominum significat, utimur *distributive*, quando diversas nationes significare volumus; et sic de Italis prædicatur, de Belgis, de Gallis, de Anglis, etc. Idem de hac voce *exercitus* dicendum est, ac de multis aliis.

ficat formam in subjecto, quin ea omnia quæ sunt præter naturam subjecti, excludantur; utputa, *homo*, *lapis*, *animal*, *homo pulcher*, *animal currens*, etc. — Abstractus, *qui significat formam sine subjecto*, excludendo ea omnia quæ sunt præter ipsam; ut *humanitas*, *animalitas*, *sapientia*, *doctrina*, etc.

4° Alius est *realis*, seu *primæ intentionis*, et alius *logicus*, seu *secundæ intentionis* : Terminus qui significat *aliquid secundum statum quem res habent in natura*, *sine dependentia ab intellectu*, ut *aqua*, *ignis*, *mons*, *terra*, *equus*, *homo*, etc. est terminus *realis*, seu *primæ intentionis*. Qui autem *significat statum quem res habent in mente et non in seipsis*, dicitur *logicus*, seu *secundæ intentionis*, ut *genus*, *species*, *prædicatum*, *subjectum*, etc. (1).

5° Ultimo, termini categorematici subdividuntur in terminum *complexum* et *incomplexum* : Ratio propria termini complexi in eo consistit, quod *ex pluribus constituatur terminis, quorum singuli aliquid significant*; quapropter etiam una integra oratio, dummodo partes ejus unum totum constituant, terminus complexus dici potest (2). Contra, ratio termini incomplexi in eo continetur, ut partes ejus seorsim non significent : vulgo definitur, *qui uno signo unam rem significat*; ut *unum*, *ens*, *homo*, *leo*, etc. Atque hæ sunt omnes subdivisiones termini categorematici, seu significantis per se.

(1) Recte hi termini dicuntur *primæ et secundæ intentionis* : nam status, quem res habent in seipsis, est id quod primo convenit eis; status vero quem habent in mente, est aliquid quod eis convenit secundario, ope reflexionis disponentis res in modum prædicati et subjecti, in modum generis, differentiæ et speciei.

(2) Pro accuratiori notitia termini complexi nota : Terminus alius est complexus *voce* et non *re*, quando nempe plures voces eamdem rem simul significant; ut *Marcus-Tullius-Cicero*. Alius *re et non voce*, quando una vox plures res simul significat; ut *Philosophus*, significat enim philosophiam et habentem ipsam. — Alius *re et voce*, ut *homo probus*. — Alius demum *neque re neque voce*, *sed conceptibus*; quando nempe una vox significat unum aliquid, quod in plures conceptus potest resolvi. Sic quod

5° Denique, divisio terminorum sumi potest ex comparatione ipsorum inter se. Sic autem termini dividi possunt in *impertinentes* seu *disparatos*, qui scilicet nullam habitudinem habent inter se; ut *dulce et album*, *materia et spiritus*, *justitia et doctrina*, etc.

In repugnantes, quorum nempe unus opponitur alteri; ut *visus cæcitati*, *calor frigori*, *dulce amaro*, *album nigro*, etc.

Demum in *pertinentes*, qui videlicet aliquo modo conveniunt ac uniuntur inter se : 1° quatenus unus de altero prædicari potest; et sic terminus vocalis dividitur in *subjectum* et *prædicatum* : *subjectum* nominatur id de quo aliquid dicitur, id vero quod dicitur est *prædicatum*. Ex. c. in hac propositione : *Petrus est justus* — *Petrus* est subjectum, *justus* vero prædicatum.

2° Quatenus *unus infertur ab alio*, vel etiam *mutuo se inferunt* : et sic terminus dividitur *in antecedentem*, qui definitur *ex quo alius infertur*; *in consequentem*, nimirum *qui infertur*; et *in reciprocum*. Ex. c. In hoc discursu : *Est homo*; *ergo est animal* — *homo* habet rationem termini *antecedentis*, animal vero *consequentis* : — Rursus : *Est quadratus*; *ergo habet quatuor angulos*; — vel *Habet quatuor angulos*; *ergo est quadratus* — in hoc discursu, *habere quatuor angulos* et *esse quadratum*, dicuntur *termini reciproci*, quia mutuo se inferunt.

3° Quatenus unus respicit omnia quæ sunt, utpote qui in omnibus intime includitur, penetrans ultimas omnium diffe-

significatur in hac voce *homo*, resolvi potest in conceptum rationalitatis, animalitatis, viventis, substantiæ, entis; est enim homo rationalis, animalis, vivens, substantia, ens. Et hoc modo quidem omnes termini sunt complexi; excipiuntur tamen *ens*, *unum*, *verum*, *bonum* : hæ voces enim duntaxat, supremos ac ultimos rerum conceptus exprimunt, qui in alios conceptus resolvi nequeunt. Ex his autem colligi potest, et ipsum terminum *incomplexum* accipi posse trifariam : Est enim terminus incomplexus *voce et non re*, ut *poeta*; incomplexus *re et non voce*, ut *animal rationale;* incomplexus demum *voce et re, sed non conceptibus*, ut *homo*, etc.

rentias, easque comprehendens. Hujusmodi terminus *transcendens* dicitur, ut *ens*, *unum*, *verum*, *bonum*, *aliquid*; quarum vocum significatio in omnibus quomodocumque existentibus includitur. — Vel etiam quatenus unus terminus respicit alios secundum quandam determinatam rationem genericam vel specificam quæ de ipsis dicitur : ut *corpus*, *vivens*, *animal* significant quasdam determinatas rationes genericas, quæ omnia corporalia, omnia viventia, omnia animalia respiciunt. Hujusmodi terminus *categoricus* dicitur. Et hæc de divisione terminorum vocalium satis sunt. In qua divisione non tam sonus articulatus vocis, quam illæ ipsæ diversæ conditiones conceptuum sunt sedulo ac subtiliter perspiciendæ; quarum cognitio quam necessaria sit, paulo post videbimus; si prius tamen de divisione, quæ est propria terminorum vocalium, aliqua dicantur.

IV. *De divisione terminorum, quæ exclusive ad vocales pertinet.*

Exposita divisione, quæ terminorum mentalium seu conceptuum est propria, nec non illa quæ ad terminos orales, propter habitudinem quam ipsi habeant ad diversas conditiones conceptuum exprimendas, spectat; in præsenti de divisione terminorum, quæ exclusive ad vocales pertinet, breviter est dicendum. Terminus igitur vocalis 1° alius est *significans* et alius *inanis* : Ille dicitur, qui ad aliquid significandum quod revera est, est institutum; ut hi termini : *motus*, *quies*, *corpus*, etc. Iste, cui subjicitur significatio phantastica in natura non existens, ut *centaurus*; vel etiam repugnans, ut *circulus rectilineus*, etc.

Aliqui præter allatam, aliam significationem tribuunt termino qui *inanis* vocatur, ut scilicet dicatur ille, *cui nullus omnino sensus subjicitur*; hujusmodi sunt : *Blitry*, *Itry*, *Scyndapsus*, *Sciarchitolen*, ac aliæ quæcumque voces, quæ nihil omnino significant. Verum non recte isti loquuntur : nam vox quæ nihil omnino significat, non habet rationem

termini; est enim natura termini, ut aliquid significet. «Tum nomen fit, ait Aristoteles, *quando fit symbolum* (1).» Videtur ergo poni non posse aliquam vocem, quæ habeat rationem *termini*, quæ tamen nihil omnino significet (2).

2° Terminus vocalis alius est *fixus*, alius *vagus* : Fixus dicitur *qui nonnisi ad unum conceptum significandum adhibetur*, quique proinde definitam ac constantem significationem habet, ut *circulus*, *homo*, etc. — Vagus vero dicitur ille, *qui modo unum conceptum significat, modo alium, a casu et sine ordine;* ut hæc vox *canis* modo sidus significat, modo piscem, modo animal domesticum; sic etiam hæc vox *natura* quandoque omnia entia quæ generantur, *collective* significat, quandoque principium intrinsecum seu essentiam cujuslibet rei; item hæc vox *hypostasis* penes veteres Patres modo essentiam significat et modo personam; etc. Hujusmodi termini nuncupantur etiam, termini *incerti*, *æquivoci*, *ambigui*.

3° Alius *clarus*, alius *obscurus* : Ille dicitur, *de quo omnibus constat ad quid significandum impositum fuerit*; — iste, *de quo non satis constat*.

4° Alius *civilis*, alius *philosophicus* : Ille dicitur, *quo vulgo tota communitas utitur ad aliquid significandum*; iste, *quo scientiarum professores utuntur ad aliquid præter communem intelligentiam, cum præcisione significandum*.

5° Alius denique *obsoletus*, et alius *usitatus* : Obsoletus, *qui ab usu communi non amplius recipitur;* contra *usitatus*, cujus usus a communitate recipitur. — Et hæc pro absolvenda materia de divisione terminorum sufficiunt.

(1) Lib. Periherm. cap. II, edit. Didot. tom. I, pag. 25.

(2) Non abs re erit hic adnotare, nonnullos nimis præcipites esse in referendo inter inanes, terminos illos, quorum significatio est ipsis ignota. Hoc detractoribus scholæ contingere solet : nam quia vim, quæ terminis scholæ subjicitur, ipsi ignorant, eos statim ut *inanes* damnant. Quod tamen injurie faciunt, quippe horum terminorum vim alii explorate cognitam et bene perspectam habent.

V. *Quid ex hac divisione terminorum debeat colligi.*

Ex hac autem divisione terminorum tria comperiri debent : 1° Conditiones secundum quas res per conceptus objiciuntur intellectui, multiplices esse atque diversas inter se. Alia enim est conditio secundum quam res modo abstracto, et alia secundum quam res modo concreto obversantur intellectui ; alia secundum quam in communi, et alia secundum quam in singulari, etc. Quæ omnia accurate animadverti debent, pro confusione vitanda.

2° Harum intellectualium conditionum, quædam respondent modo essendi rerum in natura, hoc est, repræsentant res eo modo essendi, quem habent extra animam ; quædam vero non respondent, sed totæ se tenent ex parte intellectus percipientis ; unde et *modi logici* proprie dicuntur. Ex. c. Quod repræsentatur in mente ut aliquid *positivum* sub hac voce *homo*, vere est aliquid positivum a parte rei, quod ut *singulare* sub hac voce *Petrus*, vel ut *concretum* sub hac voce *animal*, vel ut *oppositum* sub his vocibus *calidum* et *frigidum*, *album* et *nigrum*, etc., est vera ratio singularis, vera ratio concreti, vera ratio oppositi, etc., eo modo quo existit extra intellectum. Sed conceptus *abstractus* sub hac voce *humanitas*, repræsentans formam separatam a subjecto et excludentem quidquid est præter essentiam hominis, repræsentat quidem aliquid extra animum, sed non eo modo, quo est extra animum. Estne a parte rei humanitas sic separata a subjecto, et ab iis omnibus quæ inhærent subjecto? Sic etiam conceptus *universalis* sub hac voce *homo*, qui repræsentat aliquid commune omnibus individuis humanæ speciei, in mente habet unitatem, quæ nullo modo est a parte rei. Estne a parte rei forma aliqua una numero, quæ sit communis omnibus individuis humanæ speciei? Modus ergo quem habent res per conceptus in mente, quandoque respondet, et

quandoque non respondet modo, quem res habent in seipsis(1). Et hæc bene notentur.

3° Ex dictis demum colligi potest, quinam sint illi conceptus, quænam sint vocabula illa, quæ intellectui obscuritatem et occasionem errandi præbent : *Quicumque conceptus res definite non significant, quæcumque vocabula conceptus definite non significant, obscuritatem et occasionem errandi intellectui præbent*, *ut postea dicemus*.

CAPUT III.

DE RECTITUDINE ET PRAVITATE SIMPLICIS PERCEPTIONIS.

I. *Simplex perceptio semper est vera.*

Cognita natura intellectivæ perceptionis, variis ac diversis conceptibus, quibus ipsa formaliter perficitur et terminatur, enumeratis, modo de rectitudine et pravitate ejus dicendum est. Inprimis vero oportet recolere, proprium esse simplicis perceptionis, *ipsam semper veram esse, nunquam autem per se falsam*. Operatio enim intellectiva, apprehendens aliquid modo simplici et incomplexo, quin scilicet aliquid de re percepta affirmet vel neget, nequit percipere nisi ens, et proinde nisi

(1) Hic diversus modus essendi rerum in intellectu et in propria natura, cognitionem intellectus non depravat ; quia res quæ cognoscuntur habere hunc modum in intellectu, cognoscuntur simul habere alium modum essendi in natura. Ex. c. Humanitas, quæ est natura humana in abstracto, dum cognoscitur habere modum abstractum in intellectu, cognoscitur simul secundum se, prout existit in natura, habere modum concretum. In hac ergo diversitate status, rerum nempe in intellectu, et in seipsis ex parte naturæ, nullum est mendacium.

verum. Hujusmodi est autem simplex apprehensio, ut supra dictum est. Ergo simplex apprehensio semper ens percipit. Ergo semper verum. Ergo nunquam potest per se esse falsa.

At dicet aliquis : Cum intellectus, nuntiantibus sensibus, percipit turrim quæ est quadrata, tanquam rotundam, nonne fallitur? Respondendum est : Non fallitur. Et ratio est, quia dum turrim quæ est quadrata, tanquam rotundam apprehendit, non affirmat reipsa hic et nunc turrim esse rotundam, sed abstrahendo ab eo quod turris de facto est, hoc unum quod sensus referunt, percipit, rotunditatem scilicet et turrim, quin ullum judicium proferat dicendo : *Turris reipsa est a parte rei rotunda.*

Itaque, si simplex apprehensio pura in proprio munere servetur, sine alicujus compositionis admixtione, ipsa circa repræsentationem veri est indeficiens ; et quemadmodum lux in illuminando, calor in calefaciendo, nunquam deficere possunt, ita quoque simplex perceptio, nunquam in manifestatione veri deficere potest.

II. *Simplex perceptio, sine cultura sibi relicta, obscure, cum confusione, modo deminuto manifestat verum.*

Verum sicut lux non semper *pure* lucet, sic etiam simplex perceptio non semper *pure* manifestat veritatem. Etenim manifestatio veritatis *pura* in eo consistit, quod res cognita lucido ac definito modo in propria unitate ita repræsentetur, ut facile ac sine labore ab omnibus aliis rebus secerni possit. Deinde quod omnia, ex quibus eadem res cognita actualiter-formaliter constituitur, ostendantur. Demum, quod non solum quæ *formaliter-actualiter*, verum etiam quæ *virtualiter* in re cognita continentur, aperiantur, manifestando scilicet, modo quo permittitur statui præsenti humanæ naturæ, omnia quæ res habet in sua substantia, in virtute et efficientia sua. In hisce tribus ergo, manifestatio pura veritatis continetur, videlicet, debet esse *clara, distincta, completa.*

Jam vero, aperte constat per experientiam, simplicem apprehensionem, nondum rite excultam, manifestare res vago ac indefinito modo, h. e. *obscure*; modo involuto, non ostendendo illa ex quibus res formaliter-actualiter constituitur, h. e. *confuse*; modo deminuto, nihil aperiendo de iis quæ virtus et efficientia rei complectitur, h. e. *imperfecte*. Ergo verum est asserere, quod si simplex apprehensio hominis inculta relinquatur, nequeat ipsa *pure* manifestare veritatem; sed prava est, a debita manifestatione veri deficiendo (1).

(1) Hæc pravitas simplicis perceptionis aperte per experientiam comperiri potest : 1o Dum apprehendere nitimur quæ pertinent ad conceptus. Nam modo implicato et valde obscuro, modo imperfecto et deminuto, multiplices illæ, ac diversæ conditiones generales conceptuum a nobis percipiuntur. Et vere, quis potest clare, distincte ac perfecte, sine data opera apprehendere omnes conditiones illas *abstractionis*, *concretionis*, *univocationis*, *analogiæ*, *universalitatis*, *singularitatis*; habitudines omnes illas conceptuum *antecedentis* scilicet et *conseqnentis*, *repugnantium inter se*, *transcendentalium atque categoricorum*, etc.? Insuper simplex perceptio, ut supra diximus, formatur aliquo modo et exercetur concursu phantasmatum et vocabulorum : quæ duo, etsi ex una parte mentem ad percipiendum adjuvent, ex alia parte tamen obscuritatem multam atque confusionem ei possunt ingerere. Etenim hæc tria, videlicet *conceptus*, *phantasma*, *vocabulum*, cum inter se naturaliter jungantur, a mente, quæ rite non est exculta, ut aliquid unum sine distinctione concipiuntur. Et hoc patet in rudibus, et etiam in doctis ; quippe plerumque et ipsi qui docti dicuntur, conceptibus substituunt phantasmata atque vocabula, iisque pascuntur, de iis acriter disputant; ac sane non essent inter homines tot pugnæ, si phantasmatum et vocabulorum velamine conceptus non tegerentur. *Est igitur verum, quod dum quæ ad conceptus spectant, apprehendere nitimur, obscuram, confusam, incompletam, perceptionem nostram esse experimur.*

2o Eadem pravitas comperiri potest, dum percipere nitimur objecta, quæ per conceptus manifestantur. Siquidem quidditas rerum, earumque proprietates, distinctio, diversitas ac ordinatio, quam res habent inter se, earum origo ac finis, sine claritate, sine distinctione, valde imperfecte a nobis percipiuntur, ut discurrenti patet.

3o Demum, dicta pravitas considerari potest in cognitione, quam

III. *Causa obscuritatis, confusionis, et deminutionis in simplici perceptione est a natura, et ab homine.*

Causa vero hujus obscuritatis, confusionis et diminutionis in simplici perceptione, *est a natura* et *est ab homine*. A natura quidem, Deus enim talem nunc vult esse naturam hominis, ut quamvis a principio quandam anticipatam, inchoatam, et quasi seminalem cognitionem de rebus naturalibus humanæ menti inserat; tamen, uti experientia testatur, conatui ac studio hominis relinquere intendit, ut propria virtute, claram, distinctam, integram, perceptionem veri sibi formare curet.

homines habent de habitudine existente inter conceptus et res repræsentatas per conceptus. Etenim in omni operatione intellectus, ac consequenter in simplici perceptione, est res objecta et est ratio per quam ipsa objicitur, nempe interior manifestatio ejus in intellectu. Insuper, etsi simplex perceptio apprehendat res secundum illam conditionem ac statum, quem habent in natura; nihilominus ipsius est proprium, posse etiam res concipere abstrahendo ab illo statu existentiæ, quem habent in natura. Sic intellectus concipit naturam abstrahendo ab ejus actuali existentia, vel ab illa compositione seu concretione accidentium, quibus ipsa perficitur; sic etiam naturam, quæ a parte rei est singularis, concipit tanquam universalem, et quæ diversa sunt separataque inter se, concipit sub analogica unitate. Porro ex hac parte grandis obscuritas, et confusio magna contingit esse in simplici apprehensione mentis; quandoquidem rationem repræsentativam rei cum re repræsentata ipsa permiscet; insuper statum illum, quem res habent in mente, et quem habent in natura, mutuo confundit; et hoc modo rationem objectivam et subjectivam cognitionis totam perturbando, mens quandoque tribuit *objecto* id, quod totum se tenet ex parte subjecti cognoscentis, et quandoque tribuit *subjecto* id, quod totum se tenet ex parte objecti cogniti.

Ex quibus omnibus manifestum fit, tum circa se, tum circa objecta, tum circa habitudinem sui et objectorum, simplicem perceptionem, nisi exculta fuerit, obscuram esse, confusam, et incompletam.

Ex quibus apparet, eam esse legem humani intellectus, ut ex virtute sibi collata, eo modo quo et ipsa natura corporea, proprio conatu debeat sese evolvere, incipiendo ab obscura, confusa, incompleta perceptione, ac gradatim perveniendo ad claram, distinctam atque completam.

Alia causa est ab homine : Nam cum homo acceperit a Deo virtutem percipiendi res naturales modo claro, distincto et integro; ipse tamen aut vim intellectualem non exercet, aut si exercet, tumultuarie et inordinate hoc facit, sine attentione, sine debita applicatione earum facultatum, a quibus primo oritur cognitio intellectiva; idcirco nullum inquisitionis suæ fructum capere potest. — Est igitur verum, quod causa obscuritatis, confusionis, deminutionis in nostra perceptione a duobus sit, a natura scilicet, quæ a principio condit hominem imperfectum, et ab ipso homine.

Ex dictis autem in hoc capite colligi debet id, de quo alibi jam dictum est, *primam nempe operationem mentis a logica dirigi, non ut mens verum cognoscat, sed ut verum quod cognoscit, clare, distincte et perfecte apprehendat*. Est enim simplex apprehensio mentis ex sua natura determinata ad manifestandum verum; eaque, cum sit initium a quo exercitium facultatis intellectivæ primo incipit, ab omnibus iis quæ spectant intellectum, et proinde ab ipsa logica, veluti fundamentum de cujus veritate nequit dubitari, præsupponi debet. — Et hæc de rectitudine et pravitate simplicis perceptionis sufficiunt.

CAPUT IV.

DE MODO QUO PRIMA OPERATIO MENTIS A LOGICA DIRIGITUR, UT VERUM QUOD IPSA COGNOSCIT, CLARE, DISTINCTE AC PERFECTE MANIFESTETUR.

I. *Ut quis perfectam perceptionem veri elicere possit, debet rite adhibere media cognitionis ad suscipiendam impressionem objecti, et aciem intellectus intendere ad illud considerandum.*

In hoc quarto capite expendendus est modus, quo logica utitur ad illam pravitatem simplicis perceptionis removendam, quæ est obscuritas, confusio ac deminutio. Dicendum est igîtur : Cum obscuritas nonnisi per claritatem, confusio nonnisi per distinctionem, deminutio nonnisi per integritatem a perceptione veri removeri possit, idcirco eo modo quo logica utitur ad claram, distinctam, perfectam perceptionem veri formandam, eodem omnino debet uti pro obscuritate, confusione ac deminutione removenda. Modus autem, quo logica utitur ad claram, distinctam, perfectam perceptionem veri formandam, totus continetur in debito usu eorum, quæ ad perceptionem gignendam requiruntur : non enim ab alio gignitur simplex perceptio, et ab alio modus ille recte percipiendi, sed ab uno et eodem. Ergo modus quo logica utitur pro obscuritate, confusione ac diminutione removenda a simplici perceptione, *in debito usu eorum quæ ad perceptionem gignendam requiruntur, totus continetur.*

Porro, quæ ad simplicem perceptionem gignendam requiruntur, sunt duo : 1° Requiritur, quod animus secundum aliquam impressionem aliquo modo penes se suscipiat rem cognoscendam. Nisi enim res cognoscenda fiat præsens animo, eumque quodammodo informet atque determinet, haudquaquam potest animus intellectiva sua virtute uti ad

determinatam perceptionem eliciendam. Hinc illud majorum nostrorum axioma : *Cognitio fit secundum quod cognitum est in cognoscente.* Quod et ipsa experientia testatur; nam si unum ex mediis, quæ impressionem objecti suscipiunt, eamque ad intellectum deferunt, prorsus deficiat, statim et ipsa intellectiva perceptio circa illud determinatum objectum desinit esse. Possetne intellectus percipere facta exteriora existentia in natura corporali, si removerentur *sensus externi?* Aut facta interna, si *sensus intimus?* Aut similitudines rerum corporalium, si *imaginatio ?* Aut notiones universales, si *lumen intellectuale?* Aut quæ abdita sunt in principiis, si *vis deductiva?* Aut demum facta historica, et quæ captum rationis excedunt, si *fides ?* Hoc autem non esset, si vis intellectiva, impressione rei, ad ipsam percipiendam, non indigeret.

2° Requiritur, quod acies intellectiva super rem penes se susceptam, data opera feratur. Est enim vis intellectiva, quæ rem animo præsentem intelligibiliter illuminat, aperit et manifestat; uti ex aperta experientia comperitur. Possuntne mente distracti quicquam clare, distincte, integre intelligere?

Ad simplicem itaque perceptionem veri eliciendam est necessaria *præsentia objecti*, et *applicatio mentis circa objectum.* Verum, quia objectum fit præsens per facultates illas sequestres, quæ sunt media cognitionis, idcirco si quis perfectam perceptionem veri elicere cupiat, studeat hæc duo rite adhibere, media scilicet cognitionis ad suscipiendam impressionem objecti, et aciem intellectus ad illud considerandum.

II. *Ut rite adhibeantur facultates illæ, quæ sunt media cognitionis, debent diu, sæpe, cum applicatione animi, circa proprium objectum dirigi et exerceri ; intellectus vero debet cum attentione, objectum ab ipsis renuntiatum considerare.*

Verum quinam est modus rite adhibendi, tum media cognitionis tum applicationem mentis circa objecta, ut simplex apprehensio mentis possit esse perfecta? Respondendum est :

Media illa cognitionis, quæ sunt facultates animæ ministræ, ac instrumenta intellectus ad percipiendum, non perfunctorie et quasi alia agentes, sed ex proposito, ex serio desiderio sciendi, diu, sæpe, cum magna ac studiosa applicatione animi dirigi et exerceri debent circa propria objecta, ac patienter expectare quoadusque dicta objecta vividum sui sensum animo impresserint. Hoc solo pacto media illa, dummodo nullo vitio laborent, proponere et renuntiare possunt intellectui propria objecta, ac esse veluti stimuli, quibus mens ad perceptionem veri incitatur.

Deinde, operatione harum facultatum perfecta, tunc mens acie sua circa objecta proposita ferri debet, attente considerans *quid ipsa sint*; *quænam complectantur*; *qualis sit unaquæque pars in ipsis contenta*; ultimo, *quonam ordine idealiter distribui debeant partes divisæ*. Operatio mentis, sic circa objectum intenta, vulgo nominatur *attentio*, eaque definiri potest: *Diligens et accurata applicatio intellectus circa unum quid, quibuscumque aliis ad rem non pertinentibus, sepositis*. Ipsa, ut primam operationem mentis dirigere ac perficere possit, quatuor præstare debet : *Definire*, *Dividere*, *Abstrahere*, *Ordinare ac in unum colligere*. Hæc munia singulari quadam ratione ad dialecticam pertinent, eaque sunt maximi momenti. Quapropter de singulis, sedulo et accurate est dicendum; si prius tamen aliqua de iis quæ impediunt et quæ adjuvant attentionem mentis, proferantur.

III. *Stupor et hebetudo mentis, præoccupatio ipsius atque distractio, nec non aversio voluntatis, haberi debent tanquam impedimenta intellectivæ attentionis.*

Quoniam intellectualis aspectus, qui a principio est obscurus, confusus, incompletus et incompositus, clarificatur, distinguitur, ordinatur ac perficitur per attentionem mentis; idcirco de iis quibus attentio mentis impeditur, et quibus adjuvatur, breviter dicere oportet, ut intellectus sit cautus.

Incipiendo itaque ab impedimentis, dico : *Ea omnia tan-*

quam impedimenta attentionis haberi debent, quæ vel applicationem mentis circa objectum removent-prohibent, vel efficaciam operationis intellectivæ comminuunt. Jam vero, 1° quæ applicationem mentis circa objectum removent-prohibent, hæc sunt : 1° Est *stupor mentis*, secundum quem res aliqua, ut magna et insolita consideratur, vincens capacitatem mentis. « Stupens, ait S. Thomas, timet et in præsenti judicare et in futuro inquirere : unde... stupor est philosophicæ considerationis impedimentum (1). »

2° Est *hebetudo mentis*, quæ nihil est aliud quam mens retusa, acumine suo carens. A triplici causa ipsa potest esse, *a natura*, et de hac hebetudine modo non loquimur; *a passionibus vehementibus*, quæ animum scindunt et agitant; *et ab inordinato modo acquirendi scientiam*, quando nempe multa simul obversantur menti, quæ sine distinctione, sine ordine acquisita fuerunt. Tunc enim igniculus mentis, nimia ac inordinata quantitate materiæ obruitur et opprimitur.

3° Est *aversio voluntatis*. Etenim voluntas, si considerationi intellectus aliquid, a quo ipsa refugit, proponatur, omnem applicationem mentis, ut experientia constat, removet-prohibet. Hinc nunquam aliquis exstitit contemplator veritatis, quam ipse non amat. Odium, tenebrarum est pater, sicut amor, est lucis. « Intellectus *enim* humanus, ut bene dicit Baco de Verulamio, luminis sicci non est; sed recipit infusionem a voluntate et affectibus (2). »

4° Est *præoccupatio mentis*, quæ tribus modis effici potest : A charactere proprio ingenii uniuscujusque, quatenus quilibet juxta suam indolem, ad considerationem unius rei plus æquo convertitur (3). A formis quibusdam unitatis, præexis-

(1) D. Thom. 1a 2æ P., q. 41, a. 4 ad 4um.

(2) Novi Organi, lib. I, Aphor. 49o.

(3) Varii sunt characteres ingeniorum, e quibus removetur, prohibetur, saltem ex parte, attentio mentis. Sunt enim ingenia quædam acria,

tentibus in intellectu, secundum quas simul sub unitate et complexu, omnia vel plura concipiuntur (1). Demum ex opinione aliqua jam recepta (2). Hæc enim, dum mentem occupant, eamque ad unum reducunt, omnem considerationem ipsis extraneam, solent removere et prohibere. Hujusmodi igitur sunt illa, quæ applicationem mentis circa objectum, removent et prohibent.

2° Quæ vero efficaciam mentis comminuunt, quæ nempe efficiunt applicationem mentis debilem ac sine attentione,

acuta, lenta, abdita, profunda, quæ omnia per partes dissolvunt, ac interiora rerum earumque ultimas differentias, sine modo quærunt. Alia econtra sunt ingenia, inquieta, volatica, quæ cum præcipitatione, sine consideratione particularium, sine ordine, subito ad generalia quædam currunt, ad similitudines, analogias, ad relationes, ad umbras et summa rerum. Alia sunt ingenia in sensibilium, alia in invisibilium et abstractorum contemplationem effusa; alia antiquitatem suspiciunt et admirantur, alia novitatis sunt cupida. Quorum ingeniorum omnium ea est conditio, ut, dum plus æquo ad considerationem unius generis rerum sunt propensa, æqualitatem amittant, ac minus apta proinde existant ad attentam considerationem earum rerum, quæ alium modum aspiciendi exigunt.

(1) Formæ istæ unitatis, præexistentes in intellectu ac ipsum præoccupantes, sunt conceptus transcendentales, qui significantur sub his vocibus : *ens, unum, verum, bonum* ; sunt conceptus universales rerum, ut *conceptus substantiæ*, etc. Dum enim hujusmodi conceptus exhibent intellectui unitatem rerum, secundum similitudinem, hac rerum similitudine ipse conturbatus, non satis attente et acute differentias rerum, quæ sunt secernendæ, distinguere potest.

(2) Ad rem Baco de Verulamio : « Intellectus humanus in iis quæ semel placuerunt (aut quia recepta sunt et credita, aut quia delectant), alia etiam omnia trahit ad suffragationem, et consensum cum illis : Et licet major sit instantiarum vis et copia, quæ occurrunt in contrarium ; tamen eas aut non observat, aut contemnit, aut distinguendo summovet et rejicit, non sine magno et pernicioso præjudicio. » Novi Organi, lib. I, aphor. 46o.

revocari possunt in unum, nimirum *in distractionem* ipsius. Quæ distractio intellectivæ virtutis 1° ex eo oritur, quod intellectui hominis, *qui est finitus*, plura simul obversentur, quæ complecti non potest. Tunc enim plura simul respiciens, ejus virtus dispergitur quodammodo, ac minor efficitur circa singula, juxta illud : *Pluribus intentus minor est ad singula sensus.*

2° Distractio ista mentis nascitur quoque, quod aliqua alia facultas animæ, præter ordinem intellectus, circa proprium objectum vehementer applicetur ; puta, facultas imaginativa, concupiscibilis, vel irascibilis. Nam cum facultates activæ hominis ab eadem essentia animæ profluant, ac in ipsa fundentur, si una facultas, ab intellectiva diversa, in aliquid vehementer intendat, sequitur, quod ipsa facultas intellectiva in efficacia propriæ operationis remittatur. Et vere quidem, potestne quis intelligibilia contemplari, si ira vel concupiscentia, vel nimis concitata imaginatione tenetur? Nonne in propria activitate mentis, debilem ac remissum esse se sentit?

Consectarium est ergo, *stuporem et hebetudinem*, *præoccupationem et aversionem voluntatis*, *nec non distractionem mentis*, haberi debere tanquam impedimenta intellectivæ attentionis. Et hæc notare sufficit, ut intellectus sit cautus.

IV. *De iis quibus anima pro attenta consideratione intelligibilium adjuvatur.*

Ad adjumenta autem attentionis quod spectat, alia sunt, quæ ad attentam considerationem intelligibilium, animam *remote* præparant ; alia, quæ *proxime* : tum scilicet, cum mens actu se exercet circa cognitionem alicujus determinatæ veritatis.

1° Quæ remote adjuvant attentionem animi in contemplatione veritatis, sunt 1° *Puritas animæ* : Est puritas animæ solutio et libertas quædam, secundum quam anima, neque a falsis opinionibus, neque ab inordinato affectu rerum com-

mutabilium tangitur; consistit ipsa proinde in mente libera a præjudiciis, in voluntate libera a malis affectibus, sub se habente inordinatum appetitum sensus (1). Hæc autem puritas plurimum attentionem animi adjuvat. Etsi enim mali ac impuri homines et ipsi attente considerare possint veritatem, eamque agnoscere; tamen negari non potest, quod si oculus mentis fuerit purus, attentius et facilius intelligibilia perspici possint, plura quoque ac subliniora cognosci; insuper unionem veritatis et animæ esse penitiorem. «Quod vis videre, egregie ait Augustinus, mundum est, et immundum est unde vis videre! Prius ergo cogita de corde mundando.»

2° Alterum adjumentum est *amor veritatis*. Incredibile est quanti adjumenti sit amor, ut res attente consideretur : expolit ipse et acuit mentem; objectum et intellectum arcte connectit; omne fastidium expellit; alacrem et patientem facit animum in consideratione veri. Et quamquam ab intellectu sit tanquam a prima radice, est enim boni *cogniti*; tamen semel accensus, suo ardore in intellectum revertit, eumque fovet, ac magis accendit, ita ut mens multis non egeat, si de pectore capiat.

(1) Hanc puritatem animæ pro cognitione veri, cæteris omnibus adjumentis veteres præponebant, non solum Christiani, Alexandrini præsertim, verum et Ethnici. Non sit molestum si quæ Plato de purificatione animæ habet in septimo *de Republica*, huc afferam; est enim locus pulcherrimus : «(Socr.) An nondum animadvertisti eorum, qui mali quidem, sed sapientes dicuntur, quam acute videat acriterque perspiciat *animula* ea, ad quæ conversa est, ut quæ aciem habeat nequaquam hebetem, sed pravitati servire coacta sit, atque idcirco quo acutius videat, eo plus faciat mali? (Gl.) Sane quidem, inquit. (Socr.) Hoc tale igitur, inquam, ingenium, si statim a pueritia accisum purgaretur ab illis generationis affinibus quasi plumbeis ponderibus, quæ epulis et hujusmodi voluptatibus et deliciis adhærentia, mentis aciem ad inferiora detorquent, *his liberatum si ad vera converteretur, hæc quoque idem illud in eisdem hominibus non minus acutissime videret, quam quibus nunc est intentum.*» Civitas, lib. VII, edit. Didot, v. II, pag. 127.

3° Tertium adjumentum est *admiratio*; magni enim facit homo quæ ipse admiratur; quæ vero magni facit, uti experientia constat, cupit cognoscere; eaque proinde, ut assequi possit, attentius considerat(1).

4° Quartum adjumentum attentionis est *repetitum exercitium ipsius*. Siquidem per hujusmodi exercitium, modus ille attente res considerandi, in habitudinem vertitur; et ita usus ejus facilis evadit ac pene naturalis. Quod quidem esse videmus in iis, qui in aliqua arte sunt periti. Hi enim, quæ ad propriam artem spectant, fixis oculis, placide constanterque considerant, ac minutissima quæque vident, quæ aliorum aspectum fugiunt; uti aperte apparet in musicis et in pictoribus.

Compertum est igitur, animam puram, animam quæ amat, quæ admiratur, quæ, propter consuetudinem, cognationem quamdam contraxit cum objecto, ad operationem illam perficiendam, quæ *attentio* dicitur, esse paratissimam.

2° Anima autem ita parata,ad considerationem objecti quod

(1) In excitanda juvenum admiratione pro veritate cognoscenda, sobrietas et prudentia est necessaria. Solent enim aliqui tum in libris, tum in publicis lectionibus alumnorum animos erga veritatem non in admirationem excitare, sed stupore afficere ac deprimere, proponendo quæ ipsi dicunt, ut *magna*, ut *sublimia et recondita*, ut *salebrosa*, ut *difficillima*, *quæ vix ab aliquibus comprehendi possunt*. — Experientia didici quod, dum juvenes inter se familiariter conferuntur, etiam de rebus quæ cognitu difficiles sunt, sine multo labore, bene loquuntur et solvunt ; sed si eædem quæstiones, quodam solemni apparatu e suggestu ipsis proponantur, quasi exterriti fugiunt, vel turgida ac inflata imaginatione sine exitu quærunt. « L'une des raisons principales, bene ait Pascal, qui éloignent autant ceux qui entrent dans ces connaissances, du véritable chemin qu'ils doivent suivre, est l'imagination qu'on prend d'abord que les bonnes choses sont inaccessibles, en leur donnant le nom de *grandes*, *hautes*, *élevées*, *sublimes*. Cela perd tout. Je voudrais les nommer *basses*, *communes*, *familières* : ces noms-là leur conviennent mieux ; je hais ces mots d'enflure. » — Opuscules, *De l'art de persuader*.

amat et admiratur, accedens, regulis quæ sequuntur, diligenter utatur : 1° Examinet ipsa proprias vires, ut dignoscere possit, an objectum quod considerandum assumit, sit suæ capacitati proportionatum ; alioquin, si objectum nimis sit altum, animus obstupescit, ac ipsa rei magnitudine opprimitur.

2° In una eademque re diu persistat, mente in unum reducta, mente tranquilla, placida atque constanti, sine agitatione, quoadusque lumen rei affulgeat. — Ad hanc regulam servandam, locum solitarium, ac tempus matutinum eligat ; quæ duo ad recollectionem animi multum conferunt. Sic enim activitas animæ impressionibus rerum externarum minus subjecta, ab ipsis minus distrahitur, efficaciorque evadit in operatione sua.

3° Non semel ac iterum sed repetitis actibus in ejusdem rei considerationem intellectus redeat. Intellectus enim a principio non statim objectum possidet; sed postea pluries jam conatibus instauratis, necessitudine quadam cum objecto connectitur, possessor ejus efficitur, ac tandem mente sedata aspicit.

Hæc igitur sunt, quibus attentio mentis circa intelligibilia adjuvatur. Valent enim ipsa ad avocandum animum a rebus externis et sensibilibus, quæ subito animum afficiunt et movent, implent et inflant; ad compescendam activitatem sensuum, quæ distrahit ac discerpit activitatem mentis; ut sic ipsa ad se redeat, secum habitet, ac obtutu ejus in unum reducto, unum consideret.

CAPUT V.

DE DEFINITIONE NOMINALI.

I. *Triplex genus definitionis distinguitur, nominalis nempe, conceptualis et realis.*

Quoniam definitio maximi sit momenti, eaque in logica sit res præcipua, idcirco de ipsa non perfunctorie, sed accurate diligenterque est tractandum.

Definitio itaque est quidam modus sciendi (1), per quem,

(1) Per modum sciendi in schola intelligimus *orationem* (oratio, ut postea dicemus, est vox significativa ad placitum, cujus partes, separatim significant, ut *Virtus est amabilis) quæ aliquod ignotum manifestat.* In qua definitione notandum est, *manifestare* posse bifariam sumi. Uno modo, prout significat præsentationem objecti respectu potentiæ; sicut conceptus vel idea dicitur manifestare aliquid, quia per conceptum vel ideam, tanquam per medium, objectum repræsentatur ac manifestatur potentiæ : et sic *manifestare* non pertinet ad modum sciendi. — Alio modo prout significat *medium notius* ac *magis clarum*, per quod obscuritas, et confusio a cognitione tollitur : et sic *manifestare* pertinet ad modum sciendi. *Oratio* ergo *quæ tollit obscuritatem a cognitione, ac rationem objectivam, quæ est implexa, explicat et exponit, proprie modus sciendi nominatur.* — Modus sciendi sic acceptus, est triplex : *Definitio, Divisio, Argumentatio.* Definitio et divisio proprie respiciunt cognitionem earum rerum, quæ *immediate* percipiuntur. Definitio enim est instrumentum, per quod *obscuritas* a simplici perceptione aufertur, ac *quid res sit* clare cognoscitur. Divisio autem, quæ cum definitione rei arctissime conjungitur, ut postea dicemus, est instrumentum per quod *confusio* a simplici perceptione aufertur, ac *quotuplex res sit*, distincte cognoscitur. Argumentatio denique, quæ respicit cognitionem earum rerum quæ mediate cognoscuntur, est instrumentum per quod *quid rei conveniat, aut repugnet*, ex principiis, in quibus latitat, in lucem eruitur. Triplex igitur est

tanquam per aliquid notius, natura aliqua, obscure cognita, declaratur.

Triplex genus definitionis distingui posse videtur : 1° Est definitio nominalis, per quam *quid nomen significet* declaratur, ut si dico : *Vox quæ sonat* Dio *apud Italos*, Dieu *apud Gallos*, Gott *apud Germanos*, God *apud Anglos*, *idem significat*, *quod vox* Deus *apud Latinos*.

2° Est definitio *conceptualis*, per quam quænam sit conceptio, quam quis de aliqua re sibi format, abstrahendo sit ipsa realis, necne, declaratur ; ut si quis interrogatus, *quid de natura animæ ipse concipiat*, respondeat : *Concipio eam esse substantiam simplicem et spiritualem, per se subsistentem, sine dependentia a corpore, quæ tamen est forma substantialis ipsius*. Vel si cum materialista respondeat : *Concipio eam esse quid corporeum subtile et fluens, per nervos diffusum*.

3° Est definitio *realis*, per quam natura rei declaratur ; ut si dico : *Natura circuli hæc est, ut sit linea circa centrum, æqualiter a centro distans*.

Hoc triplex genus definitionis, ut patet, desumitur a diversitate *objecti*, circa quod unaquæque definitio versatur. Nam definitio nominalis proprie respicit *habitudinem vocis ad conceptum*, ad quem significandum vox est instituta. Definitio vero conceptualis proprie respicit *quid mens, rem aliquam percipiendo, de ipsa concipiat ;* declarat proinde rem non absolute in se, sed in ordine ad comprehensionem intelligentis ; non asserit ipsa qualis res sit in se, sed qualis repræsentetur in mente. Definitio demum realis proprie respicit *quid sit res ;* in ipsa *primo* et *directe* asseritur qualis res quæ definitur, sit in se. Quando enim definiendo Deum dico : *Deus est ens quo majus et melius cogitari non potest*, id quod

modus sciendi, qui proprie ac doctrinaliter per aliquid notius, manifestat quod est *obscurum*, quod *confusum*, quod est *in principiis occultum*. Hi modi proinde triplici quæstioni respondent : *Quid res sit* ; *Quotuplex sit ; Quid rei conveniat, aut repugnet*.

in hac definitione enuntiatur, repræsentatur quidem in mente, non tamen enuntiatur ut *quid* in mente, sed ut *quid* in re. Verum est igitur triplex esse genus definitionis, aliud *nominale*, aliud *conceptuale*, aliud *reale*. De singulis est dicendum. Et primo quidem de definitione nominali, est enim facilior.

II. *Germana via cognoscendi ad quid significanda nomina sint imposita, est usus. Usus vero ex etymologia comperiri potest, vel ex synonymia. Quod si vox plura inter se diversa significet, tunc, sufficienter enumeratis suis significatibus, qui intenditur, ab aliis secernatur. Si vero, nonnisi difficulter hoc fieri queat, vox omnibus significationibus suis denudata tunc consideretur, eique significatio, quam quis intendit, tribuatur.*

Non oportet de natura *definitionis nominalis* plura dicere ; satis est si intelligatur, *ipsam consistere in declaratione habitudinis, quam vox habet ad conceptum, ad quem significandum fuit instituta.* Re quidem vera : Definitio nominalis declarare et exponere debet essentiam nominis. Atqui essentia nominis consistit in habitudine ad conceptum, ad quem significandum est institutum. Ergo definitio nominis hanc habitudinem exponere et declarare debet.

At quænam est via cognoscendi hanc habitudinem ? Ad hanc habitudinem cognoscendam, *consuetudo et usus, magister loquendi, est consultandus.* Nam etsi nomina ex humana institutione, et non ex vi naturæ, significent ; nihilominus haud est cujuslibet instituere nomina, sed solum communitatis, vel principis communitatis. Quid enim de societate foret, si arbitrio uniuscujusque potestas, nova vocabula condendi, ita ut idipsum ab uno, nomine *circulus*, ab alio, nomine *quadratus* vocari posset, relinqueretur ?

Verum hoc non est ita intelligendum, ut quandoque in certis casibus prorsus non liceat nova vocabula condere ; licet enim omnino, dummodo ex necessitate hoc fiat, et sub certa lege, ut scilicet, quoad fieri potest, nova formatio vocabuli ad usum communem accedat, sive ex aliis linguis illud

sumendo, sive etiam ex præexistentibus in propria lingua, deducendo.

Verum iterum hic, quænam est via cognoscendi usus, juxta quem determinanda est habitudo vocis ad conceptum, quem significat? Respondeo : Voces quibus utimur, vel *apertam* et *claram* habent significationem, ut *ens*, *res*, *album*, *nigrum*, *lux*, *dies*, *nox*, etc.; et tunc significatio harum vocum ex usu, apertissime, sine definitione comperitur.

Vel *incertam* et *obscuram*, et tunc per *synonymiam*, nempe per aliam vocem, quæ idem significat, notiorem tamen, sunt exponenda; ut si cum Tullio dicas : *Et huic conjuncta beneficentia, quam eamdem vel benignitatem vel liberalitatem appellari licet* (1). Vel etiam per *etymologiam*, revocando nempe vocabulum ad primam illam vocem, unde ipsum est ductum; ut si cum eodem Tullio dicatur : *Credamus*, *quia fiat*, *quod dictum est*, *appellatam fidem* (2).

Quod si vox aliqua sit *æquivoca*, quæ scilicet ad significanda plura inter se diversa sit instituta, oportet tunc omnes illas significationes, quas usus ei attribuit, diligenter enumerare; ac deinde, significationem, de qua quæritur, ab

(1) Lib. I, de Officiis, cap. 7.

(2) Ibid. — Operis pretium est hic adnotare, hanc viam *etymologiæ*, haudquaquam ut omnino tutam et universalem habendam esse pro nominibus definiendis. Nam quandoque fieri potest, quod aliud sit id, *a quo* nomen primo est impositum, et aliud, *ad quod* significandum est assumptum; «Sicut hoc nomen *lapis*, bene advertit S. Thomas, imponitur ab eo quod lædit pedem, non tamen imponitur ad hoc significandum, quod significet lædens pedem, sed ad significandam quamdam speciem corporum; alioquin omne lædens pedem esset lapis (1^a p. q. 13^a, a. 2, ad 2um).» Potest etiam contingere quod prima significatio nominis fuerit ex hominum inconstantia, omnino immutata; quomodo tunc ex etymologia, significatio ejus potest argui? Sic hæc vox *solarium* a sole primo dicta est, ad significandam mensuram temporis, per solis radios initio signatam; ipsa tamen postea, etiam ad horologium aquarium significandum est usurpata.

aliis segregare atque secernere. Hoc si bene fiat, certe hinc significatio vocis perspicua efficitur. Ad rem Tullius in *æmulationis* definitione : « *Æmulatio* autem, ait, dupliciter illa quidem dicitur, ut et in *laude* et in *vitio* nomen hoc sit. Nam et imitatio virtutis æmulatio dicitur — sed ea nihil hoc loco utimur; est enim *laudis* — et est æmulatio, *ægritudo*, si eo, quod concupierit, alius potiatur, ipse careat (1). »

Si vero enumeratio omnium significationum, quæ voci æquivocæ subsunt, præsto non habeatur; tunc vox æquivoca significationibus suis privari debet, eisque significatio, secundum quam modo adhiberi intenditur, debet per definitionem substitui. Ex. c. si quis dicat : *Hæc vox* PASSIO *ex usu linguæ in schola, plura significat; nos hic ea, ad significandum motum illum appetitivum, quo animal fertur ad bonum, et a malo refugit, prout nempe amat, vel odio habet, irascitur, vel concupiscit, utimur.*

III. *De utilitate, nec non de legibus definitionis nominalis.*

Ultimo, de utilitate ac de legibus definitionis nominalis, aliqua breviter dicamus. Tria sunt emolumenta, quæ ex definitione nominali proveniunt. Primum est, *perspicuitas sermonis*, ut patet, et *ejus brevitas*. Significatione namque vocis semel determinata, non oportet illam iterum per circumlocutiones, in decursu sermonis explicare. Alterum est, quia sic pugna verborum, quæ ex vocibus inordinate prolatis oriri solent, præoccupantur. Est autem pugna verborum, quæ *logomachia* dicitur, vel quia homines de rebus diversis, iisdem vocibus, vel quia de rebus iisdem, vocibus diversis loquuntur. Ultimum emolumentum est, quia dum vox definitur, mens magis ac magis respectu conceptus per vocem significati, determinatur.

Leges autem definitionis nominalis hæ sunt : 1ª Solum

(1) Lib. IV, Tuscul. Disp. c. 8º, n. 17.

voces incertæ, obscuræ, æquivocæ sunt definiendæ; voces vero, quæ sunt ex usu perspectæ, vel quæ vocibus clarioribus exponi nequeunt, non sunt definiendæ.

2a Significatio vocis obscuræ vel æquivocæ, semel ac fuerit determinata, in eadem disciplina ac controversia eadem semper servetur ; quod si in alium sensum adhibeatur, moneatur.

3a Non est lis facienda pro vocibus, dummodo earum significatio clare determinetur.

4a Quum voces definiantur, prudenter quis facit, si in definiendo *formula* utatur, quæ modum significandi nominum, *ex impositione,* exprimit : Ex. c. loco dicendi : *Paracletus est consolator* — dicatur : *Hœc vox* PARACLETUS *imposita est ad significandum id, quod per vocem* CONSOLATOR *significatur.* — Per formulam enim sic adhibitam, exprimitur distinctio inter vocem et rem significatam per ipsam, nec proinde amplius extat periculum utrumque permiscendi. — Et hæc de definitione nominali sufficiunt, ne grammaticorum fines videamur invadere.

CAPUT VI.

DE DEFINITIONE CONCEPTUALI.

I. *Definitio conceptualis reipsa a definitione nominali et reali differt; eaque adhibenda est in recognitione veritatis, et in omni de re aliqua, controversia.*

Definitio conceptualis, ut dictum est, a definitione nominis, et a definitione rei omnino distinguenda est. Etenim hæc definitio, ad declarandum ac determinandum *quœnam sit perceptio seu conceptio, quam quis de re aliqua sibi format,*

adhibetur; respondet ipsa interroganti : *Quid tua conceptio de natura Dei, vel animæ humanæ, vel corporis, etc., repræsentat?* — Definitio ista potest esse vera, et tamen conceptio definita, quia rei conceptæ non respondet, falsa; ut si materialista, quid ipse intelligat de re illa, quæ in homine est principium sentiendi et intelligendi, et quam *anima rationalis* vocamus, definiat.

Hæc definitio autem potissime adhibenda est : 1° *In via reflexionis*, quando quis, aliqua re prius cognita, ut cognitionem suam sub lumine primorum principiorum possit recognoscere, quærit sibi : *Quid modo de re ista ego cognosco?*

2° Adhibenda quoque est *initio omnis controversiæ* : Priusquam enim de re aliqua disceptatio suscipitur, necessarium est, declarare, exponere, definire quid de re, de qua disputantes quærunt, ipsi concipiant. Etenim cum quis disputando se exercet, hoc unum intendit probare, *propriam* scilicet *conceptionem esse veram.*

3° Demum, definitio conceptualis quandoque ad definitionem nominalem est necessaria. Quamquam enim definitio nominalis proprie consistat in declaratione habitudinis vocis ad conceptum, quem ipsa significat; quia tamen hæc habitudo intelligi nequit, nisi prius conceptus significatus intelligatur; idcirco quotiescumque est aliquod nomen nobis ignotum, tum ratione habitudinis ad conceptum, tum etiam ratione conceptus significati, tunc simul cum definitione nominis, definitio conceptus per nomen significati, est adhibenda. Ex. e. si dicas : *Per hanc vocem* Deus *significatur prima omnium causa; per primam vero omnium causam, intelligimus id, a quo omnia quæ sunt, dependent, ut habeant esse.*

II. *Nequit ex quacumque definitione conceptuali absolute concludi realitas rei conceptæ; sed solum quando vis intellectiva ad repræsentandam veritatem est naturaliter determinata.*

Hic autem quærere aliquis posset : Licetne uti definitione conceptuali loco principii, ita ut ex ipsa aliquid extra conceptum, ad realitatem pertinens, concludi possit?

Respondeo : Definitio conceptualis, si in iis, quæ per sensus externos, vel per imaginationem, vel per ratiocinium, vel per fidem humanam apprehenduntur, versetur ; tunc, quia omnes viæ istæ falli ac fallere possunt, sequitur quod, si de earum legitima applicatione, earumque rectitudine non constet, nequeat ex definitione conceptionis, qua res repræsentatur in mente, infallibiliter concludi realitas, extra ipsum conceptum existens. Non licet ergo dicere : *Ego concipio essentiam corporis per triplicem dimensionem constitui. Ergo reipsa corpus per triplicem dimensionem constituitur* : non enim conceptio illa est infallibiliter cum realitate connexa ; falsus proinde est transitus a subjecto, uti aiunt, ad objectum.

Rursus, si definitio conceptualis in iis, quæ per lucem intellectivam immediate percipiuntur, versetur, quemadmodum sunt simplices ac primæ conceptiones rerum : *Notio causæ, possibilis, impossibilis*, etc. vel prima principia per se nota : *Impossibile est idem simul esse et non esse — Non est effectus sine causa* — tunc ex definitione conceptionis, qua hæc omnia repræsentantur in mente, realitatem, extra conceptum, actu vel in potentia existentem, licet inferre. Ratio est, quia in hujusmodi conceptionibus, intellectus est ita naturaliter determinatus ad repræsentandam realitatem, ut nequeat illam non repræsentare, sicut nequit lux non lucere, ac ignis non calefacere. Quamobrem licet dicere : *Concipio causam, ut aliquid a quo realiter, aliqua res secundum suum esse dependet. Ergo hæc ratio objectiva causæ, reipsa actu vel potentia existit extra conceptum.* — Item, *Concipio immediate, quod ubicumque aliquid de novo incipiat esse, ibi aliqua causa necessario debeat esse. Ergo reipsa, si aliquid de novo in natura, extra conceptum incipiat esse, ibi aliqua causa necessario debet esse*, etc. Sed de his iterum postea ; in præsenti, per modum exordii dumtaxat.

Hæc de vi definitionis conceptualis ; ad *leges* autem ipsius quod attinet, non oportet novas leges addere allatis pro definitione nominali, et afferendis pro definitione reali.

CAPUT VII.

DE DEFINITIONE REALI.

I. *Quænam sit natura definitionis rei, breviter exponitur.*

Expositis iis, quæ ad definitionem nominalem et conceptualem pertinent; nunc agere oportet de *definitione rei*, cujus tractatio gravis admodum esse debet. Etenim per definitionem rei, simplex apprehensio objectum suum assequitur.

Definitio rei est *quædam intellectualis illustratio, per quam ratio objectiva, simplex et incomplexa, quæ veluti convelata et involuta repræsentatur in mente, exponitur et explicatur.* Sumatur exempli causa, *ratio objectiva quadrati* : Ratio objectiva *quadrati*, quatenus ex angulis rectis constituitur, habet aliquid commune cum *rectangulo*; quatenus ejus latera æqualia sunt inter se, habet aliquid commune cum *rhombo*; quatenus autem ex angulis æqualibus constat, in sua proprietate constituitur, et a *rectangulo* et a *rhombo* discernitur.

Jam vero, dum rudis concipit *quadratum*, hujusmodi omnes discretiones, modo obscuro et implexo intellectui ipsius obversantur; ipse nonnisi rationem communem quadrati attingit, puta, ipsum quatuor constare lateribus. Medium igitur proprium, per quod hæc omnia in mente rudis determinantur atque discernuntur, est *Definitio*.

Vis definitionis maxime in *differentia* consistit, nimirum in ea nota, per quam ratio objectiva conceptus, certis finibus circumscripta, et quasi terminis defixa, tanquam ab aliis distincta perspicitur. « Si differentiam cujusque accipias, ait Plato, qua a reliquis est distinctum, rationem (i. e. definitionem), ut quidam tradunt, accipies (1).» Quocirca dum res

(1) Plato, *Theætetus* — edit. Didot, vol. I, pag. 160.

aliqua definitur, haudquaquam in iis, quæ cum aliis habet communia, subsisti debet; sed eo usque persequi, donec quid proprie ipsa sit, et quomodo ab aliis discernatur, affulgeat.

II. *Definitio realis alia est essentialis, et alia descriptiva.*

Intellecta natura definitionis realis, ad ejus distributionem quod attinet, dupliciter ipsa distinguitur : Alia est *essentialis*, et alia *descriptiva*. Hæc distributio sumitur juxta diversum modum, quo res in mente determinantur, ut ab aliis appareant distinctæ. Etenim si res determinetur in intellectu secundum propria et *essentialia*, secundum ea scilicet, quæ *constanter*, *universaliter*, et ut *aliquid primum rei definiendæ insunt*; tunc hujusmodi definitio proprie *essentialis* nominatur. Eaque, si in mente duntaxat consideretur, definiri potest : *Est quædam intellectualis resolutio conceptus*, *per quam essentia rei declaratur* — prout voce autem profertur : *Est oratio, quæ quid res sit ostendit.* Sin res determinetur in mente *secundum aliqua adjuncta*, tunc definitio ista dicitur *descriptiva*. Definitur : *Oratio explicans rem per sua adjuncta.*

Definitio *essentialis* est duplex : Una dicitur *physica*, et est illa, quæ *rem declarat per partes physicas*, per *partes* nempe, ex quibus unum compositum naturale constituitur; ut si definiatur homo : *Est unum aliquid, ex corpore organico et anima rationali constitutum.* Alia vero definitio *metaphysica* dicitur, et est illa, quæ *rem declarat per partes metaphysicas*, per conceptiones scilicet objectivas, quarum una significat totum id, in quo res definienda est aliis *similis*, eaque *genus* nominatur; altera vero id, quod rei definiendæ est *proprium* : eaque *proprietas*, vel *differentia rei* communiter nuncupatur. Sic *homo* metaphysice definitur : *Est animal rationale* — in qua definitione *animal* habet rationem *generis*, per hoc enim homo communicat cum omnibus aliis; et *rationale* rationem *differentiæ*, quippe *rationalitas* est aliquid *proprium* hominis, per quod ab omnibus aliis discernitur.

Definitio *descriptiva* in *propriam*, *accidentalem*, *causalem et geneticam*, distribuitur. *Propria* dicitur illa, quæ rem declarat *per proprietates quasdam, ab essentia ipsius manantes, quæ in aliam rem nullam cadere ac transferri possunt*; ut si Deum definias : *Est ens pollens potentia infinita.*

Accidentalis dicitur illa, quæ rem ostendit *per aliqua adjuncta, quæ possunt rei adesse et ab ipsa abesse, quæque, etsi divisim sumpta aliis conveniant, conjunctim tamen, ad rem quæ definitur, tantum pertinent.* — Hac definitione determinari solent res singulares, eaque maxime poetæ et oratores utuntur. Sic illud Virgilii de Polyphemo : *Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum, Trunca manu pinus regit et vestigia firmat.*

Causalis illa nuncupatur, *quæ rem declarat per causas externas*; scilicet vel per causam *efficientem*, quæ est id, a quo res procedit secundum realem influxum; ut si substantiam spiritualem definias : *Est substantia simplex quæ generari non potest, sed a solo Deo producitur.* Vel per causam *finalem*, quæ est id, ad quod res tendit, et cujus gratia operatur; ut si definias hominem : *Est creatura terrestris propter æternam beatitatem facta.* Vel demum, per causam *exemplarem*, quæ est forma quædam, ad instar cujus res definienda est effecta; ut si animam humanam definias : *Est forma corporis, in imaginem et similitudinem Dei facta.*

Ultimo, definitio *genetica* est illa, quæ rem in mente determinat *declarando genesim, seu modum proprium, quo res definienda producitur.* E. c. si *circulum* definias : *Est figura quæ efficitur ducendo lineam circa centrum, cum æquali distantia ab ipso* — vel *cylindrum* : *Est figura quæ efficitur, cum circulus ad rectam motu æquabili et parallelo, descendat.*

Omnibus hisce definitionibus excellentior atque nobilior, est definitio metaphysica; siquidem brevi sententia totam naturam rei definiendæ manifestat. Per *genus* enim manifestat unitatem, quam res definita habet cum aliis; per differen-

tiam vero, diversitatem ab ipsis (1). Insuper ipsa id omne complectitur, quod est veluti fundamentum ac radix eorum, quæ in re quæ definitur, reperiuntur. Verumtamen quia rerum essentiæ, plerumque sunt nobis ignotæ, idcirco sæpissime sapientes utuntur definitionibus, quæ fiunt per *proprietates* rei quæ definitur. « Quia formæ essentiales (*rerum*), inquit S. Thomas, non sunt nobis per se notæ, oportet quod manifestentur per aliqua accidentia (i. e. *proprietates*), quæ sunt signa illius formæ (2). »

(1) Ut hæc rite intelligi possint, nota : Deum bonum et sapientem disposuisse hanc mundanam fabricam in *unitate et diversitate.* Etenim hæc est lex quæ præest omnibus existentibus in natura. *Ut sint entia inferiora et superiora* ; *et superiora quidem et inferiora, secundum partialem aliquam similitudinem, mutuo inter se conjungantur.* Quod sane apparet apertissime in creaturis terrestribus. In natura enim terrestri, quatuor ordines rerum esse perspicimus : 1° Res pure materiales, omni vita carentes ; ut *ignis*, ut *aqua*, ut *aer*, ut *terra*. 2° Res materiales, primo gradu vitæ pollentes ; ut *plantæ.* 3° Res materiales, secundo gradu vitæ pollentes, nempe vita sensitiva, ut *bruta animantia.* 4° Res materiales, tertio gradu vitæ pollentes, nempe vita rationali, ut *homines.*

Considerentur modo hi gradus essendi rerum : Res materiales *vita carentes*, sunt omnibus infimæ; deinde *plantæ* ; deinde *bruta animantia* ; ultimo, rex hujus mundi terrestris, nempe *homo.* Et in homine quidem, *secundum partialem similitudinem*, omnes gradus inferiores continentur : sentit enim sicut bruta animantia, vivit sicut plantæ, habet esse corporeum sicut cæteræ res, quæ vita carent ; et vicissim aliquid hominis secundum similitudinem est in omnibus illis rebus inferioribus, ut patet. Verum est igitur, hanc esse legem hujus mundi, ut sint entia inferiora et superiora ; et ut superiora et inferiora secundum partialem aliquam similitudinem, mutuo inter se conjungantur : ac proinde omnia sint unita inter se secundum *imitationem*, ac per *proprietatem* diversa.

Jam vero, hæc lex sapientissima exprimitur in definitione metaphysica cujuslibet rei ; per ipsam enim de re quæ definitur, ostenditur in quo sit una cum aliis, et in quo differt ab ipsis.

(2) Poster. Analyt. lib. II, lect. 13ª.

III. *De conditionibus quæ requiruntur, ut res aliqua possit definiri.*

Eæ conditiones modo sunt declarandæ, quæ, ut res aliqua definiri possit, exiguntur. Sunt autem hujusmodi : 1° *Ratio objectiva definienda debet esse universalis.* Etsi enim singularia per descriptionem aliquo modo definiri, seu melius, *indicari* possunt; id tamen vere et proprie intelligitur definiri, quod est aliquid fixum et immutabile, essentia scilicet rerum, a conditionibus contingentiæ et mutabilitatis abstracta. Essentia vero rerum sic accepta, est universalis. « Definitio, ait Aristoteles, τοῦ *quid sit res* esse videtur; τό quid sit autem omne, est *universale* et affirmativum (1). »

2° *Essentia quæ cadit sub definitionem, talis esse debet, ut in plures conceptus possit dividi.* Ratio est, quia definitio in quadam *resolutione*, seu *divisione* notionis proprie consistit, quatenus nempe ratio objectiva, quæ plura involvit, quæque obscura et sub confusione objicitur menti, declaratur, dividendo id quod ipsa *commune* habet cum aliis, et id quod habet tanquam *proprium*. Hinc necessitas exprimendi in definitione *genus* et *differentiam*, quæ sunt veluti partes rei definitæ quæ resolvitur. Quapropter conceptus mere simplices et incomplexi, de quibus nulla potest esse resolutio, possunt sane *aliquo modo attentionem animi excitando*, declarari; *objective* tamen definiri nullo modo possunt; non enim aliquid complexum habent in se, quod possit aperiri. Quid sit ergo *ens*, quid *unum*, quid *bonum*, quid *verum*, quid *res*, cum sint incomplexa, proprie definiri non possunt.

3° *Res definienda debet esse talis, ut per se ac immediate cognoscatur, et non mediate, per demonstrationem.* Etenim per hoc nomen *definitio*, significatur *modus sciendi*, qui *a modo sciendi* qui *demonstratio* dicitur, est diversus. Definitio enim proprie significat modum sciendi, qui ducit ad cognitionem eorum, quæ a demonstratione, tanquam rationes

(1) Analyt. Post. lib. II, cap. 3. edit. Didot, vol. I, pag. 155.

objectivæ immediate ac per se perspectæ, præsupponuntur. Hujusmodi sunt primæ rerum notiones, quarum veritas lumine intellectus immediate apparent. *Quid ens actu, quid possibile, quid substantia spiritualis, quid justitia, quid temperantia, quid amor, quid figura, quid circulus*, etc. Demonstratio vero, modum sciendi, qui ducit ad cognitionem conclusionis ex principiis illatæ, proprie significat. Quamobrem enuntiatio ista : *Anima humana est substantia rationalis simplex, per se subsistens, sine dependentia a corpore* — vel *definitionem nominis* enuntiat, quid scilicet per hæc vox *anima humana* significet ; vel definitionem conceptus, quo anima repræsentatur in mente ; vel *conclusionem*, si sit conceptio probata ; nullo modo autem definitionem rei. Siquidem veritas ejus *per se immediate* non perspicitur, sed per demonstrationem. Econtra si enuntio : *Substantia spiritualis est aliquid simplex, per se subsistens, sine dependentia a materia* — hæc enuntiatio est vera definitio ; versatur enim circa *rationem objectivam*, quæ *per se*, ac *immediate* manifestatur intellectui (1).

IV. *De legibus requisitis ad bonam definitionem.*

Ex iis quæ dicta sunt, colligi possunt leges requisitæ ad bene definiendum. Prima lex est : Definitio debet constare

(1) « Non illius est demonstratio, cujus est definitio. Nam definitio est τοῦ *quid sit et substantiæ* ; demonstrationes autem omnibus apparent suppositæ, et sumentes τὸ *quid sit* ; ut mathematicæ, quid sit *monas*, et quid *impar*, et ceteræ scientiæ similiter. Porro, omnis demonstratio aliquid de aliquo demonstrat, ut, *quod sit*, aut, *quod non sit* ; in definitione autem nihil aliud de alio prædicatur ; ut, neque animal de bipede, neque hoc de animali ; neque de planitie figura ; non enim est planities figura ; neque figura est planities. Porro, aliud est τὸ *quid sit*, (*essentiam* nempe), et τὸ quod sit (scil. *hoc verum de illo*), ostendere. Definitio igitur, *quid sit*, declarat ; demonstratio autem, quod aut sit hoc verum de illo, aut non sit. » — Aristoteles, *Analyt. Post.* lib. II, c. 3o, edit. Didot, vol. I, pag. 155.

genere proximo et *differentia ultima* (1). Etenim munus definitionis est, declarare naturam rei; et habitudinem unitatis et diversitatis, quam ipsa habet respectu aliarum rerum, exprimere. Hoc autem per genus proximum et differentiam ultimam efficitur. Per *genus* enim *proximum* exprimitur totum id, in quo res definienda aliis rebus est *similis*; per differentiam ultimam, totum id, in quo est ab ipsis *dissimilis*; per utrumque vero tota natura rei quæ definitur. Hæc pro definitione metaphysica requiruntur; quæ *aliquo modo*, quoad fieri potest, debent etiam in aliis definitionibus habere locum, quatenus in ipsis, loco *generis* ponuntur ea, quæ aliquid *commune* significant; loco *differentiæ* vero, quæ aliquid rei definiendæ *proprium*.

Secunda lex est: Definitio neque *superflua esse debet*, *neque manca*. Cum enim definitio naturam rei debeat exprimere, si ipsa *superflua* esset, aliquid ergo apponeretur ad naturam rei declarandam impertinens; si vero *manca*, ergo aliquid omitteretur, quod ad ipsam declarandam non pertinet. Et hæc ratio valet pro definitione essentiali; pro definitione autem universe sumpta, est alia ratio, quia nempe defi-

(1) *Genus proximum* dicitur quod complectitur totum id, quod natura rei definiendæ commune habet cum aliis. Ex. c. in homine genus proximum est *esse animal*; quia in conceptu animalis continetur conceptus sentientis, viventis, et esse corporalis. Cum econtra in conceptu *viventis*, conceptus *animalis* non contineatur: et proinde si quis diceret: *Homo est vivens rationale*, non exprimeret totum id, quod essentia hominis commune habet cum aliis rebus; omitteret enim *esse animal*, in quo homo cum brutis animantibus communicat. *Differentia vero ultima* dicitur *proprietas* illa rei, secundum quam res quæ definitur, essentialiter differt ab omnibus aliis, quæ eamdem naturam genericam habent cum ipsa. Sic *animalitas* non est differentia hominis *ultima*: nam etsi per ipsam homo a plantis distinguatur, non tamen ab animantibus; sed homo ab animantibus, et ab omnibus aliis rebus per *rationalitatem* distinguitur:

nitio est quædam illustratio perceptionis obscuræ. Si ergo superflua esset, mentem confunderet ; si manca, in obscuritate eam relinqueret, et non illustraret.

Tertia lex hæc est : *Definitio debet converti cum definito*, ita scilicet, ut, quidquid de re definita, ac de iis quæ sub ipsa continentur, dicitur, de definitione dici possit. Definitio enim est ipsa res definita, clarius ac distinctius expressa.

Quarta lex est : *Definitio clarior esse debet re quæ definitur*; alioquin non assequeretur scopum suum. Est enim scopus definitionis, ut per rationem objectivam notiorem, declaret rationem objectivam minus notam, vel obscuram. Hinc duæ aliæ leges sequuntur : *Nunquam* scilicet *est definienda res illa, quæ per notionem clariorem nequit exponi* — *Res definienda minime ingredi debet definitionem sub ea ratione, sub qua definitur.*

Quinta lex, quæ modum exprimendi definitionem rei spectat, hæc est : *Verba, quibus utimur ad definitionem rei exprimendam, debent esse propria, et non metaphorica.* Definitio enim rei ordinatur ad primam informationem intellectus, qui veritatem perspicere debet. Porro, voces metaphoricæ, etsi intellectum, veritatem jam perspicientem, ad magis intelligendum adjuvent, propter comparationem; nihilominus, veritate nondum cognita, ob duplicem significationem quæ est in hisce vocibus, propriam et alienam, illum perturbant. Quamobrem, quemadmodum in disputando, cum de veritate alicujus conclusionis quæritur, a metaphoris est abstinendum, ac proprietas verborum servanda, ut sermo clarus et præcisus evadat; ita quoque in re definienda, quando primo intellectus cognitione veritatis instruitur, proprietas locutionis est adhibenda (1). Eadem ratione, propter claritatem nempe

(1) Aristoteles, ut notat S. Thomas in commentariis in libros physicorum, plerumque in Platone non doctrinam redarguit ; sed modos metaphoricos, quibus sæpe ille utitur pro exprimenda doctrina : qui modi ad disciplinam cognitionis, reipsa sunt parum apti, si non sint noxii.

et perspicuitatem sermonis, a vocibus *obscuris*, *incertis*, *æquivocis*, *inusitatis*, in definitione est abstinendum, alioquin definitio definitione alia indigeret. Quod si ex quacumque ratione, in definitione voces obscuræ vel æquivocæ esse contingant, recta ratio doctrinæ tunc postulat, ut ipsæ accurate declarentur.

Hujusmodi sunt igitur conditiones seu leges, secundum quas illustratio illa intellectualis, quæ *definitio* dicitur, fieri debet.

V. *Aliquæ breves animadversiones circa usum definitionis realis, proponuntur.*

Ad complementum hujus capitis, circa *usum definitionis rei* aliqua breviter sunt advertenda. Ac illud in primis operis pretium est quærere, quandonam a definitione sit abstinendum, et quandonam ipsa sit utendum : Pro quo hæ regulæ teneantur.

1ª Quamvis omnia subjective aliquo modo determinari possunt, quatenus intellectus id quod objicitur, attentius considerat; nihilominus omnia nequeunt definiri, nec debent. Quædam enim, ut supra innuimus, tanta simplicitate pollent in sua ratione objectiva, ut resolvi nequeant; sunt namque incomplexa re et conceptu. Ipsa sunt tam prima, ut aliquid ex quo possint declarari, non habeant; præsupponuntur enim omnibus : hujusmodi sunt *ens*, *unum*, *res*, etc. Quædam autem in tanta luce et claritate sunt posita, ut si definirentur, definitio minus nota foret ipsa re definita. Ab hisce rebus definiendis igitur omnino cavendum est.

2ª Definitione reali nobis potissime tum est utendum,

Profecto, difficultas quam experimur, intelligendi res quæ sunt supra sensum, ab imperfectione sermonis plerumque oritur, qui in pluribus suis vocibus, a rebus sensibilibus ad res intelligibiles significandas est translatus.

quum objectum aliquod, in quo plura reperiuntur, menti obversatur. Etenim hujusmodi objecta, si singula in ipsis contenta non definiantur, non levem confusionem ingerunt animo.

3ª In omni quæstione, prima elementa, complexa et incomplexa, ex quibus ejus solutio pendet, si aliqualem obscuritatem habere possint, studiose diligenterque debent definiri. Multa enim obscuritas, multa confusio in quæstionibus ac controversiis plerumque solet esse, eo quod elementa male sint definita. « In omnibus, o puer, unicum principium iis, qui bene consulere volunt, est intelligere quid illud sit de quo consulatur, vel omnino aberrare necesse : plerosque vero latet, quod nesciant rei substantiam. Tanquam igitur scientes, in disquisitionis principio non inter se conveniunt, procedentes vero quod par est, consequuntur, ut nec sibi, neque aliis consentanea loquantur (1). »

CAPUT VIII.

DE MODO INVESTIGANDI DEFINITIONEM METAPHYSICAM.

I. *Quid proprie per definitionem metaphysicam quæratur, exponitur.*

Non sit animis molestum, si in definitione metaphysica, quæ reliquas omnes antecellit, diutius immoremur; sciant enim adolescentuli optimi, nec a sententia facile recedere velint, directionem primæ operationis intellectus, fere totam in doctrina hujus definitionis contineri. Quandoquidem, non per aliam viam simplex apprehensio mentis objectum suum assequitur, quam per definitionem istam, cujus est declarare

(1) Plato, *Phædrus*, edit. Didot, vol. I, pag. 705.

quid sit res. Quamobrem ne tractationi nostræ de prima operatione mentis, aliquid desit, de *methodo investigandi definitionem metaphysicam* dicendum est. Quid enim prodesset naturam, divisionem, ac leges bene definiendi agnovisse, si postea via ipsam investigandi ignoraretur?

Tria vero ad hanc viam perquirendam tradere oportet : 1° Exponere quid proprie per definitionem metaphysicam quæratur. 2° Declarare quænam sit materia, in qua ipsa quæri possit. 3° Docere qualis debeat esse œconomia humani intellectus, ut possit ad prædictam definitionem pertingere.

Ad primum quod attinet, definitio metaphysica, ut supra etiam attigimus, intendit declarare notionem rei, quæ sit abstracta, universalis, necessaria, sempiterna, immutabilis(1) : quæ de omnibus singularibus sub ipsa contentis, semper, ubique, et eodem modo prædicetur ut aliquid primum in ipsis, cujus ratio, quod ita sit, præter rationem formalem suæ possibilitatis, nulla alia reddi possit; ut aliquid fundamentale ac radix omnium actionum et proprietatum, quæ sunt in re quæ definitur; ut aliquid ultimum, ultra quod nequeat cogitatio progredi (2) : quæ proinde si abesset, res definienda

(1) Notio rei essentialis, quæ a contingentia et mutabilitate, cæterisque conditionibus rerum creatarum, actu existentium, ope mentis abstrahitur, dicitur *universalis*, quia potest inesse pluribus : *necessaria*, quia non potest esse, neque concipi, nisi prout objicitur : *sempiterna* et *immutabilis*, quia nunquam fuit, neque futurum erit, quod aliter sit ab eo quod objicitur intellectui. Addi potest : Hujusmodi notiones sunt quædam exemplata in mente creata, ad instar idearum quæ in mente divina existunt ; ipsæ sunt formæ typicæ, secundum quas mens concipit quales necessario res debeant esse in natura, vel quales reipsa sint, si existant. Ex his autem vide, quanta sit nobilitas definitionis metaphysicæ, quæ hujusmodi notiones proprie respicit; quam immerito proinde atque indocte aliqui recentiores eam contemnant.

(2) Hujusmodi notio nominari solet, ratione nobilitatis, conceptus *primus*, *ultimus*, *fundamentalis* rei : vocitatur *quidditas* per respectum

tota periret, nec concipi posset. Res facile declarari potest, si sumatur, exempli causa, essentia trianguli, *quæ est figura tribus lineis circumscripta*, ac singillatim hæc omnia considerentur in ipsa.

II. *Declaratur quænam sit materia in qua mens versari debet, ut definitionem metaphysicam possit efformare.*

Intellectus autem, ut essentiam metaphysicam alicujus rei possit speculari, eamque definire, debet eam quærere *in rebus ipsis*, in quibus essentia illa tanquam proprium constitutivum reperitur. Potest etiam quæri *in vocibus*, quibus communiter homines utuntur, ad exprimendas conceptiones, quas ipsi de rebus sibi formarunt. Hoc enim est proprium humanæ locutionis, ut sit quædam externa expressio atque ordinatio conceptuum humani generis ad alios, ut videantur; qui conceptus et ipsi sunt interiores expressiones atque repræsentationes, quibus mediantibus unaquæque res comprehenditur. Quia vero inter conceptiones expressas per voces, quædam universales sunt ac essentiam metaphysicam repræsentant, idcirco in ipsis dicta essentia investigari potest. Ut si quis consideraret essentiam hominis, quærendo significationem illa-

ad nostram locutionem; per ipsam enim, quatenus voce declaratur, respondetur quærenti *quid sit res*; vel etiam, quia est id per quod res primo esse intelligitur, *essentia*. Additur epithetum : essentia *metaphysica, vel logica* . *Metaphysica* quidem, nam etsi notio ista, secundum imitationem vel expressionem, sit ipsa essentia, qua res, quæ per ipsam cognoscitur, determinatur ac constituitur in natura, et est id quod est; nihilominus, ut est in mente, habet esse *ideale* seu *repræsentationem* abstractam a conditionibus illis, sub quibus existit a parte rei, a conditionibus nempe singularitatis, contingentiæ, mutabilitatis. *Logica* vero dicitur, non ea ratione quasi esset aliquid in animo tantum existens; sed quia per ipsam *objective* determinatur intellectus ad intelligendum *quid sit res*.

rum vocum, quæ ipsam communiter significant secundum rationem generis, vel differentiæ, vel speciei.

III. *Qualis debeat esse opera humani intellectus, ut e rebus vel vocibus haurire possit essentiam abstractam et universalem rerum, eamque definire.*

Verum, quænam debet esse opera humani intellectus, ut e rebus vel vocibus possit essentiam metaphysicam haurire eamque definire ?

Respondeo primo quoad res : 1° Oportet resolvere rem definiendam in omnia, quæ ei insunt ; puta, si sit definiendus *homo*, resolvi debet seu dividi in varias illas rationes objectivas, quæ de ipso prædicantur, *in esse substantiale*, *in esse vivum*, *sensitivum*, *rationale*, in varias illas operationes et affectiones, quarum ipse est subjectum ; homo enim *vegetat*, *sentit*, *intelligit*, *vult*, *ambulat*, *sedet*, *amat*, *odit*, *dolet*, *tristatur*.

2° Præterea ex his quæ rei insunt, oportet secernere ea quæ semper insunt, ab iis quæ non semper. Sic homini, quod *sit ex talibus parentibus natus*, *talis patriæ*, *quod sit senex aut juvenis*, *quod sedeat aut ambulet*, *quod tristetur aut gaudeat*, *quod sit doctus aut ignarus*, *quod hoc aut illud actu intelligat vel velit*, hæc omnia non semper insunt ; possunt enim, ut experientia constat, adesse vel abesse, quin homo secundum suam essentiam mutetur (1). Hæc igitur separanda sunt ab aliis, quæ homini semper insunt : hujusmodi sunt *facultates*

(1) Si quæratur, quomodo homo possit cognoscere ea quæ alicui rei semper insunt ; et rursus quomodo ex eis dignoscere quæ ad rationem *generis* pertinent, et quæ ad rationem *differentiæ* : Respondendum est : Quæ individuis ejusdem naturæ, sufficienter enumeratis, semper et ubique communia esse perspiciuntur, habenda sunt ut aliqua, quæ semper insunt. Horum autem ea ad rationem *generis* pertinent, quæ sunt aliis naturis propinquioribus similia ; quæ vero ipsi rei definiendæ tantummodo conveniunt, ad rationem *differentiæ* spectant.

intelligendi, sentiendi, vegetandi, etc., ac *principium formale* a quo ista procedunt.

3° Deinde vero, ex iis quæ rei semper insunt, oportet discernere ea quæ rei insunt primo et per se, de quibus cur insint nulla ratio reddi potest, ab iis quæ secundario insunt cum dependentia ab alio. Ponamus exemplum : Quod homo habeat facultates intelligendi, amandi, etc., hoc semper ei inest, non tamen primo et per se, sed cum dependentia a principio, a quo ipsæ fluunt. Verum quod homo habeat principium, a quo possint promanare facultates intelligendi, amandi, sentiendi, etc., hoc semper homini inest ut aliquid primum et per se, sine dependentia ab alio principio formali ; de ipso cur insit, nulla ratio reddi potest; ultra ipsum nequit cogitatio circa hominem progredi ; ipsum est veluti fundamentum ac radix eorum quæ sunt in homine ; quod si abesset, totus homo periret in re et in conceptu.

Hoc itaque principio reperto, sistat intellectus in ipso ; illudque postea resolvat in rationem objectivam, quam *proxime* communem habet cum aliis, et in differentiam *ultimam*, per quam distinguitur ab ipsis. Utputa, si principium essentiale hominis dividas in rationem objectivam, secundum quam est principium sentiendi, ac similitudinem habet cum maxime sibi propinquis, nempe cum brutis animantibus; et in rationem objectivam, secundum quam in sua proprietate constituitur, et ab omnibus aliis differt; habebis hoc modo, nimirum per *divisionem* rei definiendæ, dummodo membra divisa *abstrahas* (1), eaque inter se *compares* et *componas*,

(1) Operatio intellectus considerantis aliquid seorsim ab alio cum quo est conjunctum, *abstractio* nominatur. Tres species abstractionis distingui solent : Prima est *formæ a subjecto*. Ex. c. si in justo considerem justitiam, præscindendo a subjecto in quo est justitia, puta a Petro vel a Paulo, vel si considerem *formam circuli*, non curando, num ipsa in materia ænea vel lignea existat, etc. — Alia est abstractio *ideæ magis universalis ab idea minus universali*. Ex. c. Si quis

habebis, inquam, definitionem metaphysicam hominis : *Homo est animal rationale.*

Respondeo secundo quoad voces : Ut opera humani intellectus essentia metaphysica e vocibus hauriri queat, debent primo colligi voces, quæ essentiam rei definiendæ significant. Deinde eæ ita disponi debent, ut incipiendo ab iis, quæ magis generaliter de re definienda prædicantur, quis devenire possit ad eas quæ essentiam rei adæquate significant. Ex. c. De homine essentialiter prædicantur hæ voces, *esse substantiale*, *esse vivens*, *esse animal*, *esse rationale* ; et *esse* quidem *substantiale* magis generaliter de homine significat quam *esse vivens*, *esse vivens* quam *esse animal*, *esse animal* quam *esse rationale*. Quamobrem si duæ posteriores voces nempe *esse animal* et *esse rationale*, in prædicatione de homine assumantur, habebitur tunc definitio adæquata, quæ scilicet

in doctrina de homine, primo incipiat a consideratione *entis*, postea *substantiæ*, deinde *substantiæ viventis*, *sentientis*, ultimo *rationalis*. — Est postrema abstractio, per quam unum attributum abstrahitur *ab alio, cum quo a parte rei est idem*. Hæc *abstractio*, quam in schola solemus nuncupare *præcisio*, subdividitur in abstractionem *formalem*, et *objectivam*. *Formalis* dicitur, quando consideratur *proprietas aliqua separata ab ea, cum qua ipsa est objective eadem*. Ex. c. Mens humana, dum considerat *sapientiam Dei* divisim a justitia, abstrahit *formaliter*, quia præcisio ista non se tenet ex parte rationis objectivæ, siquidem *sapientia Dei*, cum sit simpliciter infinita, est enim ipse Deus, est idem omnino secundum rationem objectivam, cum justitia ac cæteris attributis Dei ; sed solum se tenet ex parte intellectus explicantis de Deo, rationem *sapientiæ*, et non *justitiæ*. Abstractio vero *objectiva* dicitur, quando consideratur *aliquid avulsum ab alio, a quo objective differt*. Ex. c. si in homine *animalitas* consideretur seorsim a *rationalitate*. Abstractio ista, *præcisio objectiva* nominatur; conceptus enim animalitatis non includit *objective* conceptum rationalitatis. — Abstractio, dummodo sobrie exerceatur, plurimum adjuvat operationem mentis ; quæ enim divisim, minutatim ac quasi gradatim considerantur, citius percipiuntur atque facilius.

constat ex genere proximo et differentia ultima. — Hic modus inveniendi definitionem per divisionem et coordinationem vocum, est facilior et tutior priori, qui procedit per resolutionem et coordinationem partium rei definiendæ; non tamen efficacior est atque excellentior ad veritatem inveniendam. — Quæ hucusque sunt dicta pro definitione reali explicanda. sufficiunt.

CAPUT IX.

DE DIVISIONE.

I. *Declaratur quid sit divisio.*

Divisio est quædam resolutio totius in partes; ut si tota universa creatura dividatur in *substantias corporales*; in *spirituales*, ut *angeli*; et in *substantias ex spiritu et corpore constitutas*, ut *homines*.

Divisio, prout est in animo, definiri potest: *Operatio intellectus resolvens totum in partes* — prout vero ore profertur: *Est oratio declarans rem per suas partes.* — Ex quibus facile est perspicere munus proprium divisionis esse, explicare ac per partes distribuere quidquid confusum et involutum menti objicitur.

II. *Divisio alia formalis est, alia materialis, alia nominalis,*

Divisio est triplex : Alia est *formalis* seu *idealis*; alia *materialis* seu *realis*; alia denique *nominalis*.

1° Divisio *formalis* fit quando res eadem, secundum varios aspectus, qui ab intellectu hominis in ipsa considerari possunt, dividitur. Ex. c. si dicas : *In Deo, alia est ratio essentiæ, alia sapientiæ, alia justitiæ, alia potentiæ*, etc. Membra hujus

divisionis, ut patet, non sunt res realiter distinctæ inter se, sed sunt diversi aspectus, sunt diversæ formæ et ideæ, sub quibus concipitur a nobis esse divinum. — Hæc divisio subdistingui potest in *metaphysicam*, et *logicam*. Divisio metaphysica totum metaphysicum dividit, *rationem* nempe *objectivam, abstractam et universalem*, secundum rationes ideales, repræsentantes actualitatem ejus essentialem. Sic ratio objectiva hominis dividitur secundum rationes ideales *substantiæ, viventis, animalis, rationalis*, quæ, ut liquet, manifestant id per quod essentialiter homo constituitur. — Divisio vero logica nominatur illa, quæ dividit totum aliquod abstractum juxta rationes ideales, quæ illi subjiciuntur secundum prædicationem univocam vel analogam. Hoc modo dividitur genus, quod est totum aliquod abstractum et potentiale, habens sub se veluti partes, rerum differentias, de quibus ipsum univoce prædicatur; ut si dicas : *Animal aliud est bos, aliud equus, aliud canis, aliud leo*, etc. Hoc modo etiam conceptus analogi dividuntur per ea omnia, de quibus ipsi prædicantur, utputa, *ens aliud* est *substantia* et *aliud accidens, aliud infinitum* et *aliud finitum*, etc. — Totum quod ita dividitur, in schola solemus nominare *totum potentiale*; partes vero per quas distribuitur, *partes subjectivæ*.

2° Divisio *materialis*, seu *realis*, quæ apud rerum latinarum scriptores proprie *partitio* vocatur (1), dicitur illa, quæ totum

(1) «*Partitionum* autem, ait Tullius in Topica, *et divisionum* genus quale esset, ostendimus; sed quid inter se differant, planius dicendum est. In partitione quasi membra sunt : ut corporis, caput, humeri, manus, latera, crura, pedes, et cætera (cap. VI). In divisione, formæ sunt, quas Græci ἰδέας vocant : nostri, si qui hæc forte tractant, *species* appellant... *Formas* qui putat idem esse, quod *partes*, confundit artem, et similitudine quadam conturbatus, non satis acute, quæ sunt secernenda distinguit (cap. VII).» Ex quibus apparet, per *partitionem* res quasi membratim discerpi, ac in partes suas discindi, per *divisionem* vero *ideas* rerum distribui. Hæc est propria significatio *partitionis* et *divisionis*, quamvis nunc hæ voces promiscue ab omnibus sumantur.

aliquod dividit per partes realiter distinctas inter se. Ipsa nihil est aliud quam quædam recognitio partium, quæ revera inter se distinctæ existunt a parte rei.

Hæc divisio, vel totum *essentiale physicum* partitur in partes ex quibus constituitur; ut si dicas : *Compositi humani alia pars corpus organicum, alia pars anima rationalis.* — Vel totum *integrale* in partes integrantes (1). Ex. c. si dicatur : *Partes corporis hominis sunt caput, humeri, manus, pectus, latera, crura, pedes*, etc.— Vel totum *potestativum*, subjectum nempe aliquod, secundum varias facultates quibus pollet; ut si dicatur : *Anima humana alia est apprehensiva, alia appetitiva, alia vegetativa, alia motiva.* — Vel denique dividit totum *accidentale*, cujus partitio tribus modis esse contingit; vel enim subjecta dividuntur juxta distributionem accidentium quæ ipsis inhærent ; ut *Animantia quædam alba sunt et quædam nigra* — Vel accidentia dividuntur juxta distributionem subjectorum quibus inhærent; ut *Alborum aliud lac, aliud nix*, etc. — Vel demum, accidentia in accidentia dividuntur, ut si dicatur : *Alborum aliud dulce, aliud amarum.*

3° Divisio denique nominalis est quæ dividit diversas significationes ejusdem vocis. Exemplum sit hæc vox *ratio*; imposita est enim ad significandam 1° potentiam intellectivam animæ humanæ; 2° motum quo intellectus a principiis ad conclusiones discurrit; 3° argumentationem, per quam aliquid probatur; 4° notionem vel essentiam rei, a conditionibus contingentiæ et mutabilitatis abstractam, quæ exprimitur in definitione.

III. *De legibus bonæ divisionis.*

Leges autem bene dividendi hæ sunt : 1ª *Divisio paucis membris contineri debet.* Etenim si pluribus membris, plus

(1) Partes integrantes dicuntur illæ, ex quibus totum aliquod ita coalescit, ut sine qualibet ipsarum concipi quidem possit, tamen imperfectum.

æquo constet, distrahit aciem mentis, eamque confundit et obruit; et sic a scopo suo non solum deficit, sed contrarium omnino efficit. « Comprehendere quemadmodum maxima ita minima, ait Seneca, difficile est... Idem vitii habet nimia quod nulla divisio. Simile confuso est, quidquid usque in pulverem sectum est (1). »

2ª *Divisum majus debet esse qualibet parte dividente*; alioquin *pars* non esset pars; nec *totum*, quod dividitur, totum. Hinc non est bona divisio ista : *Animal aliud rationale, aliud sensitivum*, sensitivum enim rationem animalitatis adæquat.

3ª *Totum divisum adæquare debet partes in quas dividitur; et vicissim partes dividentes totum divisum*. Nam divisio, si sit perfecta, nihil est aliud quam tota res divisa, *per suas partes explicata et distributa*.

4ª *Membra quæ totum dividunt, debent sese mutuo excludere*. Etenim, si in divisione pars aliqua recenseretur, in alio membro ejusdem divisionis inclusa, confusio ingereretur animo. Non bona ergo esset divisio, si quis diceret : *Substantia in increatam dividitur, creatam*, et *hominem*; etenim illud membrum *hominem* continetur in alio membro *creatam*. Hæc exclusio tamen in sensu *formali*, sumi debet, non autem in sensu *materiali*. Licet enim rem eamdem, quæ in se est una, secundum quod diversimode ab intellectu considerari potest, dividere, uti ex dictis constare potest.

5º *Divisio debet ordinate fieri*; ita scilicet, ut, incipiendo a partibus quæ toti sunt propinquiores, progrediatur ipsa ad alias partes, quæ sunt subdivisiones priorum. Vitiosa igitur esset divisio, si quis diceret : *Hominis alia pars corpus, alia intellectus, alia sensus, alia anima*, etc. — Bona vero : *Hominis alia pars corpus, alia anima*. Rursus, *Corporis alia pars caput, alia pars humeri*, etc. Item *Animæ alia pars vegetativa, alia sensitiva, alia intellectiva*. — Præterea bene ordinata divisio

(1) Ad Lucilium — Epist. Lib. XIV. Epist 1ª, (89).

exigit, ut, quoad fieri poterit, servetur ordo *ontologicus*, ordo nempe ipsarum rerum quæ dividuntur; vel etiam ordo *logicus*, ordo nempe secundum quem mens ordinate in cognoscendo procedit ab universalioribus ad minus universalia (1).

IV. *De utilitate divisionis.*

Tria sunt commoda quæ ex divisione proveniunt : 1° Rationem et viam aperit res intelligendi *sine multo labore*; nam mens dum rem dividit, minuit; eamque proinde reddit magis proportionatam brevitati luminis. Item, præcisionem ac distinctionem tribuit cognitioni; divisio enim, ut supra dictum est, quod est confusum et involutum declarat et explicat. 2° *Memoriam adjuvat*; res enim divisa et distributa per partes, facilius cognoscitur; firmius ac promptius ob quandam majorem affinitatem, in animo imprimitur, eique adhæret. 3° Maxime vero divisio ad *definiendum inservit* : definitio enim *metaphysica*, in re definienda dividere debet, quæ ad essentiam ejus pertinent, et quæ non; ad ipsam rursus pertinet essentiam adinventam distribuere per genus et differentiam. — Verum, illud in fine hujus capitis est firmiter retinendum, divisionem nempe parum prodesse, si singula membra divisa accurate diligenterque, separatim non considerentur. Hactenus de divisione.

(1) Ex his legibus divisionis duo loci argumentandi inferuntur, scitu utiles : Primus est : *Bona est consequentia, quæ ab omnibus membris divisionis simul sumptis, ad totum divisum infertur, vel econverso*. Ex. c. *Evangelium prædicatum est in Europa, in Asia, in Africa, in America, in Oceania. Ergo in toto mundo prædicatum est*. Vel *Evangelium in toto mundo prædicatum est. Ergo in Europa, in Asia*, etc.

Secundus est : *Si constet, quod uni vel alteri ex membris totius divisi, aliquid sit tribuendum, legitima est consequentia, si ipsis omnibus enumeratis, unum retineatur, reliquis prius rationabiliter exclusis*. Sic si quis dicat : *Tres sunt personæ Sanctissimæ Trinitatis Pater, Filius, Spiritus S.; una earum autem naturam humanam assumpsit. Atqui non Pater, non Spiritus S. eam assumpsit. Ergo Filius.*

CAPUT X.

DE MODO QUO ORDINARI DEBENT INTER SE REPRÆSENTATIONES INTELLECTUALES RERUM, NE ANIMO INGERANT OBSCURITATEM ET CONFUSIONEM.

I. *Ad logicam spectat in certos numeros ideas distribuere, ac suo unamquamque loco collocare.*

Ipsa interiori experientia moniti comperimus, manifestationes intellectuales rerum quæ in animo existunt, quamplurimas esse; easque tanquam igniculos concitatos huc illuc sine ordine in tenebris cursitare. Quæ quidem idearum deordinatio id solet in animo efficere, quod humorum deordinatio in corpore, ægritudinem nempe et languorem mentis. Ne ergo logica a scopo suo deficiat, ipsius est in certos numeros ideas distribuere, ac suo unamquamque loco collocare. Quod munus si feliciter absolvere queat, incredibile est quantum emolumentum inde humanus intellectus capere poterit. Hæc ordinatio enim, facilem et alacrem ad intelligendum, mentem reddit; eamque circa distinctionem accidentium ab essentia rerum, facit instructam; ad cognoscendas demum rerum naturas per definitionem et divisionem, omnino paratam.

II. *Quid de humana cognitione sub ordinationem cadere debeat, quales sint oporteat illæ ideæ, quæ tanquam principes huic ordinationi præsunt, qualis demum ordinatio ipsarum, declaratur.*

Priusquam de hac idearum ordinatione particulatim dicatur, quærendum est quid de humana cognitione sub ordinationem cadere debeat; quales sint oporteat illæ ideæ, quæ

huic ordinationi præsunt; qualis denique ordinatio ipsarum generatim sumpta.

Circa primum dico : Tria sunt in intellectu, quæ sub ordinationem cadere debent : 1° Simplices rationes objectivæ, quas mens de rebus intelligit secundum rationem genericam vel specificam. 2° Diversi respectus ac habitudines, in ipsis rationibus intellectis existentes ; ut *oppositio*, *prioritas*, *simultas*, *modus habendi*, *motus*. 3° Diversi modi attributionis et illationis, secundum quos una notio de altera prædicari potest, vel ab alia argumentando deduci. — In hoc capite de ordinatione rationum objectivarum quæ sunt simplices, dicendum est ; in alio capite de earum respectibus, de reliquis autem dicetur in aliis sectionibus.

Ideæ vero quæ huic ordinationi præsunt, tales esse debent, ut earum *ratio objectiva*, ea ratio nempe quam mens de ipsis intelligit, *determinata* sit oporteat. Etenim id cujus ratio objectiva non est satis determinata, sed vaga ac generalis admodum, ut ratio objectiva *entis*, *unitatis*, *existentiæ*, etc., est aliquid omnino confusum et non ratum, impar proinde, ut idearum ordinationi præsit.

Præterea, uniuscujuslibet harum idearum rationes, formaliter saltem, non solum *distingui* debent inter se, verum etiam *per se primo esse diversæ* ; ita nempe ut ratio objectiva generica vel specifica, ab una repræsentata, ab alia nullo modo repræsentetur. Etenim hujusmodi ideæ, quæ ordinationi conceptuum præesse debent, sunt lineamenta, sunt veluti sectiones separantes unum ordinem idearum ab alio. Jam vero non possent hoc ipsæ præstare, si non essent inter se distinctæ, ac primo per se diversæ (1).

Deinde, hujusmodi ideæ *abstractæ* et *universales* sint oportet, tanta abstractione et universalitate pollentes, ut ab

(1) *Primo per se diversa* in schola ea dicuntur, quorum unum non est sub alio, sicut *homo est sub genere animalitatis*, neque ambo sub tertio, *ut homo et animal sunt sub genere viventis*; quæ nempe inter se nullo modo conveniunt, neque secundum rationem specificam, neque genericam.

omni rerum differentia avulsæ considerentur, sicut quædam suprema genera rerum, ac rationes quædam immutabiles et sempiternæ; alioquin quomodo sub ipsis omnes quicumque conceptus collocari possent, ac in unum ordinate colligi et immutabiliter?

Ultimo, debent hujusmodi ideæ sufficienter enumerari, ut sic ratio objectiva entis a *nobis cognita*, integre et adæquate dividatur.

Circa generalem modum autem distribuendi has rationes, dico : Ut aliqua rite disponi possint, tria requiruntur : 1° Membra ordinanda debent aliqualem unitatem habere inter se, eaque numero finita esse, et non infinita. Ordinatio enim est quædam concinna ac rationalis distributio *totius* in suas partes. Nihil autem rationem *totius* habere potest, nisi aliquo modo sit unum : insuper nullum *totum* dividi potest, si partibus non constet numero finitis ; infinitum namque, vel melius indefinitum, non dividitur, quia non numeratur. — 2° Membra divisa ita inter se distingui debent, ut unum non includat alterum ; alioquin confusa esset distributio.— 3° Ordinatio fieri debet incipiendo ab iis, quæ sunt propinquiora unitati illi, sub qua omnia ordinantur; siquidem non est recta distributio, quæ fit per saltum.

Patet igitur, quid in distributione harum rationum sit præstandum : Oportet primo invenire quemdam conceptum *unum*, *fundamentalem*, sub quo omnes inferiores conceptus possint collocari. Deinde sunt recensendi conceptus, qui dividunt conceptum istum, unum, fundamentalem, sub quo continentur. Postremo, in recensione horum conceptuum incipiendum est ab iis, qui universalissimæ illi unitati sunt propinquiores.

III. *Quænam sit unitas illa suprema, sub qua omnes ideæ comprehenduntur, et quænam sit divisio ejus, declaratur.*

Ut res, de qua inquiritur, speciatim nunc definiatur, dico primo : *Unitas sub qua idealiter omnia comprehenduntur, est*

idea entis generalissimi (1). Siquidem omnia quæ concipi possunt, quatenus *sunt*, sub ratione entis unita comprehenduntur; unde et notio entis de omnibus omnino prædicatur; nam substantia est *ens*, accidens est *ens*, corpus est *ens*, spiritus est *ens*, etc. Quomodo autem unus et idem conceptus *entis* de omnibus prædicari posset, si omnia sub ipso, veluti sub toto quodam potentiali, non continerentur? Liquet ergo conceptum entis in tota sua latitudine sumptum, omnia complecti, ipsum esse veluti spatium ideale, sua potentialitate ambiens quæcumque ab humana mente cogitari possunt.

Dico secundo : *Conceptus generalissimus entis primo dividitur per substantiam et accidens.* Etenim quæcumque ratio objectiva a mente concipitur, aut est aliquid per se subsistens, ut *lapis*, *arbor*, *bos*, *homo*, etc., et hoc nuncupatur *substantia*; aut est aliquid alteri inhærens, ut *figura*, *motus*, *albedo*, *sonus*, etc., et hoc dicitur *accidens*. Non datur medium, ut patet; quæcumque sub unitate conceptus entis continentur, sub alterutro horum membrorum contineantur oportet.

Dico tertio : Accidens vero est « aut *quantum*, *aut quale*, *aut ad aliquid* (*relatum*), *aut ubi*, *aut quando*, *aut situm esse*, *aut habere*, *aut agere*, *aut pati*... Quantum, ut *bicubitum*, *tricubitum*. — Quale, ut *album*, *grammaticum*. — Ad aliquid (relatum), ut *duplum*, *dimidium*, *majus*. — Ubi, ut in *Lyceo*,

(1) « Ens dupliciter dicitur, ait S. Thomas, uno modo prout significat *entitatem rei*, prout dividitur *per decem prædicamenta*. Et sic convertitur cum re. Et hoc modo nulla privatio est ens. Unde nec malum. Alio modo dicitur *ens* quod significat *veritatem propositionis*, quæ in compositione consistit : cujus nota est, hoc verbum *est*. Et hoc est ens quo respondetur ad quæstionem *an est*. Et sic cæcitatem dicimus esse in oculo, vel quamcumque aliam privationem. » — 1ª P. q. 48, a. 2, ad 2um. — Cf. Op. de *ente et essentia*, cap. I, inter opuscula D. Thomæ — et Quodlib. IX, a. 3. — Uti apparet, nos hic loquimur de ente prout significat *entitatem realem*.

in *foro*. — Quando, ut *heri*, *pridie*. — Situm esse, ut *reclinatus est*, *sedet*. — Habere, ut *calceis indutus est, armatus est*. — Agere, ut *secat*, *urit*. — Pati, ut *secatur*, *uritur* (1). » Quæ Aristotelea enumeratio, secundum quam *accidens* dividitur, quod sit completa, nonnisi a posteriori probari potest, ut postea dicemus. — Hi sunt igitur, addito conceptu *substantiæ*, decem supremi illi conceptus, sub quibus in recta linea omnes inferiores conceptus collocari possunt. Ab Aristotele *categoriæ* ipsi nominantur, i. e., ut bene vertit Boetius, *prædicamenta*, quippe quæ *de omnibus quæ sub illis sunt*, *prædicantur* (2); dicuntur quoque *suprema genera*, quia sub quolibet ipsorum series quædam specierum coordinatur. — De singulis istis fundamentalibus conceptibus aliqua dicere oportet; non quidem eorum naturam investigando, hoc enim ad Ontologiam pertinet; sed solum tantum doctrinæ de ipsis tradere, quantum sufficit, ut mens aliquid de ipsis attingere possit, pro absolvenda disciplina, quæ ad directionem simplicis apprehensionis intellectus ordinatur.

IV. *Singula prædicamenta breviter explicantur.*

Enumerati conceptus breviter in præsenti sunt declarandi,

(1) Aristoteles, *Categoriæ*, cap. II, n. 6, edit. Didot, vol. I, pag. 2.

(2) Lib. *Categoriæ*, cap. II, n. 3, edit. Didot, vol. I, pag. 1. — « Κατηγορεῖν, ait Trendelenburgius, missa accusandi potestate apud Aristotelem, generalem referendi et enunciandi vim tenet, atque quæ inest præpositio κατὰ non *contra*, sed *de* valet. Ita factum est, ut κατηγορία a Boëthio *prædicamentum* verteretur. Neque aliter apud Aristotelem τὰ κατηγορήματα (metaphys. VII, 1, p. 1028, a 33. — phys. III, 1, p. 201 a. 1. — Editioni a nobis passim citatæ, respondet : Metaphys. lib. VI, c. 1, vol. II, pag. 538 — et Phys. lib. III, cap. I, v. II, pag. 273). In nomine igitur nulla est causa, cur categorias modo, veluti stoici, ultima rerum genera (τὰ γενικώτατα), modo, velut Kantius, primas notiones ab ipsa mente genitas statuant. Sunt autem apud Aristotelem summa prædicationis genera. — Elementa Logices Aristoteleæ, editio sexta. — Adnotata, § 3. »

ita ut potius significatio diversarum vocum, quibus designantur, quam ipsorum natura, exponatur. Itaque primus ac supremus conceptus significatur per hanc vocem Substantia : Hæc vox imposita est hic ad significandum quidquid repræsentatur in mente *modo universali, a singularitate abstractum*, tanquam aliquid quod non habet esse in alio, sed *in se ac per se subsistit, atque accidentia sustinet*. Ex. c. moveri, vegetare, esse sanum vel ægrum, sentire, intelligere, velle, etc., repræsentantur in mente uti affectiones, quæ non constant per se, sed a subjecto sustinentur, nempe ab homine in quo reipsa subsistunt : ipse homo autem repræsentatur in mente modo universali, ut aliquid non habens esse in alio, sed in se ac per se subsistens, cui possunt accidentia inhærere (1).

Conceptus substantiæ tum proprie constituitur supremum

(1) Notandum est hic, hanc vocem *substantia* triplicem habere significationem : 1o Significat *individuum quod per se subsistit in natura*, ut *hic homo*, *hic equus*, *hic lapis*, etc.; definitur ab Aristotele, «quæ neque de subjecto quopiam dicitur (per modum prædicationis; non enim hic homo *Paulus* vel *Joannes* de aliquo prædicatur), nec in subjecto quopiam est (sicuti est accidens). — Categ. cap. II.» Substantia hoc modo accepta, ab eodem Aristotele *prima* vocatur, *propriissime et maxime sic dicta*, ut ibidem habet: ratio est, quia res singularis et individua terminata, proprie subsistit in se, et accidentia sustinet; non enim homo universe sumptus, ambulat vel sedet, tristatur vel gaudet, sed hic homo singularis. — 2o Significat aliquid per se subsistens, non tamen in singulari, sed in *universali*, ut *vivens*, ut *animal*, ut *homo*, ut *omnia genera*, *species*, ac *differentiæ rerum subsistentium per se* : ab Aristotele vocatur substantia *secundaria* ; eaque de prima prædicatur, tanquam de subjecto logico (non *physico* sicut est subjectum accidentium, quod et *inhæsionis* dicitur); quia quod est singulare logice subjicitur universali : sic cum dicitur : *Petrus est homo*.— De substantia hoc modo accepta, in præsenti fit sermo. — 3o Substantia significat essentiam cujuscumque rei sive per se subsistentis, sive alteri inhærentis. «Item, ait Aristoteles (lib. IV, Metaph. cap. VIII, pag. 521), quod quid erat esse, cujus ratio definitio est, etiam hoc uniuscujusque substantia (οὐσία) dicitur.»

ac universalissimum genus, sub quo tota series generum ac specierum rerum per se subsistentium comprehenditur, cum consideratur sub nuda et abstracta ratione rei per se subsistentis (en ratio ejus positiva), quæ quamcumque posteriorem determinationem in linea substantiæ a se excludit (en ratio ejus negativa), puta, *esse rei incorporalis, vel corporalis, vel viventis, vel sentientis, vel rationalis.*

Itaque si conceptus substantiæ hoc modo consideretur, tota series tunc generum ac specierum rerum per se subsistentium, sub ipso ordinate comprehenduntur. Sub ipso enim ordinatur conceptus substantiæ quæ est *incorporea*, et quæ est *corporea*. Rursus, sub conceptu universali substantiæ corporeæ, ordinatur conceptus substantiæ corporalis, *quæ anima caret*, ut *aqua*, *ignis*, *lux*, *saxum*, etc. ; et conceptus substantiæ corporalis *animatæ*, quæ de omnibus viventibus prædicatur.

Item, sub conceptu universali substantiæ corporalis-*animatæ*, ordinatur conceptus substantiæ corporalis animatæ quæ *non sentit*, ut sunt *omnes plantæ*; et conceptus substantiæ corporalis animatæ *quæ sentit*, ut sunt *omnia animantia.*

Denique, sub conceptu universali substantiæ corporalis animatæ *quæ sentit*, ordinatur conceptus substantiæ corporalis-animatæ quæ sentit et *non ratiocinatur*, ut *equus*, *bos*, *asinus*, etc., et conceptus substantiæ corporalis-animatæ quæ sentit et *ratiocinatur*; ut sunt *omnes homines.*

De primo prædicamento igitur, quod constituitur per conceptum primum ac universalissimum, omnium, ut ita dicam, antiquissimum in linea substantiæ, quod est veluti casa, sedes, receptaculum et loculus vacuus, a tota serie generum ac specierum rerum per se subsistentium implendus, satis dissertum est.

Quantitas : Hæc vox imposita est ad significandam rationem illam objectivam *secundum quam res corporalis distribuitur per partes*, per quam nempe una pars ponitur extra aliam. Hinc *quantitas* idem est ac *extensio*, cujus partes sunt distributæ. Definitur ipsa : *Accidens extendens substantiam per partes.*

Conceptus quantitatis sic universe acceptus, prout nempe abstrahit a quacumqne determinatione, quæ sub ratione quantitatis continetur, proprie supremum genus ac prædicamentum quantitatis constituit, sub quo series rationum objectivarum, quæ diversimode partes substantiæ corporalis distribuunt, continetur.

Siquidem sub hoc prædicamento ordinatur conceptus universalis quantitatis quæ est *permanens*, *cujus partes simul existunt*, ut quantitas *lineæ*, etc.; et conceptus universalis quantitatis quæ est *successiva*, *cujus partes continua successione fluunt*, ut *motus*, ac ita deinceps varii alii conceptus quantitatis *successivæ*. Nam sub conceptu universali quantitatis *successivæ* est conceptus quantitatis quæ est *tempus*, quæ est *oratio* seu *locutio*.

Sub conceptu vero universali quantitatis quæ est *permanens*, continetur conceptus quantitatis *continuæ* seu *molis*, cujus partes simul existunt, ac invicem uniuntur inter se; et conceptus quantitatis *discretæ* seu *multitudinis*, quæ constat ex partibus simul existentibus, quæ tamen non habent unionem inter se.

Rursus, sub conceptu universali quantitatis permanentis *continuæ* comprehenditur conceptus *lineæ*, *superficiei*, et *solidi*, corporis nempe extensi in longum, latum, et profundum. Et hæc de alio prædicamento quod est *quantitas*, sufficiunt (1).

Relatio : Hæc vox imposita est hic ad tertiam categoriam significandam, quæ non est aliud quicquam, quam conceptus universalis, cujus ratio objectiva tota consistit *in habitudine unius ad aliud*. «Est autem relatorum essentia, ait Aristoteles,

(1) Præstat hic adnotare, quod etsi quantitas *proprie* sumatur semper pro quantitate *dimensiva*; *metaphorice* tamen dicitur etiam de rebus spiritualibus, et significat in ipsis vel *excellentiam naturæ*, vel *durationem in existendo*, vel *intensitatem*, vel etiam *extensionem virtutis in agendo*. «In iis, inquit Augustinus (lib. 6o de Trin. cap. 8), quæ non mole magna sunt (*sed virtute*), hoc est majus esse quod est melius esse.»

nihil aliud, quam modo quopiam *ad aliquid esse affectum* (1).» Tales sunt conceptus universales *paternitatis*, *filiationis*, *dominationis*, *servitudinis*, ac generatim omnes illi conceptus qui significant respectus, in *convenientia* rerum fundati, ut *duo parietes albi*; vel in *disconvenientia*, ut *album et nigrum*; vel in *actione* et *passione*, ut *causa* et *effectus*; vel in *mensura* et *mensurabili*, ut *exemplar* et *exemplatum*.

Ratio objectiva conceptus relativi, qui in *convenientia* fundatur, quandoque exprimit respectum existentem inter terminos, eo quod *eamdem habent naturam*, ut inter duo invididua ejusdem speciei.— Hæc relatio *identitatis* nominatur. Quandoque inter terminos, eo quod *conveniunt secundum quantitatem*, ut duo corpora ejusdem dimensionis. — Hæc relatio *æqualitatis* dicitur. Quandoque inter terminos, eo quod *conveniunt secundum qualitatem*, ut duo homines in eadem arte, vel scientia periti. — Hæc relatio *similitudinis* nuncupari solet.

Iterum, ratio objectiva conceptus significati per hanc vocem *relatio*, quandoque est cum *reciprocatione* utriusque termini relati, ut inter Patrem et Filium — Hæc relatio appellatur *mutua*. — Quandoque est respectus ex parte unius termini tantum, ut creatura ad Deum.— Hæc relatio vocatur *non mutua*.

Denique, ratio objectiva conceptus relationis quæ est *mutua*, est duplex. Quandoque enim utrobique ex parte terminorum est ejusdem rationis, ut duo parietes albi — Relatio ista nominatur *æquiparantiæ*. Quandoque vero ex parte terminorum, non est utrobique ejusdem rationis, ut respectus existens in Patre ad Filium est diversus ab eo qui existit in Filio ad Patrem — Relatio ista *disquiparantiæ* dicitur. — De relatione dictum est sufficienter (2).

(1) *Categoriæ*, cap. V, *De relatis ad aliquid*, — pag. 12. —

(2) Nota : Relatio generatim sumpta, significat *respectum*, seu *ordi-*

Qualitas : Hæc vox imposita est ad significandam rationem objectivam, secundum quam substantia concipitur tali vel tali modo disposita, et definitur : *Modus quidam seu dispositio substantiæ.* Ratio ista objectiva sic *universe accepta*, constituit quartam categoriam.

Quatuor species sub ipsa collocantur : Prima species qualitatis constituitur per rationem objectivam, secundum quam concipitur substantia bene aut male disposita in se, vel respectu operationis. Talis est modus quo disponitur substantia secundum *sanitatem* vel *ægritudinem*, secundum *virtutem* vel *vitium*, *scientiam* vel *ignorantiam*, et quamcumque *peritiam* vel *imperitiam* in aliqua arte, puta, ad *pingendum*, ad *canendum*, ad *citharam pulsandam*. — Hujusmodi qualitates, si ex earum natura facile ac cito a subjecto discedant, tunc *proprie dispositiones* dicuntur; si vero ex propria natura habeant, quod firmiter adhæreant subjecto, tunc proprie dicuntur *habitus*.

Alia species qualitatis est ratio quædam objectiva, secundum quam mens concipit substantiam *fortem*, vel *remissam* ad agendum, puta, homo est fortis vel remissus ad *ambulandum*, vel ad *audiendum*, vel *videndum*, vel *intelligendum*, vel *appetendum*, etc. — Hæc dispositio si fortem ad agendum faciat substantiam, *potentia* dicitur; si debilem ac remissam, *impotentia*.

nem unius rei ad aliam. Si ordo inest rebus ipsis dicitur *realis*; *sic scientia ordinatur ad objectum, potentia ad actum*, etc. Sin ordo ope mentis excogitetur, tunc dicitur relatio *rationis*. Sic *genus* vel *species ordinatur ad inferiora*, talis quoque est ordo *inter prædicatum et subjectum.* Rursus si ordo in ipsa essentia rei contineatur, ita ut entitas ipsa cujusdam rei absolutæ ex propria sua natura ordinetur ad aliud, ut *anima ad corpus*, etc., hæc relatio tunc nominatur *transcendentalis*, vel etiam *secundum dici.* Sin ordo, essentiæ rei adveniat et quasi superponatur, ut *Filiatio* respectu hominis, tunc relatio ista dicitur, *secundum esse*, vel etiam *prædicamentalis.* — De hac relatione, ut patet, hic modo fit sermo.

Tertia species qualitatis est ratio objectiva, secundum quam mens concipit *dispositionem, quæ vel inducit alterationem in sensu, sicut est dispositio illa quæ est in igne ad calefaciendum*; *vel ipsam alterationem sensibilem consequitur, sicut est calor in corpore animantis calefacto ab igne.* — Hæ qualitates si cito discedant, ut est *pallor ex ira*, vel *metu*, vel *rubor ex verecundia*, a schola appellantur *passiones*; quod si firmiter inhæreant, *patibiles qualitates.*

Quarta et ultima species qualitatis est ratio objectiva, secundum quam mens concipit *substantiam quantam diversimode terminatam*; puta, secundum figuram *quadratam*, vel *triangularem*, vel *cubicam*, vel *pyramidalem*, vel *sphæricam*, etc.—Hæc dispositio si in rebus sit naturaliter, proprie *figura* nominatur; sic dicimus *figura hominis, vel bovis*, etc. — Sin in rebus ex artificio, *forma*; ut forma *cultelli*, *domus*, etc. De qualitate non oportet plura dicere.

Actio : Hæc vox imposita est ad significandam rationem objectivam, secundum quam mens intelligit *modum illum, quo causa constituitur actu aliquid efficiens*, qui modus nihil est aliud, quam egressio effectus a causa. — Duo genera actionum sunt distinguenda; sunt enim actiones, quæ manent in ipso principio a quo eliciuntur, ut *intelligere*, *velle*, *sentire*, etc.; aliæ vero quæ extra principium a quo sunt, transiliunt, ut *secare*, *urere*, *loqui*, etc. — Actiones prioris generis *immanentes* dicuntur; posterioris generis, *transeuntes.*

Passio : Hæc vox imposita est ad significandam rationem objectivam, secundum quam mens intelligit modum illum, *quo aliqua res constituitur actu recipiens aliquid*; ut, *dum manus calefit*, est aliqua passio in ipsa, nempe receptio impressionis, quæ producitur ab igne.

Ubi : Hæc vox imposita est ad significandam rationem objectivam, secundum quam intelligitur modus ille, qui est *circumscriptio rei corporalis a circumscriptione loci*, ita ut res corporea sit hic et non alibi; puta, *Antonius est Mediolani*

et non Romæ, Franciscus est Lovanii et non Londini. — Hujus prædicamenti sex differentiæ ab Aristotele notantur: *Sursum, Deorsum, Ante, Retro, Dextrorsum, Sinistrorsum;* quæ differentiæ, ut idem auctor notat, secundum respectum ad universum orbem spectari debent.

Situs : Hæc vox imposita est ad significandam rationem objectivam, secundum quam intelligitur modus ille, qui rei contingit *ex certa ejus partium dispositione;* utputa, Petrus *stat, sedet, jacet.*

Quando : Hæc vox imposita est ad significandam rationem objectivam, secundum quam intelligitur *modus quidam, qui rei contingit prout a tempore mensuratur*; ut *Heri, Cras, Hodie, Mense elapso, Die præterito, Anno venturo,* etc.

Habitus : Hæc vox imposita est ad significandam rationem objectivam, secundum quam intelligitur *modus quidam resultans in corpore ex circumpositione vestium vel armorum;* ut cum quis indutus dicitur *veste talari,* vel *purpura regis,* vel *veste militari.* — Hi sunt decem illi famosi ac fundamentales conceptus, quibus universa comprehenduntur, et a quibus omnis divisio nascitur. Sunt ipsi decem unitates, quarum quælibet, dum per multiplices ac diversas rerum species distribuitur, in unitate, in varietate, in affinitate, res sibi subjectas continet; quod humanam cognitionem plurimum adjuvat (1). Solent autem isti conceptus uno disticho sic comprehendi :

Substantia, Quantitas, Relatio, Qualitas, Actio, Passio,
Arbor, Sex, Servos, Calore, Refrigerat, Ustos, ARDORE.
Quando, Ubi, Situs, Habitus.
Cras, Ruri, Stabo, nec Tunicatus ero.

(1) De inventore horum prædicamentorum hæc habet Boetius : « Archites etiam duos composuit libros quos Καθόλους Λόγους inscripsit, quorum in primo hæc decem prædicamenta disposuit. Unde posteriores quidam non esse Aristotelem hujus divisionis inventorem suspicati sunt, quod Pythagoricus vir eadem conscripsisset; in qua sententia Jamblicus

V. *Allata enumeratio ac distributio primorum conceptuum, adamussim respondet requisitis, de quibus sub numero secundo in hoc capite dictum est.*

Haud est difficile perspicere hanc fundamentalium conceptuum enumerationem, conditiones, a nobis supra allatas, omnes adamussim implere. Ipsi enim *numero finiti*, proxime et immediate dividunt ens generalissimum, ac sub *suprema ista unitate*, *distincti* inter se, distribuuntur.

Deinde, omnia requisita habent, ut universali ordinationi nostrarum idearum præesse queant. Eorum enim ratio objectiva non est aliquid vagum et incertum, aliquid analogum

philosophus est non ignobilis, cui non consentit Themistius, neque concedit eum fuisse Architem, qui Pythagoricus Tarentinusque esset, quique cum Platone aliquantulum vixisset, sed peripateticum aliquem Architem, qui novo operi auctoritatem vetustate nominis conderet.» — In *Categorias* Aristotelis, lib. I, in *præfatione*. — Quamvis vero de inventore prædicamentorum disputetur, de scriptore tamen hujus libri *(Categoriæ)*, qui inter opera Aristotelis recensetur, certum esse videtur, ipsum esse Aristotelem.— Intentionem Aristotelis in scribendo de decem *categoriis*, hoc modo idem Boetius declarat : «Aristoteles qui de decem prædicamentis inscribitur, librum hac intentione composuit, ut infinitas rerum diversitates, quæ sub scientiam cadere non possent, paucitate generum comprehenderet, atque ita id quod per incomprehensibilem multitudinem sub disciplinam venire non poterat, per generum, ut dictum est, paucitatem, animo fieret scientiæque subjectum (h. e. objectum). — In Porphyrium, commentariorum lib. I. — In dialogo primo *in Porphyrium* fere idem habet : «Vidit Aristoteles, ait Boetius, infinitam miscellamque esse rerum omnium, verborumque disparitatem, et ut eorum ordinem reperiret, in decem primis sermonibus, prima rerum genera significantibus, omne quidquid illud vel rerum, vel sermonum poterat esse collegit.» —

Hæc decem *prædicamenta* vero aliis nominibus appellari possunt : *Decem primæ voces*, *decem primi sermones*, vel *decem suprema genera*, vel *decem fundamentales conceptus*, seu *notiones*.

et confusum, sed aliquid *certum* et *determinatum*, ut aperte consideranti apparet.

Inter se non solum sunt distincti, verum etiam *primo et per se diversi;* nam etsi secundum aliqualem *analogiam* et *convenientiam*, puta in ratione *entis*, vel *accidentis*, vel *esse absoluti*, prout esse absolutum negat respectum ad alterum, aliquid commune habeant inter se; nihilominus secundum rationem *univocam* ac *determinatam*, nihil habent commune inter se. Prædicamenta ergo in unicum genericum conceptum nequeunt revocari (1).

Præterea, tanta abstractione et universalitate pollent, ut sub quolibet ipsorum, omnia ad determinatam seriem notionum pertinentia comprehendantur, ipsa vero sub nullo.

Denique, sufficientissime enumerantur; quia *integre et adæquate dividunt ens*; non *simpliciter*, hoc enim non auderem dicere, sed solum *relate ad universitatem rerum a nobis cognitam*, uti per reductionem probari potest. Et vere quidem,

(1) Etsi prædicamenta in unicum conceptum *entis*, et, excepta substantia, in unicum conceptum *accidentis* revocantur; nihilominus nec *ens* nec *accidens* potest secundum rationem *generis* de ipsis prædicari. Id enim potest secundum rationem generis de aliis prædicari, cui differentia superaddi potest ut notio diversa a notione ipsius; sic esse animali, quod habet rationem generis, superadditur esse rationale, quod habet rationem differentiæ, ut aliquid ab ipso diversum. »Differentia, ait S. Thomas, cum non participet genus, est extra essentiam generis (Lib. V. Metaphys. lect. 9a).« Atqui conceptui entis nihil superaddi potest ut aliquid extra essentiam ipsius; omne enim quod est, est ens, et extra ipsum nihil est. Ergo ens nequit habere rationem generis respectu decem prædicamentorum. — Idem dicatur de conceptu accidentis; novem enim illa genera quæ dividunt accidens, non addunt aliquem modum qui sit extra conceptum aptitudinis inhærendi subjecto. Hæc enim aptitudo, quæ notionem accidentis constituit, totam rationem cujuslibet accidentis comprehendit, ac ipsam pervadit. — Sed de his alibi ex proposito dicetur.

si quis enim per omnium conceptionum recensionem, vel, vocabulario adjutus, vocum, quibus ad exprimendos conceptus utimur, patienter vellet enumerare omnia, quæ ab homine in statu præsenti cognosci possunt, reperiret sane nihil ab homine cogitari, quod sub aliquo horum prædicamentorum non contineatur. Ipsa proinde merito a Quintiliano *elementa* dicuntur, *circa quæ versari videatur omnis quæstio* (1).

Ex his omnibus compertum habetur, allatam enumerationem ac distributionem primorum conceptuum, apprime respondere normæ, quæ supra sub numero secundo a nobis tradita fuit.

VI. *De quinque universalibus seu prædicabilibus, nempe de genere, de specie, de differentia, de proprio, et de accidente; quorum cognitio est necessaria ad prædicamenta ordinanda.*

Quoniam sub quolibet prædicamento est quædam determinata series *notionum universalium*, quæ de re *aliqua individua essentialiter* prædicantur, quæque supra ipsam *ordinate* distribuuntur et collocantur; idcirco ut doctrina de prædicamentis absolvatur, sunt hæc cognoscenda : 1° Quid sit individuum, et quot modis notio aliqua prædicari possit de ipso. 2° Quid, et quotuplex sit notio universalis, quænam sint proprietates ejus. 3° Quænam ex notionibus quæ de individuo prædicantur, debeant poni in prædicamento sub quo ipsum est, et quænam non. 4° Quomodo denique notiones universales debeant sub prædicamento distribui (2).

(1) Lib. 3, Inst. c. 7.

(2) Notitia quinque universalium, quæ primitus a Porphyrio redacta et exposita fuit, non solum ad ordinandas notiones sub prædicamento inservit, verum etiam ad *definitionem*, quæ circa essentialia versatur; ad *divisionem*, cujus est discernere essentialia ab accidentalibus; ad *demonstrationem*, quæ potissime ab essentia rerum ducitur, est necessaria. De hac re sic ipse Porphyrius loquitur : « Cum sit necessarium, Chrysaori, et ad eam quæ est apud Aristotelem prædica-

Circa primum dico : Quæcumque ratio objectiva, quæ est aliquid *indivisum in se et a quocumque alio divisum, divisione ultima*, ita scilicet quod de pluribus prædicari nequeat, nominatur *individuum*. Talis est ratio objectiva quæ significatur in hac voce : *Hic homo*, *Joannes*, *Paulus* — *Hoc album*, *hic ignis*, etc. Definiri potest : *Est id quod prædicatur de uno solo particulari* (1).

Eorum autem quæ de individuo prædicantur, quædam ut *essentialia* prædicantur, quædam ut *propria*, quædam ut *accidentalia*.

1° Ut ESSENTIALIA prædicantur de individuo quæcumque *primo ac per se*, semper ac necessario ei insunt, tanquam proprium constitutivum ipsius. Quæ ita prædicantur, *prædi-*

mentorum doctrinam nosse quid sit *genus*, quid *differentia*, quid *species*, quid *proprium*, et quid *accidens*, et ad *diffinitionum* assignationem, et omnino ad ea quæ in *divisione* et in *demonstratione* sunt, utili istarum rerum speculatione compendiosam tibi traditionem faciens, tentabo breviter, velut introductionis modo, ea quæ ab antiquis dicta sunt, aggredi.» *Isagoge Porphyrii*, in principio libri.

(1) Alio modo Porphyrius definit, vel potius describit individuum : «Individua, ait ipse, dicuntur hujusmodi, quoniam ex proprietatibus consistit unumquodque eorum, quarum collectio nunquam in alio quolibet eadem erit. Socratis enim proprietates (nempe quod sit talis complexionis, *forma;* quod talia sint lineamenta vultus ejus, *figura;* quod in Græcia sit natus, *locus*; anno 470 ante adv. J. C., *tempus;* quod appelletur *Socrates*, *nomen;* quod sit filius Sophronisci, *sanguis;* quod Athenis sit natus, *patria)* nunquam in aliquo quolibet erunt particularium (simul junctæ) eædem.» *Isagoge*, cap. II, de *Specie*. — Nota : Individuum potest *definite* significare rem singularem, naturam nempe hac singularitate affectam, puta, *Petreitate*, quæ est modus existendi proprius hujus rei singularis, quæ est *Petrus* : et potest significare rem singularem indeterminatam et vagam, prout scilicet aliquam naturam significat cum modo existendi qui est proprius singularium in *genere*, utputa *aliquis homo*. Res individua, supra quam ponitur ordinatio notionum universalium, juxta priorem significationem hic sumitur.

cabilia essentialia dicuntur ; eaque sunt in triplici differentia, ut postea dicetur.

2º Ut PROPRIA prædicantur de individuo ea, quæ *necessario* quidem ac *semper* ei insunt, non tamen *primo ac per se*; sed cum dependentia a primo principio formali, a quo ipsa procedunt. Sic *vis intelligendi* vel *appetendi*, *facultas videndi*, cuicumque individuo naturæ humanæ semper ac necessario inest; non tamen primo ac per se, sed cum dependentia a principio essentiali hominis. Id quod ita prædicatur, *prædicabile proprium* (1) nominatur.

3º Denique prædicantur de individuo ut ACCIDENTIA, quæcumque possunt adesse et abesse salva natura ipsius (2).

(1) Ne sit æquivocatio in illa voce *proprium*, varias ejus significationes hoc modo Porphyrius declarat : « Proprium, ait ipse, quadrifariam dividunt : nam et id quod soli alicui speciei accidit, etsi non omni, proprium est : ut homini esse medicum vel geometram. — Et quod omni accidit, etsi non soli, quemadmodum homini esse bipedem. — Et quod soli, et omni, et aliquando ; ut homini in senectute canescere. — Et quod soli, et omni, et semper ; quemadmodum homini esse risibile : nam etsi non rideat semper, tamen risibilis dicitur, non quod semper rideat, sed quod semper aptus natus sit ad ridendum, hoc autem ei semper naturale est, ut et equo hinnibile. Hæc autem nominantur vere *propria* (de quibus modo loquimur), quoniam convertuntur : quidquid enim est equus, hinnibile est, et quidquid hinnibile, equus. » *Isagoge*, cap. IV, de *proprio*.

(2) Possibilitas ista secundum quam dicitur, *accidens posse adesse et abesse salva natura subjecti*, intelligi debet de possibilitate *logica* seu *absoluta*, quæ dicit simplicem non repugnantiam ; non autem de possibilitate *physica*, quæ dicit possibilitatem facti respectu causæ secundæ naturaliter operantis. Est igitur sensus definitionis, quæcumque *logice* non sunt necessario conjuncta cum substantia alicujus, quamvis per nullam creatam virtutem ab ipsa de facto removeri queant, ut est *nigredo ab Æthiope*; nihilominus *accidentia* dicuntur.

Item circa hoc nomen *accidens* notetur, ipsum significare entitatem cujus est inhærere alicui subjecto, quæ supra distributa est per novem

Quod homo sit albus vel niger, quod habeat talem complexionem, talia lineamenta vultus, quod Romæ sit natus vel Neapoli, quod sedeat vel ambulet, taceat vel loquatur, sit juvenis vel senex, tristitia vel gaudio afficiatur, quod sit ignarus vel doctus, hæc omnia cuicumque humano individuo adesse possunt et ab ipso abesse, salva natura ipsius.

Ex his ergo patet, qualis sit prædicatio secundum quam notiones attribui possunt individuo : Quædam essentialiter ei attribuuntur, ut propria constitutiva ejus, sine quibus nec esse nec concipi posset ; quædam vero per modum adjuncti *essentialis*, ut sunt *proprietates* ; quædam per modum adjuncti *contingentis, ut sunt accidentia.*

Circa secundum dico : Notio universalis est ratio aliqua objectiva a singularibus abstracta, quæ secundum eamdem rationem de pluribus prædicari potest (1). Sic ratio objectiva

prædicamenta, ut *quantitas*, *qualitas*, etc., quod accidens *physicum* nominatur ; rursus, significare quidquid cum essentia non est necessario conjunctum, hoc modo etiam privationes *accidentia* dicuntur, ut cæcitas in oculo, quod accidens *logicum* nominatur. Hoc ultimo sensu hic sumitur *accidens.*

(1) Omne quod potest respicere plura, nominatur *universale* : contra ponitur ei quod nequit respicere plura, et *singulare* appellatur. Quia vero hujusmodi respectus ad plura, et in *vocibus* reperitur, ut in hac voce *animal*, quæ de pluribus dicitur : et in *causis*, ut in Deo, cujus virtus productionem omnium respicit : et in *attributione* notionum, quatenus una notio de pluribus prædicatur ; idcirco triplex universale solemus in schola distinguere : In *significando*, in *causando*, in *prædicando.*—In præsenti de universali in prædicando loquimur, quod in schola definiri solet : *Unum aptum inesse multis* — vel melius : *Unum aptum prædicari de multis.* Hoc universale nominatur *logicum*, et ab universali, uti aiunt, *metaphysico* distinguitur ; nam universale metaphysicum est ratio objectiva rei secundum se considerata, abstracta ab iis quæ sunt præter ipsam ; universale autem logicum præter rationem objectivam sic abstractam, dicit etiam respectum ad plura particularia, actu

significata in hac voce *animal*, de omnibus hominibus ac de omnibus brutis animantibus secundum eandem rationem, prout scilicet exprimit principium sentiendi, prædicatur. Dicimus enim : *Homo est animal, equus est animal, bos est animal.*

Ratio ista objectiva a singularibus abstracta ac universalis, a ratione objectiva prædicabilium non differt ; nam est notio, quæ vel *essentialiter*, vel per modum *adjuncti proprii*, aut *contingentis* de re prædicatur. Sunt autem quinque *universalia*, quemadmodum et *prædicabilia* : *Genus*, *species*, *differentia*, *proprium*, *accidens*. Genus, ut *animal*; species, ut *homo*; differentia, ut *rationale*; proprium, ut *visibile*; accidens, ut *sedere*, *ambulare*, *currere*, *intelligere*, *velle*. At de singulis breviter aliquid dicendum est, ab altioribus quæstionibus abstinendo.

Genus : Hæc vox proprie significat eam partem essentiæ, secundum quam res aliqua convenit cum aliis, quæ sunt alterius naturæ, eisque est similis; ut hæc vox *animal* respectu *hominis* et *bovis*. Definiri potest : *Est ratio aliqua objectiva, abstracta et universalis, quæ de pluribus inter se natura diversis, essentialiter prædicatur*(1). Ad rationem *generis* proinde

vel potentia existentia, de quibus prædicatur. — Notio universalis spectari potest ut forma quædam idealis archetypa, ad quam res singulares sine numero accommodari possunt; ut formæ ideali circuli in mente existenti, circuli sine numero a parte rei accommodari possunt. — Circa originem ac naturam universalium difficiles ac altissimæ quæstiones moventur, de quibus non est hic locus dicere. «De generibus et speciebus, ait Porphyrius, sive subsistant, sive in solis nudis intellectibus posita sint, sive subsistentia corporalia sint an incorporalia, et utrum separata a sensibilibus, an in sensibilibus posita : et circa hæc consistentia dicere recusabo. Altissimum enim negotium est hujusmodi, et majoris egens inquisitionis,» quæ ad Logicam minime spectat. — *Isagoge*, Proœm.

(1) Hæc vox *genus* primo usurpata fuit, ut testatur Porphyrius, pro

tria pertinent : Prædicatur secundum idem de *pluribus*; de pluribus *natura differentibus*; *essentialiter*.

Genus dicitur *supremum*, si nulli alteri generi subjiciatur, ut sunt decem prædicamenta. Dicitur *proximum* vel *infimum*, si sub se nullam contineat rationem genericam; ut *animal*. Dicitur denique *subalternum* vel *intermedium*, si ex una parte uni generi subjiciatur, ex altera vero sibi alterum subjiciat genus. Ex. c. ratio objectiva communis quæ significatur in hac voce *vivens*, subjicitur generi, quod est *substantia*; ipsum autem subjicit sibi *genus*, quod est *animal*.

Differentia : Hæc vox proprie significat eam partem essentiæ, secundum quam res aliqua concipitur in sua proprietate constituta, et ab omnibus aliis essentialiter diversa. Definiri potest : *Est ratio aliqua objectiva, abstracta et universalis, quæ de pluribus dicitur, tanquam aliquid per quod ipsa in sua proprietate constituuntur, ut ab aliis essentialiter diversa* (1).

uniuscujusque generationis principio significando; deinde etiam adhibita est ad exprimendam quamcumque multitudinem quæ est sub uno principio, et sic *familia*, *natio*, etc., genus dicitur. Nunc autem alio sensu hic sumitur genus; sumitur enim, ut patet, pro notione universali quæ sub se continet multitudinem notionum, naturas inter se diversas exprimentium; ut est notio quæ significatur in his vocibus *substantia*, *vivens*, vel *animal*, etc. Continet autem sub se illam multitudinem in *potentia*; quia scilicet est aliqua notio, repræsentans aliquid quod diversimode determinari potest. Quod facile quisque videre potest, si consideret notionem animalitatis diversimode definitam ac determinatam in *equo*, in *leone*, in *homine*, etc. Hac ratione, nimirum respectu habito ad determinationes quibus genus perficitur, contrahitur, dividitur, solemus dicere in schola, genus esse aliquid *perfectibile*, *contrahibile*, *divisibile et potentiale*.

(1) A Porphyrio hoc modo definitur differentia : « *Differentia est quæ de pluribus et differentibus specie, in eo quod quale sit prædicatur*. Rationale enim et mortale de homine prædicatum in eo quod *quale* est

Ad divisionem quod spectat differentiæ, si ipsa genus supremum immediate ac proxime determinet atque distinguat, *suprema* dicitur; ut *esse corporeum et incorporeum* respectu *substantiæ*. Si genus infimum, *infima* nominatur; ut *rationale* respectu *animalis*. Si demum genus intermedium, *intermedia* vel *subalterna* appellatur; ut *sensibile* et *sensu carens* respectu *substantiæ corporeæ*.

Species : Hæc vox universe sumpta, hic significat (1) rationem objectivam, abstractam et universalem, ex duplici notione coalescentem, quarum una habet rationem *generis*, alia vero rationem *differentiæ*. Ex. c. Vox *trianguli* significat

homo dicitur; sed non in eo quod quid est (h. e. secundum essentiam genericam). Quidnam enim est homo interrogatis nobis, conveniens est dicere, *animal* : *quale* autem requisiti, rationale et mortale, convenienter assignabimus. » Deinde compositum istud metaphysicum ex genere et differentia, comparat « Rebus ex materia et forma constantibus... quemadmodum statua, inquit, ex materia quidem est ærea, forma autem figura : sic et homo communis et specialis, ex materia quidem proportionabiliter consistit *genere* : ex forma autem *differentia*, totum autem hoc animal rationale mortale, *homo est*, quemadmodum statua. » — Differentiæ est proprium, inquit, « *dividere* ea quæ sub eodem genere sunt : *rationale* enim et *irrationale* hominem et equum, quæ sub eodem genere sunt *animali*, dividunt. » Per ipsam « *differunt a se singula*, namque homo et equus secundum genus non differunt. Sumus enim animalia nos et (sunt) irrationabilia, sed additum *rationale* disjunxit nos ab illis. »..... Animadvertendum est denique « non quodlibet dividens ea quæ sub eodem genere sunt esse differentiam, sed quod *ad esse conducit, et quod est pars ejus, et quod est esse rei* (hoc est : differentia *specifica* est nota quædam *essentialis* per quam una res *essentialiter* differt ab alia, et non secundum aliquod *accidens* tantum). — *Isagoge*, cap. III, de *differentia*.

(1) Hæc vox *species* quandoque idem significat quod *idea*, *repræsentationem* nempe *intelligibilem in mente existentem;* quandoque idem quod *pulchritudo, proportionem nempe partium cum suavitate coloris*; quandoque demum in sensu a nobis in textu exposito, usurpatur.

speciem, cujus ratio objectiva componitur ex duplici notione, ex notione nempe generica quatenus est *figura*, et ex notione propriæ differentiæ, quia nempe est figura *tribus lineis circumscripta*. Species a Porphyrio definitur : *quæ est sub assignato genere*(1) ut determinatum quid sub aliquo indeterminato.

Species sic universim accepta, alia est suprema, alia infima, alia intermedia. Dicitur *suprema*, si ratio objectiva quam significat, *immediate ponatur* sub genere supremo ; sic *corpus* est species quæ immediate ponitur sub genere supremo *substantiæ*. Proprium hujus speciei est, non habere aliam speciem supra se; respectu vero aliarum specierum præponi ut *genus*. Quod facile apparet in exemplo adducto ; nam *corpus* non habet aliam speciem supra se, habet autem rationem *generis* respectu *viventis*, *animalis*, etc.

Dicitur *infima*, si ratio objectiva quam significat, ita ponatur sub genere, ut nulli alteri speciei tanquam genus præponi possit, ut *homo*, ut *equus*, etc.

Dicitur *intermedia* vel etiam *subalterna*, si ratio objectiva quam significat, mediet inter speciem supremam et infimam. Est proprium hujus speciei esse sub specie superiori tanquam sub genere suo, inferiora autem respicere tanquam *genus* eorum. Sic *esse vivum* est sub *esse corporis*, ut species sub genere; respicit vero ut *genus*, esse animalis.

Harum trium specierum illa *maxime* dicitur *species*, quæ est *infima*; nullam enim *generis* admixtionem secum affert; qua ratione nominari solet *species specialissima*. Definitur autem ipsa : *Ratio objectiva, universalis et abstracta, quæ de pluribus solo numero distinctis essentialiter-adæquate prædicatur*. Vel etiam : *Est unum aptum prædicari de multis individuis in quid* (essentialiter nempe) *complete* (per modum scilicet prædicati exprimentis totam essentiam rei).

(1) *Isagoge* Porphyrii, cap. II de Specie.

Proprium : De hac voce, prout exprimit modum quo una notio de alia necessario prædicatur, jam dictum est supra. Constituitur autem universale per respectum ad illa eadem individua de quibus est species; sic *risibile* de omnibus individuis humanæ speciei prædicatur. — Proprium, quatenus dicit notionem universalem, definiri potest : *Est vox significans rationem objectivam, abstractam et universalem, quæ de pluribus prædicari potest, per modum termini adjectivi, essentiam necessario consequentis.*

Accidens : De hac voce quoque jam dictum est : sufficit proinde hic notare, ipsum constitui universale per respectum ad plura, de quibus prædicatur contingenter, quia scilicet cum natura ipsorum necessario non conjungitur. Accidens, quatenus dicit notionem universalem, definiri potest : *Est vox significans rationem aliquam objectivam, abstractam et universalem, quæ de pluribus prædicari potest per modum prædicati contingentis*, quod nempe potest alicui rei adesse et ab ipsa abesse, salva natura ipsius.

Quid ergo significent quinque illæ voces, *genus*, *differentia*, *species*, *proprium*, *accidens*, ex dictis aperte est manifestum.

Duæ autem sunt proprietates, quæ his vocibus communiter tribuuntur, *prædicabilitas* nempe et *perpetuitas*. Prædicabilitas quidem, quia ratio significata per has voces est ratio universalis, quæ plura potest respicere, ac proinde prædicari de ipsis. Perpetuitas vero, quia eadem ratio objectiva, per dictas voces expressa, supra tempus et supra locum, supra contingentiam et omnem mutabilitatem idealiter constituta, objicitur menti ut forma quædam immutabilis et æterna, quæ eodem modo semper manifestatur, cum repugnantia quod aliter sit vel concipiatur, quod facile quisque videre potest inquacumque ratione abstracta, puta, *circuli*, *trianguli*, *hominis*, etc.

Circa tertium, quænam scilicet ex hisce quinque notionibus, quæ de re aliqua individua prædicantur, sub prædicamento poni debeant, et quænam non, dico : Cum in

prædicamento distribuantur notiones, quæ in *recta linea* sunt supra *naturam* rei individuæ; consectarium est quod in illo prædicamento, sub quo est natura alicujus rei individuæ, *nequeant collocari, nisi quæ ad illam naturam essentialiter pertinent*. Quamobrem, quæ *contingenter* et per modum proprietatis positivæ, de re aliqua individua præter suam essentiam prædicantur, non debent ordinari sub illo genere supremo, sub quo natura ejusdem rei individuæ collocatur; sed ad aliquod ex novem generibus quæ restant, sunt revocanda : quæ vero per modum *proprietatis attributalis* (1) prædicantur, ex *consequenti* et *secundario*, ratione naturæ, a qua modo nostro intelligendi dimanare concipiuntur, in eodem prædicamento cum ipso poni possunt, non autem primo et per se.

In distributione ergo conceptuum sub uno supremo genere, sedulo perspiciendum est quid ad naturam rei individuæ *essentialiter* pertineat, quid *attributaliter*, quid per modum *proprii positivi*, quid *contingenter*. Hoc præstito, omnia juxta regulam traditam ordinentur.

Circa quartum, *quomodo scilicet debeat fieri distributio*

(1) Ut possit intelligi quinam sit sensus harum vocum *proprietas positiva* et *proprietas attributalis*, nota : Quædam sunt proprietates quæ ab essentia rei naturaliter sequuntur, et ad eam adhærescunt, eamque modo positivo afficiunt et modificant; tales sunt proprietates animæ humanæ, nempe facultates intelligendi, appetendi, sentiendi. Quædam vero sunt proprietates quæ non sunt aliquid reale præter essentiam, neque ex ipsa proinde naturaliter promanant; sed modo nostro concipiendi intelliguntur esse aliquid ab essentia profluens, posterius ipsa, eamque jam constitutam et existentem afficere; sic *æternitas* consideratur a nobis ut proprietas essentiæ divinæ, quamvis reipsa sit essentia divina, sic etiam *mortalitas* consideratur ut proprietas corporis viventis, sic *non habere contrarium* dicitur proprietas quantitatis, etc. Prima proprietas *physica, positiva, realis* dicitur; altera *logica, attributalis*.

harum notionum essentialium sub prædicamento, dico : Hæc distributio fieri potest per duplicem processum : Primus incipit a *specie specialissima*, quæ immediate est supra naturam individuam, ac ita gradatim ad superiora ascendendo, multitudinem specierum in unum colligit. Alter a supremo genere incipit, ac ita gradatim ad inferiora descendendo, unitatem ipsius per multitudinem specierum dividit, usque ad speciem specialissimam, in qua oportet quiescere. In qua, inquam, oportet quiescere; individua enim, quæ sunt post speciem *specialissimam*, sunt numero indefinita, ac mutabilia; de ipsis proinde nulla potest esse disciplina. — Ut res facile intelligi queat, sumatur, exempli causa, modus ordinandi notiones, quæ sunt in recta linea supra naturam alicujus hominis, puta *Joannis*, ac primus adhibeatur processus :

Primo igitur sunt separanda quæ essentialia sunt in ipso, ab iis, quæ sunt præter essentiam, non considerando quænam sint lineamenta vultus ejus, neque dimensiones, neque patria, nec si senex sit, vel juvenis, etc.; sed solum consideretur id quod primum est in ipso, id nempe per quod constituitur HOMO. — Notio *hominis*, abstracta et universalis, sic obtenta, resolvatur ipsa in id quod habet sibi proprium, et sic habetur notio quæ est ESSE RATIONALE ; ac iterum, in id quod habet commune cum maxime sibi propinquis, et sic habetur notio quæ est ESSE ANIMAL. — Notio *esse animalis*, abstracta et universalis, sic obtenta, resolvatur ipsa in id quod habet sibi proprium, et sic habetur notio quæ est ESSE SENSITIVUM ; ac iterum, in id quod habet commune cum maxime sibi propinquis, et sic habetur notio quæ est ESSE VEGETATIVUM, sicut *esse plantarum*. — Notio ESSE VEGETATIVI, universalis et abstracta, sic obtenta, resolvatur ipsa in id quod habet sibi proprium, et sic habetur notio quæ est ESSE PRINCIPIUM IN CORPORIBUS ORGANICIS, GENERATIONIS, NUTRITIONIS et AUGMENTI ; ac iterum, in id quod habet commune cum maxime sibi propinquis ; et sic habetur notio, quæ est ESSE CORPUS. — Notio esse corporis, universalis et abstracta, sic obtenta,

resolvatur ipsa in id quod habet sibi proprium, et sic habetur notio quæ est ESSE PRINCIPIUM TRIPLICIS DIMENSIONIS; ac iterum, in id quod habet commune cum aliis, et sic habetur notio quæ est ESSE SUBSTANTIA. *Substantia* vero est *genus supremum*, non habens supra se aliud genus; sed solum conceptum transcendentalem et analogicum hac voce *ens* significatum. — Alius vero processus, qui fit per descensum, non indiget declarari per exemplum, eo vel magis quod in subjecta figura uterque processus sub oculis ponatur.

ENS	substantia. accidens.
SUBSTANTIA	incorporea. corporea.
SUBSTANTIA CORPOREA . . .	inanima. animata.
SUBSTANTIA ANIMATA. . . .	insensitiva. sensitiva.
SUBSTANTIA ANIMATA SENSITIVA.	irrationalis. rationalis.

SUBSTANTIA SENSITIVA IRRATIONALIS : equus, bos, canis.

SUBSTANTIA RATIONALIS : Joannes, Paulus, Raymundus.

Hucusque sub hoc numero a nobis dicta, pro rite disponendis notionibus sub prædicamento, sunt cognitu omnino necessaria. Etenim *si universale ab individuo non distinguatur*, nulla potest esse dispositio in prædicamento; siquidem universales duntaxat notiones collocantur sub ipso. Rursus, si quæ *essentialiter* prædicantur de individuo, non distinguantur ab iis quæ per modum *proprii* vel *accidentis* dicuntur de ipso, non potest fieri ordinatio notionum sub prædicamento; siquidem sub prædicamento series prædicabilium essentialium tantummodo continetur. Denique, si notiones universales et essentiales non ordinentur juxta prioritatem universalitatis, quam habent inter se, nulla poterit esse ordinatio in prædicamento; siquidem series conceptuum qui sub prædicamento

ponuntur, est veluti recta linea, quæ a specie specialissima ad supremum genus ascendendo describitur; vel econverso, a supremo genere ad speciem specialissimam descendendo.

VII. *Quæ in numero proxime antecedenti continentur. sub quibusdam regulis breviter ac succincte proponuntur; item fit sermo de conditionibus requisitis, ut aliquid ponatur sub prædicamento.*

Quæ de ordinatione notionum supra a nobis sunt constituta, sub quibusdam regulis breviter ac succincte modo proponere intendimus; item, de conditionibus requisitis, ut notiones in prædicamento ponantur, aliquid dicendum est. Regulæ igitur quæ quæruntur, sunt hujusmodi: 1ª *Sub quolibet prædicamento eæ notiones dumtaxat poni debent, quæ* ESSENTIALITER *communicant inter se*. Notiones enim quæ ponuntur in prædicamento ita ordinantur, ut una *essentialiter* seu *quidditative* determinet aliam. Sic notio substantiæ quæ est supremum genus, determinatur *essentialiter* a notione *corporis*; notio corporis *essentialiter* determinatur a notione *esse vegetativi*, ac ita deinceps. Ex quibus sequitur, homonyma (Ὁμώνυμα), quorum nempe nomen solum commune est, notio vero significata per nomen non eadem, qualia sunt *æquivoca* et *analoga*, non debere poni sub eodem prædicamento, quia inter se non communicant *essentialiter*; sed solum *synonima* (Συνώνυμα), h. e. *univoca*, quorum nomen idem est, et notio per nomen significata eadem, sub eodem prædicamento ponuntur.

2ª *Sub quolibet prædicamento eæ notiones duntaxat poni debent, quæ sunt simplices et incomplexæ*, quarum nempe unica est essentia, ut est notio *hominis*, vel *animalis*, etc. Quæ vero sunt *complexa*, quæ videlicet plures essentias *primo inter se diversas* significant, ut est notio significata in hac voce *homo albus*, sub eodem prædicamento nequeunt collocari; non enim sub eodem genere possunt esse quæ essentiam omnino diversam habent inter se. Ex his sequitur,

paronyma (Παρώνυμα), h. e. *denominativa*, quorum nomen nempe derivatur ab aliqua forma, quæ in ipsis est accidentaliter, ut a *fortitudine fortis*, *a magnitudine magnus*, *a quantitate quantus* quis dicitur, non esse sub eodem prædicamento cum forma a qua denominantur; quocirca in unum prædicamentum revocanda est res quæ ita denominatur, in alterum vero forma a qua denominatur.

3ª *Notiones quæ ordinantur sub prædicamento, tales debent esse, ut una subjiciatur alteri secundum prædicationem* (1). Hinc notio quæ est altera superior, de eadem debet posse prædicari, notio autem suprema de omnibus quæ sub ipso sunt. Ex hac regula sequitur : Individua quæcumque singularia sive alteri adhæreant, ut *hæc albedo*, sive per se subsistant, ut *hic homo*, non ponuntur in prædicamento ; sed solum *notiones abstractæ et universales* quæ de pluribus possunt prædicari.

(1) Aristoteles in libro *Categoriæ* cap. II, recenset eas notiones quibus aliæ subjici possunt secundum prædicationem, et quæ non : « Eorum quæ sunt, ait, alia de subjecto aliquo (*logico*) dicuntur, in subjecto vero (*inhæsionis*) nullo sunt.» Sic notio significata in hac voce *homo*, prædicatur de Petro et Paulo, ipsa autem non est aliquid, quod, ut accidens, ad subjectum aliquod adhærescat. — «Alia vero in subjecto (*inhæsionis*) quidem sunt, at de subjecto (*logico*) nullo dicuntur.» Sic accidentia singularia, utputa *hæc albedo*, subjecto alicui adhærent, non tamen de ipso prædicari possunt ; non enim potest dici : Petrus est hæc albedo. — «Alia de subjecto (*logico*) dicuntur et in subjecto (*inhæsionis*) sunt.» Sic habitus qui est scientia, universe sumptus, prædicatur de diversis scientiis, *geometria enim est scientia, jurisprudentia est scientia*, etc. ; quia vero ipse est forma accidentalis, subsistat oportet in aliquo subjecto, a quo sustentatur. — «Alia denique nec in subjecto sunt, nec de subjecto dicuntur.» Sic substantia singularis individua, *hic homo*, *hic equus*, non habet subjectum inhæsionis, neque subjectum logicum habere potest, quia de nullo prædicari potest. — Ex tota hac enumeratione hoc unum colligi debet : *Singularia individua, sive accidentia sint sive substantiæ, non ponuntur in prædicamento, sed solum notiones abstractæ et universales.*

Hæ tres regulæ, ut facile quisque videre potest, ducuntur ab ipsa natura prædicamenti. Etenim per hanc vocem *prædicamentum* designatur supremum *genus, sub quo series notionum universalium ordinate distribuitur, ita nempe, ut una notio sit sub alia, tanquam sub universaliori, quæ de ipsa prædicari potest*; *atque hoc modo incipiendo a supremo genere, descendendo usque ad speciem infimam*; *vel econverso, incipiendo a specie infima, ascendendo usque ad supremum genus, quod de omnibus quæ sub ipso sunt prædicatur univoce*, describitur quædam recta linea, in qua plura prædicabilia essentialia ordinate disposita reperiuntur.

Nunc de conditionibus requisitis, ut aliqua notio ponatur sub prædicamento, breviter dicamus. Prima conditio est, ut *sit ens reale*; prædicamenta enim, ut supra dictum, ens reale dividunt, et non ens rationis.

Secunda, ut sit *unum per se et incomplexum, unicam essentiam habens*; quæ enim componuntur ex aggregatione plurium formarum, quæ sunt essentialiter ac inter se primo diversæ, in eodem prædicamento nequeunt collocari; siquidem diversæ formæ sub diversis sunt prædicamentis.

Tertia, ut ratio objectiva notionis quæ ponitur sub prædicamento, *sit per se completa et perfecta*; non quidem *simpliciter*, nam et ipsa novem genera prædicamentorum quæ dividunt accidens, non sunt simpliciter perfecta et completa; sed habito respectu ad prædicamentum sub quo est. Sic abstracta substantialia, et quæcumque partes integrantes aliquam substantiam, non sunt directe sub prædicamento substantiæ; sed reducuntur ad ipsum ratione totius, cujus sunt.

Quarta, ut ratio objectiva *notionis sit abstracta et universalis*. Individua enim quæ sunt post speciem specialissimam, sine numero multiplicari possunt, unde et numero infinita dicuntur, de quibus nulla potest fieri disciplina.

Quinta, ut ratio objectiva *notîonis sit finita*. Siquidem ratio objectiva infinita, qualis est ratio Dei, coarctari et compre-

hendi nequit sub aliquo supremo genere, quod est aliquid potentialissimum.

Et hæc de regulis ordinationis notionum sub prædicamento, nec non de conditionibus requisitis ut aliqua notio ponatur sub prædicamento, sufficiunt.

VIII. *Categoriæ a Kantio excogitatæ rejiciuntur.*

Unum nunc, omissis difficultatibus quæ ex dictis facile solvi possunt, dicere superest, referre nempe categorias a Kantio et Rosminio inventas, easque breviter confutare.

Itaque, ad categorias Kantii quod attinet, proposuit sibi iste auctor, ad exemplum Aristotelis (1), fundamentalium conceptuum, quos *puros* vocat, inventarium exhibere; hos autem sub quatuor titulis hoc modo disposuit : 1° Sub titulo Quantitatis continetur *Unitas*, *Multitudo*, *Totalitas*. — 2° Sub titulo Qualitatis continetur *Realitas*, *Negatio*, *Limitatio*. — 3° Sub titulo Relationis continetur *Substantia et Accidens*, *Causa et Effectus*, *Communio seu Reciprocatio* inter causam et effectum. — 4° Sub titulo Modalitatis continetur *Possibilitas et Impossibilitas*, *Existentia et non Existentia*, *Necessitas et Contingentia* (2).

(1) «Nous appellerons ces concepts *Catégories*, d'après Aristote, puisque son but était le nôtre, malgré la différence dans l'exécution. » Kant, Logique Transcendentale, Livre I, Section III.

(2) Logique Transcendentale, Livre I, Sect. III. — Conceptus quos hæc tabula complectitur, *puri* dicuntur, quia in eorum repræsentatione nulla *sensatio* miscetur, sed sunt quædam puræ formæ cogitationis, quatenus ipsa circa objecta universalia versatur : Les concepts sont «*purs*, ait Kantius, quand aucune sensation ne se mêle à la représentation;... un concept pur *ne contient que* la forme seule de la pensée d'un objet en général (*Introduction* — Idée d'une logique transcendentale, I. De la logique en général). De valore vero horum conceptuum docet Kantius, ipsos non esse nisi quasdam formas ac determinationes sub-

Verum hæ Kantianæ categoriæ scopo, pro quo categoriæ fuerunt primitus excogitatæ, non respondent; non enim sub ipsis, veluti *sub quibusdam supremis separationis signis*, diversi ordines idearum, *per certas series distincti ac ordinate distributi*, collocari possunt. Etenim plures ex recensitis conceptibus sunt transcendentales, indeterminati, admodum vagi, ut manifesto apparet in iis quæ sub secundo et quarto titulo reperiuntur. Nequeunt ergo ipsi pro diversis ordinibus idearum separandis, uti signa ac notæ supremæ assumi.

Præterea, hæ Kantianæ categoriæ non distribuuntur recte : Siquidem haud omnes enumerati conceptus sunt *supremi* ac *primo per se diversi*. Sic conceptus, qui sub tribus prioribus titulis leguntur, iis subduntur qui sunt sub quarto titulo. Nam nulla est *realitas*, nulla *totalitas*, nulla *multitudo*, nulla *causa*, nullus *effectus*, qui a mente vere concipi possit, quin ut *possibilis* aut actu *existens* concipiatur.

Item, conceptus significatus a voce *realitas*, complectitur quidquid a mente concipitur, habens rationem aliquam objectivam et proinde *unitatem*, *totalitatem*, etc.

Demum peto, quid significet illa vox *non existentia*; ipsa enim aut negat actualem realitatem rei, et tunc idem omnino significat quod vox *possibilitas*; aut negat absolute omnem realitatem possibilem vel actualem, et tunc idem significat quod *impossibilitas*. Quæ duæ voces, *possibilitas* nempe et *impossibilitas*, cum ponantur in primo membro quarti tituli, frustra proinde vox illa *non existentia* ponitur in secundo membro ejusdem tituli.

Categoriæ igitur Kantianæ non sunt aptæ ad distinguendos et ordinandos conceptus, sunt ipsæ notiones generales, transcendentales, analogicæ, univoca unitate carentes, quæ

jectivas et vacuas, impares ex seipsis pro ostendenda realitate extra mentem existente.— Quæ assertio est falsissima, totam humanam cognitionem pessumdans, ut suo loco dicetur.

proinde potius confusionem animo ingerunt quam distinctionem. Præterea earum distributio non est secundum normam bonæ divisionis. Ergo sunt rejiciendæ.

IX. *Categoriæ a Rosminio excogitatæ rejiciuntur.*

Antonius Rosmini quoque suas categorias invexit, Aristoteleis rejectis. Sunt autem ipsæ quæ sequuntur : 1° Prædicatum æquivalens subjecto ; ut *Homo est animal rationale*, quod enim significatur per *animal rationale*, æquivalet ei quod significatur per *homo*.

2° Ideale antecedens ; ut *Homo est aliquid possibile contingens*, etc., quod hic significatur per *esse possibile contingens*, antecedit id quod significatur per *homo*; quia est magis commune.

3° Conditionale ; ut cum prædicatur de subjecto aliqua conditio, sine qua ipsum non posset esse.

4° Primum essentiæ ; ut *Petrus est ens rationale.*

5° Relatio essentialis ; ut inter principium et terminum, inter causam et effectum.

6° Essentiale seu pars essentiæ quæ non est principalis ; ut *Homo est animal.*

7° Quod consequitur essentiam ; quidquid nempe ad integritatem rei pertinet.

8° Proprium ; quod nempe consequitur essentiam, non ut est communis, sed ut est specifica.

9° Accidentale ; ut *Homo pallidus ex ira.*

10° Relatio realis accidentalis ; ut *Homo amat, tristatur*, etc.

Fundamentum autem hujus enumerationis est, ut ipse Rosminius asserit, *habitudo prædicati ad subjectum* ; quæ habitudo determinatur ex diversa specie identitatis, existentis inter valorem prædicati et valorem subjecti (1).

(1) Rosmini, *Logica*, Lib. I. Sess. I, cap. VIII, § 9.

In hac enumeratione id potissime reprehendendum nobis esse videtur, quod non desumatur ipsa directe juxta supremos ac diversos modos essendi rerum; sed juxta diversam relationem prædicati ad subjectum; et proinde hæc divisio non distribuit intellectualem cognitionem secundum *rationem objectivam realem* in ipsa cognitione repræsentatam, sed secundum *rationem dialecticam*.

Porro prædicamenta debent esse suprema genera *rerum*, debent ipsa dividere *esse*, non prout *esse* significat *conjunctionem prædicati et subjecti*, sed prout significat *entitatem rei*. Prædicamenta enim hoc scopo fuerunt excogitata, ut *rationes objectivæ rerum idealiter repræsentatæ* in mente, per ordinatam seriem, juxta *diversa genera distribuerentur*. Quod cum per divisionem entis realis fieri debeat, non autem per divisionem illam logicam identitatis prædicati et subjecti, sequitur, Rosminianam distributionem prædicamentorum, bonam quidem posse esse pro ordinandis *formaliter* ac *dialectice* judicia rationis, non autem pro ordinandis ideis objective acceptis, de quarum ordinatione modo quærimus.

Et vere quidem circa ordinationem elementorum, ex quibus omnis nostra cognitio constituitur, diversæ illæ formæ judiciorum, nihil efficiunt; non sunt ipsæ loculamenta e quibus veluti ex promptuariis, materia desumi possit ad *definiendum*, ad *dividendum*, ad *judicandum*, ad *demonstrandum* : Unitas, Varietas, Affinitas idearum ex parte rationis objectivæ, unde concinna ac pulcherrima affulget conceptuum ordinatio, per divisionem illam judiciorum nullibi apparet. Hæc omnia vero per Aristotelea prædicamenta habentur.

Rosminiana igitur prædicamenta, ad scopum nostrum quod attinet, sunt rejicienda. — Et hæc de decem illis supremis ac fundamentalibus conceptibus, ne adolescentulorum animi nimis graventur, sufficiant.

CAPUT XI.

DE DIVERSIS MODIS QUI IN RATIONIBUS INTELLECTIS INTER SE COMPARATIS, CONSIDERARI POSSUNT.

I. *Diversi modi qui in rationibus intellectis inter se comparatis, considerari possunt, breviter enumerantur.*

Nemini ingerere debet dubietatem, si pro complenda ordinatione nostrarum idearum quædam alia modo addantur, cum tamen in antecessum assertum fuerit sub decem illis vocibus, jam expositis, omnia comprehendi. Nam ibi de ratione objectiva per se subsistente, et de formis afficientibus substantiam dictum est; hic vero de diversis respectibus, seu de variis modis qui in ipsis rationibus intellectis invicem comparatis, spectari possunt, agitur.

Sunt autem hujusmodi modi, prout ab Aristotele recensentur, quinque (1) : Oppositio, Prioritas, Simultas, Motus, Modus habendi. De singulis breviter dicendum est.

II. *De modis quibus una ratio intellecta alteri opposita esse dicitur.*

Oppositio : Hæc vox significat *repugnantiam unius rei cum alia.* «Dicitur autem alterum alteri opponi quadrifariam : aut ut *relata ad aliquid*; aut ut *contraria*; aut ut *privatio* et *habitus*; aut ut *affirmatio* et *negatio* (2).»

(1) Hi modi vulgo *postprædicamenta* vocantur, leguntur ipsi in fine libri *Categoriæ* ab Aristotele confecti.— Unus Andronicus Rhodius, *quem nemo veterum sequitur*, hoc scriptum de *postprædicamentis* non esse opus Aristotelis arbitratus est; sed ab aliena manu libro Categoriarum adjectum.

(2) *Categoriæ* Arist. cap. VIII. Edit. Didot, vol. I, pag. 17.

Oppositio *relatorum*, quæ *relativa* nominatur, *est repugnantia quæ nascitur ex mutuo respectu duorum inter se*; ut inter *servum et Dominum* — repugnat enim, ut qui servus est, idem sit qui Dominus.— Hæc oppositio est omnium minima : siquidem unum extremum alterum non destruit, sed propter mutuam eorum dependentiam simul manent.

Oppositio *contrariorum*, quæ *contraria* nuncupatur, *est repugnantia duorum, quæ, cum sub eodem genere existant, ab eodem subjecto tamen mutuo se expellunt; ut nigrum et album, sanitas et ægritudo, virtus et vitium.* — Eorum quæ ita opponuntur, quædam non admittunt medium, quia inter se nullo modo *formaliter* conveniunt; ut *vitium et virtus*, *sanitas et ægritudo*; quædam vero medium admittunt; sic plures intermedii colores extant inter *album et nigrum*, color nempe pallidus, subniger, glaucus.

Oppositio quæ est *privatio et habitus*, quæ et *privativa* dicitur, *est repugnantia inter formam et ejus privationem*, aliis verbis, *est carentia formæ in proprio subjecto*, in subjecto nempe apto ad illam habendam; ut inter tenebras et lucem, ex parte aeris; inter cæcitatem et visum, ex parte oculorum; inter ignorantiam et scientiam, ex parte intellectus, etc.

Oppositio demum quæ est *affirmatio et negatio*, quæ et *contradictoria* vocatur, *est repugnantia inter ens et non ens.* Ex. c. *Est*, *non est*; *loquitur*, *non loquitur*; *sedet*, *non sedet*, etc. — Hæc oppositio est omnium maxima, quia nullum prorsus admittit medium, neque *logicum*, quasi membra ejus sub eadem ratione generica possent esse; neque *physicum*, quasi hæc oppositio fieret in eodem subjecto, quod in suo esse maneat, ut est ægritudo et sanitas in *animali*; neque ipsa ullam admittit convenientiam, etiam *dependentiæ* unius oppositi ab alio, ut est *inter Patrem et Filium*. Et sane, nulla esse potest convenientia ejusdem rei cum seipsa, quatenus sub eadem formali ratione, simul affirmatur esse et non esse.

III. *De modis quibus una ratio intellecta prior altera esse dicitur.*

Alius modus est prioritas, quæ definitur : *Est modus, secundum quem una ratio intellecta aliam præcedit.*

Quinque prioritates vulgo distinguuntur : Potest enim unum præcedere alterum, vel secundum prioritatem *durationis*; ut *adolescentia virilitatem.* — Vel secundum prioritatem *consequentiæ*, cum scilicet unum infert existentiam alterius sine reciprocatione; ut *currit, ergo movetur — est homo, ergo animal*, etc. — Vel secundum prioritatem *ordinis*, prout ipse a recta dispositione partium exigitur : sic caput est primum in corpore hominis secundum ordinem; item in geometria elementa, quid sit nempe punctum, quid linea, quid figura, problematibus et theorematibus *ordine* sunt priora : non enim mens in problemata et theoremata aggredi potest, nisi primo elementa illa apprehendat.—Vel secundum prioritatem *dignitatis*, ut *rex in republica.* — Vel demum secundum prioritatem *naturæ*, sic id a quo naturaliter aliquid dependet, *natura* dicitur prius esse eo quod dependet, cum quo tamen simul est tempore; *ut existentia lucis emissione radii natura est prior* (1).

(1) Hæc prioritas naturæ solet in schola distingui in prioritatem *in quo*, et *a quo*. Prioritas *in quo* est inter duo, quorum unum dat esse alteri, quin suum esse ab illo dependeat; sic ignis dat esse calori, quin a calore in suo esse dependeat. Prioritas vero *a quo* est inter duo quorum unum in diverso genere causæ pendet ab alio; sic in humano composito anima pendet a corpore in genere causæ materialis, et corpus ab anima in genere causæ formalis. — Hic quoque mentio facienda est de alio genere prioritatis, quæ in libris scholæ sæpe occurrit ; est enim *prioritas in ordine perfectionis*; ut sunt *nobiliora* et *honorabiliora*, quæ minus nobilibus et honorabilibus priora dicuntur : et est prioritas *in ordine generationis*; sicut contingit in iis, quorum perfectio gradatim augetur ab imperfecto ad perfectum; sic *puer est prior adolescentulo*, et *vir prior sene*.

IV. *De modis quibus res simul esse dicuntur; de modis quibus motus esse contingit; de modis habendi.*

1° Modi quibus res *simul esse* dicuntur, tot sunt, quot sunt modi quibus una res prior altera esse dicitur. Dicuntur ergo rationes intellectæ *esse simul*, vel secundum *tempus*, si simul in eodem momento existant, ut lumen et sol; vel secundum *consequentiam*, si mutuo se inferant; vel secundum *ordinem*, ut sunt rationes intellectæ quæ sub eodem genere comprehenduntur; vel secundum *dignitatem*, si parilis sit earum excellentia; vel secundum *naturam*, ut *relativa* : nam Pater, quatenus Pater, est simul natura cum Filio, quatenus Filius.

2° Motus autem rerum sex modis esse contingit : 1° Per *generationem*, quæ est *transitus de non esse ad esse substantiale*; sic lignum cum non sit ignis, transit ad esse substantiale ignis. 2° Per *corruptionem*, quæ est *transitus de esse ad non esse*; sic lignum, dum fit ignis, transit de esse ligni ad non esse ligni. 3° Per *augmentationem*, *quæ est transitus a minori ad majorem quantitatem* ; sic corpus pueruli quando puber, adolescentulus, juvenis fit, augetur. 4° Per *diminutionem*, quæ est *transitus a majori ad minorem quantitatem;* sic aqua per evaporationem a majori ad minorem quantitatem transit. 5° Per *alterationem*, *quæ est transitus ab una qualitate ad aliam;* puta a rubore ad pallorem, a sanitate ad ægritudinem, etc. 6° Per *lationem*, quæ est *transitus ab uno loco ad alium*; ut cum aqua fluit, vel Petrus ambulat.

3° *Modi vero quibus una res aliam habere dicitur*, quinque numerantur : 1° Per *inhæsionem*; sic homo habet scientiam vel virtutem. 2° Per *circumpositionem*; ut homo habet vestem. 3° Per *comprehensionem*; ut dolium dicitur habere vinum. 4° Per *possessionem*; ut dominus agrum habet. 5° Per *relationem*; sic Pater dicitur habere Filium.

Ex his omnibus patet, quinque esse sedes ac loculamenta ad quæ revocandi sunt diversi modi, qui in rationibus intellectis *inter se comparatis*, spectari possunt. Nam aut ad *oppo-*

sitionem revocantur, aut ad *prioritatem*, aut ad *simultatem*, aut ad *motum*, aut ad *modum habendi*.

CONCLUSIO HUJUS SECTIONIS.

Quæ in hac sectione diximus, vel activitatem intellectualem hominis directe respiciunt, vel rationem intellectam, quæ ab ipsa cognoscitur; utrumque autem inservit, ut mens CLARE, DISTINCTE, INTEGRE quidditatem rerum, quæ est objectum simplicis perceptionis, possit apprehendere.

Si vis igitur quidditatem rerum *clare*, *distincte*, *integre* apprehendere, intendas aciem mentis, ATTENTE considerans id quod objicitur menti : objectum rite DEFINIAS, DIVIDAS, ABSTRAHAS, singula separatim aspiciendo : demum omnes rationes intellectas in UNUM ORDINATE COLLIGAS. Nam unum per multa dividere, ac rursus multa in unum colligere, et scire discernere, quæ communicant inter se et quæ non communicant, ad perfectionem simplicis perceptionis quam maxime conferunt.

SECTIO SECUNDA.

DE ALTERA OPERATIONE MENTIS QUÆ EST JUDICIUM.

CAPUT I.

DE NATURA JUDICII, NECNON DE NECESSITATE IPSUM RITE COGNOSCENDI.

I. *Exponitur natura judicii, ejusque definitio traditur.*

Tractatis iis quæ ad primam operationem mentis spectant, rectus ordo postulat, ut de judicio nunc dicatur, per quod mens, activitatem propriam magis evolvendo, in lucem veritatis ulterius progreditur. — Et primo quidem de natura hujus operationis breviter oportet disserere.

Ea est finitudo humani intellectus, ut veritatem rei quam intelligit, nonnisi gradatim et quasi per partes assequi valeat. Hinc, ut experientia ipsa palam testatur, intellectus primo simplices notiones rerum sibi format; postea eas comparat inter se; ultimo, juxta earum habitudinem, affirmando eas jungit, vel negando disjungit. — Hæc operatio proprie JUDICIUM nominatur, quæ voce sic exprimitur : *Virtus est amabilis.*

Judicium, si in sua realitate sumatur, non est nisi unus simplex conceptus, manifestans conjunctionem vel disjunctionem duarum notionum inter se; *logice* autem tria elementa in ipso spectari possunt : 1° Notio de qua aliqua alia notio affirmatur vel negatur. 2° Notio quæ affirmatur vel negatur. 3° Utriusque notionis junctio vel disjunctio. Sic in proposi-

tione allata, vox *virtus* exprimit notionem, de qua affirmatur notio per vocem *amabilis* expressa ; vox *amabilis* vero exprimit notionem, quæ affirmatur de notione expressa per vocem *virtus*; verbum autem *est*, affirmat junctionem idealem utriusque notionis.

Consulto dico *affirmat*, junctio enim vel disjunctio notionum, ex qua constituitur *judicium*, quæque est aliquid a virtute intellectiva effectum, talis est, ut per ipsam *intellectus adæquet se objecto*. Dum enim mens jungit vel disjungit inter se notiones, affirmat simul id, quod per junctionem vel disjunctionem notionum manifestatur, tale reipsa esse, quale ab ipsa idealiter manifestatur. Sic cum quis judicat : *Petrus est albus*, hoc judicium non solum importat simplicem junctionem notionis *albedinis* cum notione *Petri*; sed etiam affirmationem intellectus *asserentis*, *Petrum reipsa esse album*, quasi diceret : *Petrus*, *quem video esse album*, *reipsa est albus*(1). Et hoc bene notetur;est enim in vi hujus affirmationis, per quam intellectus se adæquat objecto, quod veritas vel falsitas in ipso reperiatur, ut postea dicetur.

His omnibus intellectis, judicium definiri potest : *Est operatio intellectus, per quam una simplex notio alteri inesse vel non inesse, cum affirmatione manifestatur.*

II. *Quale sit judicium de quo modo hic quæritur, quænam munia ejus, et quam necessarium sit illud rite cognoscere.*

Est autem animadvertendum, judicium aliud esse *immediatum* et *intuitivum*, aliud *mediatum* et *discursivum*. Judicium

(1) Ex his patet, repræsentationem judicii semper esse cum affirmatione; et hoc verum est in propositionibus tum affirmativis, tum negativis. Non enim hæc affirmatio consistit in simplici unione unius notionis cum alia, qualis est unio, quæ reperitur in propositionibus affirmativis; sed in eo quod mens se tanquam adæquatam enunciat cum objecto, dum unam notionem unit cum alia, vel ab ipsa disjungit.

dicitur immediatum vel intuitivum, si junctio vel disjunctio duarum notionum inter se, immediate sine ratiocinio manifestetur. Hujusmodi sunt omnia principia illa sive *logica*, sive *ontologica*, quæ per *lumen intellectus immediate* cognoscuntur, utputa : *Quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se.* — *Quidquid dicitur universaliter de subjecto, dicitur de omni contento sub illo.* — *Impossibile est idem simul esse et non esse.* — *Non est effectus sine causa*, etc. — Hujusmodi quoque sunt omnia judicia, quæ versantur in iis, quæ per *sensus externos*, vel per *sensum intimum* immediate cognoscuntur; sic si dico : *Cœlum quod nunc aspicio, est nigrum et nebulosum* — *Strepitus quem audio, est clamantium in via* — vel : *Ego nunc cogito* — *Ego dum scribo, possum non scribere*, etc.

Nominatur autem judicium mediatum vel discursivum, quando duæ notiones ratiocinando junguntur vel sejunguntur inter se, quia junctæ fuerunt in præmissis cum una tertia, vel ab ipsa sejunctæ.

De judicio discursivo, de quo aliquid supra attigimus, in sectione sequenti tractabitur; inpræsentiarum de judicio *immediato* seu *intuitivo* dicendum est. Ipsum definiri potest : *Est operatio intellectus, per quam una simplex notio alteri inesse vel non inesse, cum affirmatione* IMMEDIATE *manifestatur.*

Munia hujus judicii sunt : Vel aliquid *affirmare* tantum ; ut si dicatur : *Julius singularem habet pietatem in matrem suam.* — Vel aliquid affirmare *definiendo* ; ex. c. *Superbia est appetitus inordinatus propriæ excellentiæ.* —Vel *dividendo* rem per partes, ut si quis dicat : *Justitia alia est commutativa, alia distributiva, alia legalis.* — Vel etiam *ordinando* unam ideam sub alia, puta, ideam unius singularis sub specie, ut, *Petrus est homo* ; vel ideam unius speciei sub genere, ut, *homo est animal.* Vel demum affirmando statuere prima illa principia per se nota, quæ sunt conditiones ac veluti fundamenta, a quibus incipit omnis ratiocinationis motus. Ex. c. *Non est effectus sine causa* — *Bonum est fa-*

ciendum, malum vero vitandum. — Hæc omnia sunt munia judicii; et vere quidem, nam per simplicem ac immediatam comparationem unius notionis cum alia, ab ipso perficiuntur.

Necessitas vero hujus sectionis, in qua de judicio tractatur, est manifesta. Quandoquidem *veritas, evidentia, certitudo* propositionum, quæ mediante ratiocinio inferuntur, pendet *a veritate, ab evidentia, a certitudine* præmissarum a quibus ipsæ deducuntur; quæ quidem præmissæ, si primo ac immediate cognoscantur, ad hanc secundam operationem mentis pertinent.

CAPUT II.

DE ENUNTIATIONE, QUÆ EST EXPRESSIO SENSIBILIS JUDICII.

—

I. *Quid sit enunciatio declaratur.*

Judicium, quod, formaliter sumptum, est aliquid logicum et subjectivum, est enim opus mentis in mente existens, exprimitur et manifestatur sensibiliter per vocem. Hæc expressio seu interpretatio (ἑρμηνεία), ut eam vocat Aristoteles, definiri potest : *Est elocutio per quam significatur, quid mens rem esse vel non esse statuit*; vel cum schola : *Est oratio per quam enuntiatur unum de alio*; vel etiam : *Est oratio verum vel falsum significans indicando.*

Pro enuntiatione regulæ quæ sequuntur, sunt servandæ.

1ª Enunciatio, quæ et propositio (1) dicitur, *duabus prima-*

(1) Auctores quandoque distinguunt propositionem ab enunciatione : per enunciationem enim intelligunt quamlibet orationem, quæ unum de alio enuntiat; per propositionem vero idipsum intelligunt, hac tamen limitatione, ut sit enunciatio quæ ponitur tanquam præmissa in argumentatione.

riis terminis, nec pluribus nec paucioribus constare debet. Etsi namque uni termino propositionis, termini aliqui affines addi possint propter dilucidationem (1); tamen duo duntaxat debent esse termini *primarii*; alioquin enunciatio non posset esse affirmatio vel negatio unius de alio.

2ª Hi duo termini vero eam proportionem habere debent inter se, quam habent notiones, ex quibus constituitur judicium : ut scilicet sit in enunciatione unus terminus de quo alius dicitur, qui nominatur *subjectum* (2); et terminus qui de alio dicitur, qui appellatur *prædicatum* vel *attributum*.

(1) Hujusmodi termini adduntur, vel ut intelligatur quænam ex notionibus habeat rationem *subjecti*, et quænam *prædicati*; vel etiam tanquam conditiones et adjunctiones, ex quibus intelligi possit quonam sensu una notio de alia prædicetur. — Solent hujusmodi conditiones et adjunctiones *determinationes subjecti et prædicati* nuncupari.

(2) Varia est fortuna harum vocum *subjectum* et *objectum*, quæ, pro ambiguitate tollenda, præstat quod hic declarentur. Primo igitur vox *subjectum* quatuor habet significationes: 1º Sumitur pro subjecto logico seu prædicationis, et significat id de quo aliquid prædicatur. — 2º Pro subjecto physico, seu inhæsionis, nempe pro substrata substantia, et significat id quod est in re, quodque accidentibus subjicitur. Hæ duæ acceptiones passim occurrunt in libris peripateticorum (Cfr. Arist. *Categ.* cap. II et III, edit. Didot, vol. I). 3º Pro quacumque realitate extra mentem existente, quæ potest subjici cognitioni; sic in schola solemus dicere *subjectum scientiæ*, ipsam realitatem circa quam versatur scientia. 4º Recentiori ætate, apud Germanos præsertim, Kantio et Fichtio auctoribus, *subjectum* sumitur pro *cognoscente;* ex quo fit, quod conditiones omnes, quæ se tenent ex parte cognoscentis, *subjectivæ* dicantur. — Quarta ista acceptio vocis *subjectum*, tertiæ acceptioni est omnino contraria.

Alia autem vox, nempe *objectum*, duas habet acceptiones : 1º significat rem ipsam cognitam, non prout existit in natura extra intellectum, sed quatenus habet esse *repræsentatum* et *intellectum* seu *esse ideale* in mente. Aliis verbis, prout placet probatis auctoribus,

3ª Terminus, qui appellatur prædicatum vel attributum, majori, vel saltem æquali amplitudine *universalitatis* constare debet, qua subjectum. Siquidem subjectum ipsi prædicato subjici debet secundum prædicationem. Et vicissim subjectum majori, vel saltem æquali amplitudine *actualitatis* constare debet, qua prædicatum. Prædicatum enim comprehenditur et continetur a subjecto, unde et quidquid de prædicato dicitur, etiam de subjecto debet posse dici (1).

4ª Item, in propositionibus affirmativis, inter prædicatum et subjectum debet esse aliqua identitas, alioquin unum de alio non posset affirmari; et aliqua diversitas, alioquin non essent in enunciatione duo termini, neque proinde duæ notiones ab ipsis significatæ.

5ª Ultimo, præter duos præcipuos ac primarios terminos, debet enuntiatio constare voce, quæ exprimat junctionem vel sejunctionem notionum factam in mente, una cum determi-

etiam scholæ D. Thomæ (Capreolo, 1º S. dist. 27a, q. 2a, ad 3um — Cajetano, 1a P. q. 27a, ar. 1º — et Bannesio, in eodem loco), est *ipsum verbum mentis*, prout actu exercet munus repræsentandi rem, quæ extra mentem existit. 2º Significat rem ipsam, quæ in natura existit a cognoscente independens, quæ tamen per idealem repræsentationem subjicitur menti. Quæ acceptio communis est auctoribus scholæ, eaque falso ut nova Germanis adscribitur, quasi Kantius et Fichtius fuerint primi hujus significationis auctores. Verum est tamen a Germanis sensum harum vocum *subjectum* et *objectum fuisse coarctatum*; «quum (apud ipsos) *subjectum* is dicatur, ait Trendelenburgius, qui cognoscit, *objectum* contra res est, quatenus cogitando quidem subjicitur, suam tamen tuetur naturam a cognoscentis opinionibus liberam. Inde fit, ut *subjectivum* id dicatur, quod in varia cognoscentis condicione, *objectivum* quod in constanti rei ipsius natura est positum... *Verbum subjectivum*, *objectivum* novus est vocabulorum usus ad grammaticam et subjecti vim plane accommodatus (Elementa Logices, editio sexta, Adnotata, § I, nota 2).»

(1) Ex hac regula efficitur, quod subjectum et prædicatum in propositione, non tam ex loco, quam ex amplitudine notionis agnosci debeat.

natione intellectus statuentis, qualis sit, vel non sit res quæ cognoscitur. Hæc vox est veluti nota judicii; eaque cum sit veluti *vinculum* notionum, *copula* propositionis nuncupari solet. — Vox quæ jungit vel disjungit subjectum et prædicatum in propositione, est verbum *sum*, *es*, *est*.

Tria sunt ergo in propositione, quæ respondent tribus elementis judicii, scilicet *subjectum*, *prædicatum*, et *copula*. Quæ tria, quandoque tribus vocibus distinctis exprimuntur, ut cum dico : *Petrus est irascibilis* — quandoque autem una voce tantum, ut si dicam : *Vivo*; idem est enim ac si dicerem : *Ego sum vivens*.

Termini enunciationis se habent ad copulam, quasi materia ad formam; quia copula proprie exprimit terminorum conjunctionem vel separationem, secundum quam formatur propositio.

II. *De nomine et verbo quæ sunt partes propositionis, nec non de oratione.*

Termini ex quibus constituitur enunciatio, *nomina* nuncupantur, copula dicitur *verbum*, totum vero constitutum ex istis, vocatur *oratio*. Quamobrem de nomine, de verbo, de oratione aliqua oportet attingere, ut sic natura propositionis melius intelligatur.

Nomen prout a grammaticis sumitur, significat substantiam aut qualitatem rei; « Proprium est nominis, ait Priscianus, substantiam et qualitatem (rei) significare (1). »

Prout autem ad logicam spectat, nomen est *passionis animæ signum*, hoc est, signum aliquod ad repræsentandas intellectuales conceptiones animi institutum; unde proprium est ipsius immediate designare conceptus, mediantibus vero conceptibus, res. Ab Aristotele nomen definitur : « Nomen

(1) Syntax., lib. II, c. 4.

est vox significans ex consensu, sine tempore, cujus vocis nulla pars est significans separata, *finita* et *recta* (1).»

Hæc definitio breviter exponitur : *Nomen est vox significans*; nisi enim aliquid significaret, non esset nomen, *tum nomen fit*, ait Aristoteles, *quando fit symbolum.* — *Ex consensu*, scilicet ex libera institutione; *natura enim nomen nullum est.* His particulis cum cæteris partibus propositionis nomen convenit. — *Sine tempore*; non quia nomen excludit *tempus* ut rem significatam, *hora* enim, *dies*, *mensis*, *annus*, sunt nomina tempus significantia; sed quia excludit modum significandi conceptus cum tempore. Hoc autem est quod nomen distinguit *a verbo*, verbum enim cum tempore significat. — *Cujus vocis nulla pars est significans separata*; si enim hoc nomen *homo* in duas partes dividatur *ho* et *mo*, neutra separatim aliquid significat. Est ergo nomen vox aliqua simplex, incomplexa et indivisibilis; et hoc modo ab *oratione* distinguitur, cujus partes separatæ significant. — *Finita;* apponitur hæc particula ad excludenda *nomina infinita*, puta *non homo*, quæ proprie non sunt nomina. « Nomen enim infinitum, similiter cuicumque adest, et illi, quod est, et illi, quod non est (2). » — *Recta* demum ; quia « Tò Philonis et Philoni et quæcumque talia (quæ a nominativo derivantur, et casus obliqui dicuntur), non sunt nomina, sed casus nominis (3),» qui non significant rem ut aliquid in se, sed ut alterius et cum respectu ad alterum.

Verbum(4) : Ut ratio propria significata in hac voce *verbum*,

(1) De *interpretatione*, cap. II, edit. Didot, vol. I, pag. 25. — Duæ illæ voces *finita* et *recta*, non leguntur in definitione Aristotelis, sed ex contextu capitis merito adduntur.

(2) Aristotelis, ibid. — (3) Ibid.

(4) Hæc vox quandoque sumitur ad significandum ipsum æternum Filium Dei, sic legitur in capite primo Joannis : *In principio erat* Verbum. Quandoque ad mandatum Domini significandum, ut cum dicitur : *Hoc est verbum Domini*, vel etiam *Creaturæ faciunt verbum*

dignosci possit, oportet quærere qualis sit modus significandi, per quem ipsa in propria significatione constituitur, et a significatione aliarum vocum distinguitur.

Porro quatuor sunt modi generales significandi verborum : 1° Significant *personam*, ut *amo*, *amas*, *amat*. 2° Significant *numerum* singularem vel pluralem, ut *amo*, *amant*. 3° Significant sub *modo* indicativo, subjunctivo, permissivo, imperativo, optativo, ut *amo*, *amem*, etc.; excipitur autem hic modus infinitivus, qui proprie non est modus, modus enim exprimendi ejus est exprimere sine modo. 4° Demum verba significant *actualitatem rei exercitam sub aliqua differentia temporis*, ut hæc vox *est* exprimit actualitatem essendi rei, exercitam sub differentia temporis præsentis.

Horum autem modorum significandi per *verbum*, quidam sunt communes *nominibus*, ut significare *personam* et *numerum*; quidam accidunt verbo, sicut sunt modi illi *indicandi*, *imperandi*, *optandi*, etc. Manet autem quartus modus significandi, qui est proprius *verborum*. Etsi enim præter verba sint voces quæ in abstracto significant actualitatem aliquam, ut, *ambulatio*, *locutio*, etc.; et etiam aliquam differentiam temporis, ut, *nunc*, *hodie*, *cras*, *heri*; nihilominus modus significandi *actualitatem rei exercitam sub aliqua differentia temporis*, est proprius modus significandi verborum.

Modus ergo per quem verba constituuntur in propria significatione, a significatione omnium aliarum vocum distincta, est *modus significandi actualitatem rei exercitam sub aliqua*

Dei, hoc est exequuntur mandatum Dei. Quandoque pro re ipsa quæ efficitur : ut in libro I Regum, capite 3, v. 3, *Ecce ego facio verbum in Israel*. Quandoque pro interiori illa notitia, per quam res repræsentatur in mente, quæ et terminus mentalis vel species expressa dicitur. Quandoque pro quacumque dictione, unde et *nomina* verba dicuntur. Denique hæc vox *verbum* usurpatur pro voce illa significativa ad placitum, prout a nomine distingui solet; ut *audio*, *opto*, etc. Atque hæc est acceptio, ut patet, secundum quam modo de verbo loquimur.

differentia temporis. Quapropter verbum definiri potest : *Est vox significativa ad placitum, cujus pars nihil separatim significat, affirmans actualitatem rei exercitam sub aliqua differentia temporis.* — Dicitur *vox significativa ad placitum*, prout similis est aliis vocibus; dicitur *cujus pars separatim nihil significat*, prout distinguitur ab oratione; reliqua vero pertinent ad proprium constitutivum *verbi* (1).

(1) Circa naturam verbi tres sententiæ communiter recitantur. Quidam enim asserunt, verbum proprie significare *affirmationem*, ut Stoici sentiunt (apud Laertium, Lib. VII), et auctor recentioris ætatis, e portu regio (Grammaire générale et raisonnée, Part. II[a], c. 8). A qua sententia non multum differt sententia Condillachii, qui docet, verbum proprie significare coexistentiam prædicati et subjecti (Grammaire, 1re partie, chap. 13). — Quidam vero arbitrantur, significationem propriam verbi sitam esse in *actione* et *passione*. Quam sententiam leviter nimis nonnulli recentiores ea ratione impugnant, quod sint verba, quæ neque actionem, neque passionem significant, ut *dormit*, *quiescit* ; et sint nomina quæ actionem significant, ut *deambulatio*, *lectio*, *ratiocinatio*. Leviter nimis, inquam, oppugnant ; etenim, etsi *dormit* et *quiescit* non exprimant rem quæ in se sit actio, modus tamen significandi eorum est cum *motu* ; significant enim sub differentia temporis præsentis; deambulatio vero et alia similia nomina, significant quidem rem quæ est actio, non tamen per modum actionis. « Proprium verbi est, ait S. Thomas, ut *significet actionem vel passionem*. Potest autem actio significari tripliciter. Uno modo per se in abstracto, sicut quædam res ; et sic significatur per nomen, ut cum dicitur *actio*, *passio*, *ambulatio*, *cursus*, et similia. Alio modo per modum actionis, ut scilicet est egrediens a substantia, et inhærens ei ut subjecto; et sic significatur per verba aliorum modorum, quæ attribuuntur prædicatis (In 1um Periherm. lect. 5a). » — Aristoteles, et cum ipso D. Thomas, et communiter scholastici notam propriam et characteristicam verbi statuunt in eo, quod significet rem aliquam prout subjicitur tempori. Verbum enim significat per modum fluxus et motus; significat ergo cum tempore. Quapropter excludendo a propria ratione verbi *infinitum*, ut, *non currit*, *non docet* etc. ; nam « verbum infinitum, similiter cuicumque adest, et

Contra hæc quæ de natura verbi diximus, aliquis sic posset arguere : 1° Hæc definitio verbi non convenit verbo modi infinitivi. Ergo non omni verbo convenit.

Respondeo : Verbum infinitivum non habet proprie rationem verbi, sed potius rationem nominis ; ipsum est veluti fundamentum, radix, et materia, quæ, secundum quod diversimode modificatur, diversos modos verbi constituit. Nullum est ergo inconveniens quod definitio verbi a nobis tradita, verbo infinitivi modi non conveniat.

2° Saltem in propositionibus *æternæ veritatis*, verbum nequit significare sub ea ratione et modo, quo aliquid subjicitur tempori. Ergo non est verum ad naturam verbi pertinere, ut rem significet cum tempore.

Respondeo : Ratio objectiva cognita, et significata per propositiones, quæ æternæ veritatis dicuntur, vere abstrahit a tempore ; attamen prout ipsa ab intellectu enunciatur, exprimitur cum dependentia a tempore. Sic dum dico : *Bis tria sunt sex*, aliquid profecto enuncio æternæ veritatis, sed prout a mente affirmatur sub copula EST, subest præsentiæ temporis ; ergo cum tempore significat.

illi, quod est, et illi, quod non est ;» item excludendo a ratione verbi præteritum et futurum, ut, *valuit*, *valebit*, quia sunt casus verbi, qui actionem de præterito vel futuro significant, non autem de præsenti, et proinde a propria significatione verbi, quod est significare cum motu et actione desciscunt ; *verbum* sic cum Aristotele definitur : « Verbum est quod tempus consignificat (quia scilicet rem cum tempore significat), cujus nihil significat separatim (sic ab *oratione* distinguitur), et semper signum eorum est, quæ de alio dicuntur (qua particula verbum a participio distinguitur ; verbum enim in propositione semper ex parte prædicati ponitur, participium vero ex parte prædicati et subjecti).» — Lib. de Interpretatione, seu Periherm. — cap. III, vol. I, pag. 28, edit. Didot. — Definitio *Verbi* a nobis in textu allata, si diligenter consideretur, hæc, quæ tribus sententiis relatis, de natura verbi asseruntur, complectitur.

3° Videtur saltem non debere poni in definitione verbi, vox illa *affirmans*; siquidem in propositionibus negativis verbum non affirmat, sed negat.

Respondeo : Etsi in propositionibus negativis una notio de alia negatur; tamen in ipsis per vim verbi, sub alio respectu, affirmatio quoque reperitur. Propositio enim negativa, dum convenientiam prædicati et subjecti dirimit, affirmat simul, rem ita se habere prout exprimitur in ipsa. Ne vero gratis dicere videar, vim affirmandi propriam esse verbi, sic argumentor : Id pertinet per se ad naturam verbi, quod, sublato quocumque alio, sibi convenit, ipso autem sublato nulli alteri convenit. Atqui sublato quocumque alio, convenit verbo affirmare, ut patet, cum dicitur : *Sum*, *amat*, *currit*; ipso autem sublato, nulli alteri convenit; ad nomina enim pertinet quidem determinare vel id, quod affirmatur, vel de quo affirmatur; non tamen nominis est, vel cujusque alterius vocis præter verbum, aliquid affirmare. Ergo affirmare ad naturam verbi per se pertinet.

Quod si quis urgeat, quia verbum modi optativi nihil affirmat, ut si dicatur : *Utinam Petrus studeret*, in qua locutione nulla est affirmatio. Respondendum est negative. Quemadmodum enim verbum modi imperativi, imperium exprimit; ita quoque verbum modi optativi desiderium exprimit : siquidem dicta propositio idem omnino exprimit, quod ista : *Desidero quod Petrus studeat*, — vel, *Ego sum desiderans quod Petrus studeat.* — Et hæc de natura verbi sufficiunt.

Ad divisionem autem ejus quod spectat, verbum aliud est *substantivum*, et aliud *adjectivum*. Verbum substantivum significat *esse*; tale est verbum *sum*, *es*, *est* : *adjectivum* autem dicitur illud, per quod significatur aliquid adjectum verbo *sum*, *es*, *est*. — Si res accurate expendatur, unicum duntaxat verbum esse comperitur, primarium, fundamentale, ac radix omnium aliorum, verbum nempe *sum*, *es*, *est*; cætera vero non sunt nisi modificationes ac determinationes ipsius. Habet namque hoc verbum significationem, quæ significationem

cæterorum verborum pervadit; præterea, in ipsum omnia alia verba ultimo possunt resolvi : sic *amo* idem significat, ac sum amans, *quiesco* idem, ac sum quiescens; idipsum de omnibus verbis dicatur.

Verbum substantivum *sum*, *es*, *est*, proprie significat exercitium seu actualitatem essendi, sive actualitas sit ens reale, quod dividitur per decem prædicamenta, sive ens rationis, nempe unionem vel disjunctionem illam prædicati et subjecti, quæ ad secundam operationem mentis, a qua ipsa efficitur, *formaliter*, hoc est secundum proprium intrinsecum esse, pertinet. Verbum *sum*, *es*, *est*, prout significat actualitatem realem, significatio ejus *absoluta* dicitur; sic *Deus est*, *Petrus est*, ly *est* absolute significat; affirmat enim existentiam Dei, et existentiam Petri. Prout vero actualitatem idealem, quæ est ens rationis, significat, conjunctionem nempe vel disjunctionem prædicati et subjecti, significatio ejus *relativa* dicitur seu *copulativa*.

Quod autem verbum esse, præter vim copulandi, seu exprimendi convenientiam prædicati cum subjecto, habeat etiam vim significandi ens reale, a quolibet facile comperiri potest. Nam si *ens*, quod est participium verbi esse, præter ens rationis, ens reale quoque significare potest, cur verbum *esse*, a quo *ens* derivatur, idem significare non potest?

Hæc vero significatio copulativa verbi *esse*, prout diversimode termini exigunt, est vel non est cum significatione ejus absoluta. Nam si termini, qui per copulam *est* conjunguntur, sint reales, ita quod notio realis et positiva prædicati realiter inhæreat notioni subjecti, tunc copula *est* non solum significat ens rationis, compositionem nempe a mente effectam; verum etiam ens reale et absolutum, in quo illa compositio rationis fundatur. Sic cum dico : *Deus est existens* — ly *est* significat operationem intellectus conjungentem existentiam cum Deo, ac insuper ipsum esse reale Dei in quo fundatur illa compositio.

Verum, si alteruter terminorum, vel ambo termini, qui per

copulam *est* conjunguntur, habeant esse ideale tantum in mente, quin aliquid reale et positivum eis respondeat a parte rei, tunc copula *est* solum ens rationis, compositionem nempe a mente effectam, significat. Ex. c. In hac propositione: *Petrus est cæcus* — quia cæcitas a parte rei non inhæret Petro, non enim est aliquid positivum, sed solum privatio visus, idcirco ly *est* vim copulativam duntaxat habet, eaque proinde tantum ens rationis seu ideale significat, non autem ens reale. — Quæ de natura verbi, ejusque divisione, maxime vero quæ de significatione verbi *esse* diximus, etsi subtilia, accurate tamen sunt ponderanda, pro natura propositionis intelligenda.

Oratio : Hæc vox imposita est ad significandam elocutionem, cujus partes separatim sumptæ, eo modo significant quo in toto. E. c. Hæc elocutio : *Petrus ambulat*, est oratio constituta ex duabus partibus, *Petrus* et *ambulat*, utraque, separatim sumpta, habet eam significationem quam habet in toto.

Oratio alia est *perfecta* et alia *imperfecta*. Perfecta, si aliquid perfecte exprimit; sic *Multus est ad ignoscendum Deus*. Imperfecta vero, quæ animum suspensum relinquit, ut si dicatur : *Nisi feceris hoc*. — *Quid prodest*, etc.

Plures orationis species recenseri possunt : *Indicativa*, per quam enunciatur animi conceptus, ut, *Petrus est vir bonus*. — *Imperativa*, per quam injungitur alicui executio operis, ut, *Vade Romam*. — *Optativa*, per quam significatur animi desiderium, ut *Utinam redires ad Deum*. — *Interrogativa*, per quam aliquid ab alio quæritur, *Quid mihi est in cælo, et a te quid volui super terram?* — *Deprecativa*, per quam aliquid a superiori petitur, ut, *Veni Domine, veni, veni et noli tardare*. — *Admirativa*, per quam aliquid ut magnum admiratur, ut, *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum!* — *Permissiva*, per quam aliquid petenti conceditur, ut, *Fiat quod petis*. — *Querula*, per quam quis aliquid lamentatur, ut, *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est* ! etc. — Ex omnibus orationum speciebus sola indicativa judicium exprimit ; ipsa sola proinde spectat ad logicam. — Et

hæc de enuntiatione, quæ est expressio sensibilis judicii, sufficiunt.

CAPUT III.

DE DIVISIONE PROPOSITIONIS.

I. *Unde sumatur divisio propositionis.*

Propositio, si absolute secundum se spectetur, nequit, aliunde dividi quam ex rebus illis quibus ipsa constituitur, scilicet vel ex parte *subjecti*, vel ex parte *habitudinis* prædicati et subjecti, vel ex parte *copulæ*, vel demum ex parte *affirmationis*, quæ in propositione exprimitur, et per quam intellectus se adæquat objecto.

Præterea, quia conceptio significata in una propositione quandoque talis est, ut ab alio dependeat tanquam a *conditione, sine qua non* potest unum de alio affirmari; vel tanquam a *causa*; vel tanquam ab *aliquo, per quod ipsa conceptio completur et perficitur*; hac de causa alterum dividendæ propositionis caput extat, *diversitas* nempe *dependentiæ* unius propositionis ab alia.

Ultimo, sunt propositiones complexæ, in quibus scilicet aliæ propositiones implicantur; quæ proinde aliquam confusionem ingerunt. Huic defectui consulitur explicite exponendo propositiones, quæ in complexis continentur. Et hoc est tertium caput, ex quo divisio propositionis sumi potest, *diversitas scilicet harum propositionum*, quæ tali expositione indigent. Verum divisio ista potius ad grammaticam pertinet, quam ad logicam.

Monendum est autem hic, quæcumque de divisione propositionis in hoc capite dicuntur, eadem de judicio esse dicenda; siquidem propositio, prout hic de ipsa loquimur, nihil est aliud, quam judicium ore prolatum.

II. *De divisione propositionis prout ipsa secundum se spectatur, ratione subjecti, ratione habitudinis prædicati et subjecti, ratione copulæ, ratione demum affirmationis, per quam intellectus se adæquat objecto.*

Ad primam classem igitur divisionis propositionis deveniendo, propositio dividitur : 1° Ratione subjecti, nimirum juxta *quantitatem* seu *amplitudinem* subjecti, in *universalem, particularem, singularem, indefinitam.*

Universalis dicitur propositio, si ejus subjectum omnia quæ sunt ejusdem speciei vel generis, complectatur. Ad hanc universalitatem designandam adjicitur subjecto signum universale *omnis*, si propositio sit affirmativa, *nullus*, si negativa. Ex. c. *Omnis homo est mortalis — Nullus actus injustus est laude dignus* (1).

Nominatur propositio *particularis* cujus subjectum significat non omnia et singula quæ sub ipso sunt, sed plura tantum, vel unum indeterminate. Hæc propositio designatur adjiciendo subjecto signum particulare *aliquis, quidam, alter.* Ex. c. *Quædam corpora sunt pellucida.*

Propositio vero *singularis* ea est, cujus subjectum est terminus singularis, qui nempe de uno tantum prædicatur, vel etiam est terminus communis affectus ac determinatus signo singularitatis; ut, *Petrus Romam venit*, vel, *Hic homo est violentus.*

Denique propositio *infinita* vel *indefinita* nuncupatur illa,

(1) Oportet hic notare, quandoque esse propositiones universales solum secundum verbalem expressionem, non autem secundum conceptum; sic si quis dicat : *Omnes Angli sunt veri et recti*, verbo tenus propositio est universalis, non autem secundum conceptum. Quapropter ad agnoscendam propositionem universalem hæc regula certa statui potest : *Quotiescumque subjectum, prout jacet, universe significat, ac quæ prædicantur de ipso, essentialiter ei conveniunt, vel repugnant, propositio est universalis.*

in qua subjectum, propter exigentiam prædicati, aliquid vagum, indefinitum, et quasi in immensum significat, quin quid illud sit definiatur. Ex. c. *Aurum est non lapis* (1). — Ut propositio sit indefinita duæ conditiones requiruntur : 1° Ut particula negativa afficiat prædicatum, si enim copulam afficeret, propositio esset negativa. 2° Ut terminus, cui adjungitur vocula negativa, non sit talis naturæ, ut negatio ipsius inferat positionem oppositi. Ex. c. *Anima rationalis est non corpus* — hæc propositio enim voce est indefinita, conceptu autem definita, idem enim omnino significat ac ista : *Anima rationalis est incorporea.* — Discrimen inter propositionem indefinitam et negativam hoc est : In propositione negativa nihil asseritur de subjecto ; in indefinita autem ratione copulæ affirmativæ, aliquid asseritur, sed quid illud sit non declaratur.

2° Propositio RATIONE HABITUDINIS PRÆDICATI ET SUBJECTI, quæ habitudo est quasi materia, quam copula afficit, dividitur in *necessariam*, in *contingentem*, in *possibilem*, in *impossibilem.*

Propositio *necessaria* est illa, cujus prædicatum significat aliquid pertinens ad essentiam vel ad proprietatem subjecti. Hoc prædicatum proinde ita convenit subjecto, ut ei nequeat non convenire : ut, *Triangulus est figura tribus lineis circumscripta* ; vel, *Homo est docibilis.* — Hæc propositio dicitur

(1) Alio modo vulgo definitur propositio indefinita, *Cujus subjectum nullo afficitur signo.* Quæ definitio est vera quidem penes grammaticos, qui expressionem verbalem tantum considerant, non autem penes logicos, qui habitudinem notionum primo considerant. Nam penes logicos, tametsi subjectum nullo signo afficitur, nihilominus, si prædicatum essentialiter conveniat subjecto vel ei repugnat, tunc propositio non est indefinita, sed universalis ; si vero prædicatum essentialiter neque conveniat neque repugnat subjecto, tunc propositio est particularis. — Ex. c. *Animæ rationales sunt immortales*, — est propositio indefinita voce, universalis vero in ratione conceptus — et, *Galli sunt facundi* — est indefinita voce, particularis vero conceptu.

identica si prædicatum idem omnino significat quod subjectum; dicitur etiam *per se nota*, vel, ut placet quibusdam recentioribus, *analytica*, quia notio significata in prædicato ad essentiam subjecti ita pertinet, ut per simplicem inspectionem, terminis propositionis cognitis, statim evidentia ejus affulgeat.

Propositio *contingens* vocatur, cujus prædicatum potest subjecto adesse vel ab ipso abesse, quin pereat; ut, *Petrus est vir sobrius.*

Possibilis, cujus prædicatum potest quidem convenire subjecto, tamen actu non convenit ei. Differt a contingenti, quia propositio contingens potest esse etiam de re quæ actu est; cum econtra possibilis sit de re, quæ potest esse, sed actu non est. Solet hæc propositio exprimi cum modo suo; ut *Possibile est montem esse aureum.*

Impossibilis, cujus prædicatum essentialiter repugnat subjecto; ut, *Effectus est prior duratione sua causa.*

3° Propositio RATIONE COPULÆ, quæ est veluti forma ipsius, dividitur in *affirmativam* et *negativam*. Eorum enim, quæ mens convenire videt inter se, unum alteri inesse asserit, et per vocem exprimit; quæ expressio propositio affirmativa nuncupatur : eorum vero quæ inter se videt non convenire, mens unum ab alio alienum esse asserit, et per vocem profert; quæ prolatio propositio negativa vocatur. — Propositio negativa formatur per copulam particula negativa affectam (1); et hæc particula non extrinsecus adjungitur, sed per se ad ipsam pertinet.

4° RATIONE AFFIRMATIONIS propositio est *vera* vel *falsa*. Si enim adæquatio in propositione expressa, secundum quam

(1) Nota : In propositione negativa negatio cum copula arctissime debet cohærere; ipsa proinde neque cum subjecto neque cum prædicato connecti debet, sed cum copula; alioquin propositio foret affirmativa; ut est ista : *Deus præcipit non furari.*

intellectus se adæquat objecto, reipsa existat, propositio tunc dicitur *vera*; si autem non existat, dicitur *falsa*. Quandoquidem ille dicitur *verum* judicare, qui judicat aliquid esse virtuosum, quod reipsa est virtuosum; et pulchrum, quod reipsa est pulchrum; qui contra virtuosum esse judicat, aut pulchrum, quod reipsa non est tale, is falsum enunciat judicium.

III. *De alio principio dividendi propositionem, juxta diversam dependentiam unius propositionis ab alia.*

Quemadmodum supra jam innuimus, potest contingere, quod conceptus mentis perfecte exprimi nequeat per unam simplicem categoricam propositionem; ac duabus proinde vel pluribus propositionibus, aliqua particula copulatis inter se, significari debeat. Quamobrem juxta diversitatem hujus particulæ, diversæ quoque propositiones recensentur, quæ *compositæ* seu *hypotheticæ* nominantur; a *categoricis*, seu, ut vertit Apuleius, *prædicativis*, quæ sunt propositiones simplices, ex subjecto, copula et prædicato constitutæ (1), distinctæ.

Particulæ vero, per quas duæ vel plures propositiones conjunguntur inter se, ut unum conceptum perfecte significent, sex numerantur : Si, quæ est particula conditionalis, eaque constituit propositionem *conditionalem*. — Ex. c. *Si sol est ortus, est dies.* — *S: Sortes currit, movetur.*

Vera est propositio ista, si vere unum sequatur ex alio, etsi simplices propositiones, ex quibus componitur, sint falsæ.

Quia, particula causalis, quæ constituit propositionem

(1) Bene potest stare simplex ac categorica propositio cum pluribus vel paucioribus terminis, dummodo inter se uniantur per modum unius prædicati et subjecti.

causalem, ex duabus vel pluribus simplicibus constitutam : ut, *Homines sunt discordes inter se, quia superbi sunt, invidi et avari.* — Hæc propositio est vera, si ratio quæ adducitur, sit vera causa ejus quod infertur; falsa vero, si falsa, etsi ambæ propositiones conjunctæ sint veræ.

3° Et, atque, cum, tum, nec, neque, et aliæ similes particulæ copulativæ, quatenus plures simplices propositiones, ad unum quid manifestandum ordinatas (1), jungunt inter se, propositionem *copulativam* efficiunt. Propositio copulativa tribus modis esse contingit : 1° Quia unum subjectum habet et plura prædicata; ut, *Deus est simplex, bonus, infinitus, immensus, immutabilis, æternus, et unus.* 2° Quia plura subjecta habet et unum prædicatum; ut, *Prospera et adversa a Deo proveniunt.* 3° Quia plura subjecta et plura prædicata habet; ut, *Non domus aut fundus, non æris acervus et auri Ægroto Domini deduxit corpore febres, Non animo curas.* Ut vera dicatur hæc propositio, necessarium est omnes propositiones conjunctas esse veras. Quapropter si alterutra earum sit falsa, tota propositio habetur ut falsa; Ex. c. Si quis dicat : *Amor Dei et divitiarum sunt duo maxima bona,* ut falsa haberi debet, non enim est verum quod amor divitiarum sit maximum bonum.

4° Aut, vel, sive, etc., particulæ disjunctivæ, quatenus plures simplices propositiones connectunt inter se, propositionem *disjunctivam* constituunt. Ex. c. *Aut utilitate, aut metu, aut amore homines ducuntur.*

Exigit natura propositionis disjunctivæ, quod membra disjunctionis, sub quibus determinatum aliquod objectum,

(1) Notandum est hic enunciationem compositam, ex pluribus propositionibus ita coalescere debere, ut unitatem quamdam habeat ex ipsis; compositio enim est duorum vel plurium coeuntium in unum. Quapropter haud satis est propositiones proferre unam post aliam, ut propositio composita dicatur; sed una, mediante aliqua particula, conjungi debet cum alia ad unum quid significandum.

vere vel ficte, concipi potest, omnia enumerentur, ita ut nullum possit excogitari, quod fuerit prætermissum. Etenim, si vel unum omitteretur, jam non posset cum veritate unum ex ipsis affirmari; et tamen ad veritatem propositionis disjunctivæ pertinet, quod ex propositionibus disjunctis una debeat esse vera.

Quamobrem propositiones disjunctivæ, quæ in subjecto vel prædicato uniuntur, si uti contrariæ dividantur inter se, nullum admittant intermedium. Ex. c. *Omnis actio deliberata vel bona est vel mala.*

Si sint veluti partes cujusdam totius, nulla pars prætermittatur. Ex. c. *Totus mundus iste terrestris aut Europa est, aut Asia, aut Africa, aut America, aut Oceania.*

Si sint veluti formæ ejusdem generis, nulla relinquatur. Ex. c. *Substantia alia corporea est, alia vivens, alia sensitiva, alia rationalis, alia pure intellectualis.*

Denique si propositiones sint ex iis, quas circa aliquod determinatum objectum animus fingit, ut inde una ex ipsis, reliquis rejectis, tanquam vera assumatur, omnes debent numerari, quæ ab animo fingi possunt. Ex. c. *Mundus aut casu est, aut essentialiter ex seipso, aut ab aliqua causa externa productus.*

5° Sic, Sicut, ita, prius, post, etc., particulæ relativæ, quatenus propositiones simplices uniunt inter se, efficiunt *propositionem relativam*. Ex. c. *Sicut ventus Aquilo pluvias dissipat, ita facies tristis linguam detrahentem.* — Ut hæc propositio sit vera, satis est quod comparatio sit vera.

6° Sed, verum, tamen, nihilominus, etc. particulæ discretivæ, quatenus propositiones simplices uniunt inter se, efficiunt *propositionem discretivam*. Ex. c. *Non a divitiis, non a gloria, non ab honore, neque a potestate, neque ab aliquo corporis bono, neque a voluptate beatitudo habetur, sed a cognitione et amore summæ veritatis.* — Ut hæc propositio sit vera, partes discretæ debent esse veræ, ac inter se quamdam oppositionem habere.

IV. *De tertio capite ex quo desumi potest divisio propositionis, quæ divisio non tam ad logicam pertinet, quam ad grammaticam.*

Quia sunt propositiones complexæ, quæ expositione quandoque indigent; idcirco solent logici distinguere ex alio capite propositiones in *exponibiles*, et in *exponentes*. Exponibiles dicuntur illæ quæ possunt declarari, illæ vero per quas declarantur, exponentes vocantur.

Exponibilium autem propositionum alia est *exclusiva*, alia *exceptiva*, alia *comparativa*, alia *reduplicativa*.

Exclusiva, quæ per aliquam particulam exclusivam, *solum*, *tantum*, *duntaxat*, vel a subjecto aliquo aliud prædicatum excludit, vel a prædicato aliud subjectum. A subjecto quidem, si particula afficiat prædicatum; v. g. *Triangulus tribus lineis et tribus angulis* TANTUM *constat*, quæ idem significat, ac si quis diceret : *Triangulus tribus lineis et tribus angulis constat, nec plures potest habere*. A prædicato autem, si particula subjectum afficiat; v. g. *Homines probi et virtuosi solum sunt amici Dei*, quæ idem valet : *Homines probi et virtuosi sunt amici Dei, ac nemo sine probitate et virtute potest esse amicus Dei.*

Exceptiva dicitur propositio, si aliqua particula exceptionis afficiatur, *præter*, *nisi*, etc., per quam aliquid excipitur a subjecto vel prædicato. Ex. c. *Nemo læditur* NISI *a seipso*. — Quæ propositio, cum sit complexa, duabus propositionibus sic exponitur : *Omnis læditur a seipso*, ac, *Nemo alium lædit*.

Comparativa nominatur propositio, in qua inter duo judicia aliqua comparatio instituitur per particulam comparativam *magis*, *minus*, etc., expressam vel implicitam. Hujusmodi propositio tres propositiones complectitur, quarum una affirmat aliquid positivum de re excedente, alia de re excessa, tertia ipsum excessum. Ex. c. hæc propositio : *Melior est qui dominatur animo suo expugnatore urbium*, complectitur tres propositiones et per tres exponitur : Prima quæ est de re

excedente : *Bonus est qui dominatur animo suo.* — Altera quæ est de re excessa : *Bonus est expugnator urbium.* — Tertia quæ est de excessu : *Dominator animi sui est supra expugnatorem urbium.*

Reduplicativa propositio dicitur, si particula reduplicante afficiatur, *quatenus, ut, prout, in quantum*, etc. Particula ista reduplicans determinat rationem sub qua attributum prædicatur de subjecto, vel amovetur ab ipso. Ex. c. *Anima humana, qua intellectualis, est immortalis* — Hæc propositio exponitur hoc modo : *Anima humana est immortalis*, et, *Ratio immortalitatis animæ humanæ est ejus intellectualitas.* — Monendum est autem, non unam esse rationem ob quam prædicatum jungitur cum subjecto, vel dirimitur ab ipso; potest enim hoc repeti vel a ratione specifica subjecti, vel ab aliqua ratione generica ipsius, vel etiam a quibusdam conditionibus, quæ subjectum, præter ipsius naturam, afficiunt. Ex quo fit, quod particulæ illæ reduplicantes dicantur sumi *reduplicative*, si conjunctio vel disjunctio prædicati et subjecti, a subjecti natura repetatur; contra, *specificative* tantum.

In fine notandum est, hujusmodi omnes propositiones, quæ *exponibiles* et *exponentes* dicuntur, vel etiam *complexæ*, non tam ad logicam pertinere, quam ad grammaticam. Etenim diversitas propositionum logicarum sumi debet ex diversa natura judiciorum; siquidem logica in expressione vocali non ipsam vocalem expressionum quærit, sed conceptum : diversitas autem propositionum grammaticalium sumi debet ex diverso modo, quo ipsæ exprimuntur. Talis est autem diversitas propositionum, quæ complexæ dicuntur.

V. *De propositione modali et incidenti, et de quibusdam aliis propositionibus a Philosophis, imprimis a Mathematicis, usu receptis.*

Superest ut de propositione modali et incidenti, et de quibusdam aliis propositionibus, quarum usus præsertim apud Mathematicos est frequens, aliquid dicamus.

Propositio *modalis* ea vocatur, in qua exprimitur modus, quo prædicatum convenit subjecto, vel ab ipso est alienum (1). Hujusmodi expressio fit quatenus copula afficitur aliquo ex his quatuor modis, qui *adverbio* exprimuntur : *necessario, contingenter, possibiliter, impossibiliter*, vel etiam *nomine : necessarium est, contingens est*, etc. Ex. c. *Deus est* NECESSARIO *bonus, liberalis, sine invidia*, vel, *Necessarium est Deum esse bonum*. Quæ propositiones autem his modis non afficiuntur, dicuntur in schola *absolutæ*, vel *de inesse*; ut, *Caritas est regina virtutum*.

Propositio *incidens* nominatur illa, quæ prædicato vel subjecto propositionis principalis adjungitur; ut, *Deus, qui est patiens, tardus est ad puniendum*. — *Incidens* vocatur hæc propositio : *Qui est patiens*, quia ejus mentio inter loquendum incidit (2).

De aliis propositionibus autem hæc brevis sit mentio : Propositio vocatur *theoretica* si aliquid enunciat, quod non ordinatur ad opus : contra, dicitur *practica*. — Propositio theoretica immediate cognita, ex sola declaratione terminorum, vocatur *axioma*, latine *effatum, notio communis, principium per se notum*, vel *analyticum*, vel etiam *dignitas*; ut,

(1) Nota hic, eos modos duntaxat constituere propositionem modalem, qui exprimunt modum quo prædicatum est idem cum subjecto vel diversum ab ipso, non autem modi illi, qui rationem prædicati solum definiunt. Hinc si quis diceret : *Homines pingues lente incedunt*, vel *Cursus acti aqua vaporata velociter currunt* — non sunt istæ propositiones modales; non enim modi in ipsis expressi habitudinem prædicati et subjecti afficiunt, sed solum prædicatum.

(2) Inter propositiones, quæ complexæ dicuntur, recensendæ sunt quoque omnes propositiones, quæ *inceptionem*, vel *continuationem*, vel *cessationem* alicujus rei enunciant. Duo enim judicia complectuntur, unum de eo quod res erat, alterum de eo quod nunc est. Ex. c. *Paulus desiit loqui*, hæc propositio duas complectitur : *Paulus loquebatur, Paulus nunc non loquitur*.

Non est effectus sine causa. — *Postulatum* apud Geometras est enunciatio, qua res fieri posse affirmatur, illudque reipsa fieri posse statim apparet; v. g. *A puncto ad punctum potest linea recta duci.* Propositio practica, quæ postulatum dicitur in Geometria, in aliis scientiis dicitur *principium practicum*; ut, *Non sunt facienda mala, ut veniant bona.* — *Theorema*, latine *perceptum*, est propositio *theoretica*, quæ sine demonstratione intelligi nequit. — *Problema* est propositio *practica* indigens demonstratione. — *Corollarium* est propositio minus principalis, a principalioribus illata, quæ proinde sine nova demonstratione intelligi potest; dicitur etiam *consectarium*. — *Scholia*, seu *Adnotationes* sunt breves observationes, quæ dicta declarant, aut eorum utilitatem ostendunt, aut ad historiam rerum demonstratarum pertinent. — Denique, *lemmata* seu *sumptiones* sunt propositiones, quæ pro aliis ostendendis stabiliuntur. Et hæc sufficiunt.

CAPUT III.

DE PROPRIETATIBUS PROPOSITIONIS.

I. *Proprietates propositionis breviter recensentur.*

Declaratis iis quæ ad naturam et divisionem propositionis pertinent, modo de proprietatibus ejus dicendum est, nempe de affectionibus iis, quæ propositionem jam constitutam sequuntur.

Ex proprietatibus propositionis quædam ex parte terminorum se tenent; quædam vero ipsam totam sequuntur. *Suppositio*, *Appellatio*, *Ampliatio*, *Restrictio*, *Distractio*, *Alienatio*, sunt proprietates quæ terminos propositionis, reduplicative ut tales, afficiunt. *Oppositio* autem, *Æquipollentia*, *Conversio*,

Subalternatio, sunt proprietates quæ totam propositionem sequuntur. — De singulis hisce proprietatibus in hoc capite dicere intendimus, a subtilitatibus quibusdam abstinendo, quarum non magnus ac fere nullus est usus.

II. *De proprietatibus propositionis, quæ se tenent ex parte terminorum ipsam constituentium.*

Suppositio dicitur *positio termini in propositione loco rei, quæ per ipsum significatur.* — Si significatio, quam terminus juxta exigentiam copulæ debet habere in propositione, respondeat rei significatæ per ipsum, suppositio tunc dicitur vera; si vero non respondeat, tunc falsa. Ex. c. *Antichristus erit*, terminus *Antichristus* vere supponit; copula enim hujus propositionis exigit, quod res significata per ipsum sit futura, ac ipsa revera est talis. Contra, si dicatur : *Antichristus fuit*, terminus tunc falso supponit, nam copula exigit, quod res ibi significata sit præterita, cum tamen reipsa sit futura. Qui termini ita falso in propositione supponunt, dicuntur *de subjecto non supponente*, h. e. de termino, qui in propositione juxta exigentiam copulæ significans, non respondet veritati rei, quam designat. — Cum quis arguendo in tales propositiones incidit, solemus in schola dicere : *Nego suppositum.*

Suppositio est multiplex : *Propria* et *impropria*, *materialis* et *formalis*, *logica* et *realis*, *collectiva*, *distributiva*, *disjunctiva.*

Suppositio dicitur *impropria*, si terminus in propositione positus, metaphorice significet; ut, *Vicit leo de tribu Juda* : *propria* vero, si secundum proprietatem; ut, *Leo rugit.*

Suppositio dicitur *materialis*, si terminus in propositione positus, accipiatur pro se, nimirum prout est quidam sonus ore prolatus; ut, *Lapis est vox* : est autem formalis, si accipiatur loco rei significatæ; ut, *Nobilitas animi est generositas sensus.*

Suppositio nominatur *logica vel simplex*, si terminus pro-

positionis significet aliquid secundum eum modum, quem res *præcise* habet in mente, et non in re ; puta, secundum rationem universalitatis, vel abstractionis ; ut, *Animal est genus — Humanitas est quædam abstractio formæ a subjecto.* — Vocatur autem *realis*, si significet aliquid quod non solum repræsentatur in mente, sed etiam est in re ; ut, *Virtus facit bonum habentem.*

Collectiva nuncupatur suppositio, si terminus in propositione positus, significet plura conjunctim sumpta ; ut, *Apostoli sunt duodecim* : si vero plura conjunctim et singulatim sumpta significet, tunc suppositio dicitur *distributiva* ; ut, *Omnis homo est animal rationale, homo* hic supponit pro omnibus et singulis hominibus. — Suppositio distributiva in *completam*, et *incompletam* subdividitur. Completa dicitur, quæ pro pluribus simul ac pro singulis individuis sumitur ; ut hæc vox *animal* in propositione ista : *Animal est vivens*, supponit pro omnibus et singulis individuis, uti in schola loquimur, *pro singulis generum.* Incompleta vero, quæ pro pluribus ac singulis speciebus sub genere contentis sumitur, non autem pro singulis individuis. — Vox quæ ita incomplete in propositione supponit, dicitur supponere *pro generibus singulorum* ; ut, *Omne animal fuit in arca Noe*, h. e. Omnes animantium species, non autem omnia individua.

Disjunctiva demum appellatur suppositio, si terminus in propositione positus, aliqua solummodo designet ; ut, *Aliqui ostendentes quod agunt, agnosci amant.* — Hæc suppositio dicitur *confusa*, si indeterminata relinquit quæ significat ; ut, *Aliqui, cum aliis maledicunt, sibi ipsis convicia faciunt* : *determinata* vero vocatur, si definite significet ; ut, *Quidam primo Americam detexerunt.*

Ad agnoscendum autem num termini in propositione positi supponant *collective*, an *distributive*, an etiam *disjunctive*, attendendum est, ut vulgo traditur, ad illa signa *omnis, nullus, aliquis, aliquis non.* Verum tamen multo tutior regula est attendere ad ipsam materiam propositionis ; ad habitudinem nempe prædicati et subjecti, et rem juxta illam definire.

Habitudo autem ista prædicati et subjecti tribus modis esse potest : 1° Aut est *metaphysica*, quando nempe ratio prædicati vel continetur in ratione subjecti, vel ab ipsa propter repugnantiam excluditur; ut, *Triangulum est figura tribus lineis circumscripta — Quadratum non est circulus.* —

2° Aut est *physica*, quando nempe res in subjecto et in prædicato significatæ, aliqua naturali habitudine uniuntur inter se vel dirimuntur. — Hæc unio autem vel disjunctio rerum in ordine physico, quandoque lege constanti efficitur; ut *calor cum igne, frigiditas cum aqua, albedo cum nive, descensus corporum, si in altum projiciantur*, etc.; quandoque vero contingenter ac varia fortuna, sic *motus cum corpore inerti, sanitas et ægritudo cum corpore animantis*, ac generatim, *varia, inconstans ac diversa illa commixtio elementorum inter se.*

3° Aut est *moralis*, quando nempe res significatæ in subjecto et prædicato uniuntur inter se, vel amoventur *moraliter*, videlicet, cum dependentia ab agente libero. Quæ quidem unio vel disjunctio potest contingere vel *ut plurimum*, vel *non ut plurimum*. E. c. *Mulieres esse garrulas*, ut plurimum esse contingit; sed quod *adolescentuli sint constantes, et gravia sectentur*, hoc ut plurimum esse non contingit.

His omnibus intellectis, non est difficile colligere regulas adhibendas, ut, inspecta natura prædicationis, dignoscatur, num subjectum in propositione *distributive* supponat pro omnibus et singulis,de quibus ipsum dicitur, an disjunctive tantum pro aliquibus. Sint igitur regulæ quæ sequuntur :

1ª *Si habitudo prædicati et subjecti sit essentialis et metaphysica, sive propositio sit affirmativa sive negativa, subjectum distributive supponit, sine exceptione.*

2ª *Si sit physica et naturalis ex constanti lege naturæ, sive propositio sit affirmativa sive negativa, subjectum distributive supponit, ita tamen, ut possit esse aliqua exceptio*, vel a natura, vel a potentia Dei extraordinaria. Ex. c. *Homines habent duas manus cum quinque digitis in unaquaque*; subjectum

hic distributive supponit pro omnibus et singulis hominibus; attamen sunt aliqui habentes manus cum sex digitis; en exceptio naturæ circa legem universalem ac constantem ipsius. Item, *Corpus non est simul in pluribus locis*; corpus hic pro omnibus et singulis corporibus supponit; est tamen ex potentia Dei absoluta, aliqua exceptio pro corpore Domini in augusto sacramento Eucharistiæ, quod, ut fides docet, pluribus locis simul sacramentaliter adest.

3 *Si habitudo prædicati et subjecti sit moralis ut plurimum*, sive propositio sit affirmativa sive negativa, *tunc etiam distributive supponit, sed semper* cum *aliqua exceptione*; ut illud Pauli : *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ J. Christi*, ly *omnes* pro omnibus et singulis supponit, cum exceptione tamen, erat enim Paulus, erant reliqui Apostoli, erant tunc alii sancti, qui non sua quærebant, sed quæ Jesu Christi. Temperamentum ergo, quo hujusmodi propositiones universales in materia morali sunt intelligendæ, est, ut in ipsis semper intelligatur aliqua exceptio : hujusmodi enim propositiones hunc sensum generalem continent : *Tanta est multitudo eorum qui hoc vel illud dicunt aut faciunt, ut, et qui non dicunt vel non faciunt, quasi non essent reputentur.*

4ª Denique in physicis *si prædicatum ex constanti ac naturali lege non conjungatur cum subjecto, subjectum* tunc supponit *disjunctive*; ut, *Homo est albus*. Idem dicatur in moralibus, *si prædicatum non conjungatur ut plurimum cum subjecto*; ut, *Homines sunt sancti et docti*. Hujusmodi propositiones enim hunc sensum faciunt : *Aliquis homo est albus*, *Aliqui homines sunt sancti et docti*.

Verum hæc quæ diximus, suppositionem distributivam et disjunctivam, non autem collectivam respiciunt; insuper, solum de suppositione subjecti dictum est, non autem de suppositione prædicati respectu subjecti. Quapropter, ne in tradendis regulis sim mancus, pro suppositione collectiva hæc unica regula præ oculis habeatur : *Subjectum propositionis supponit collective, si prædicatum aliquam multitudinem si-*

gnificet. Ex. c. *Patres Ecclesiæ sunt octo*, ly *Patres* collective supponit.

Pro suppositione autem prædicati respectu subjecti, hæ regulæ traduntur : 1ª *In propositionibus affirmativis prædicatum disjunctive supponit ; excipiuntur tamen propositiones identicæ, in quibus definitio prædicati est eadem cum definitione subjecti.* Ex. c. *Homo est animal, animal* hic pro aliqua specie animalitatis tantum supponit, non autem pro omnibus et singulis animantibus. Contra, *Homo est animal rationale; animal rationale* distributive hic supponit pro omnibus et singulis animantibus rationalibus.

2ª *In propositionibus negativis prædicatum supponit semper distributive, pro omnibus et singulis.* Ex. c. *Homo non est angelus* — ly *non est angelus* pro omnibus et singulis angelis supponit, nam si vel unus esset angelus qui esset homo, non esset verum dicere : *Homo non est Angelus.*

Et hæc de suppositione sufficiunt, cujus cognitio ad naturam, sensum, universalitatem vel particularitatem propositionum agnoscendam plurimum confert.

Appellatio, quæ et *nominatio* dicitur apud Grammaticos, *est applicatio illa specialis, secundum quam significatio formalis unius termini applicatur ad significationem formalem alterius.* Applicatio dicitur *specialis*; non enim quæcumque applicatio unius termini supra alterum constituit appellationem, alioquin ab enunciatione appellatio non differret ; sed illa quæ terminum cum alio connectit *sub aliqua præcisione et formalitate.* Ex. c. *Medicus sanat, Musicus canit* — *sanare* applicatur Medico sub præcisione formali, quia medicus, et *canere* Musico, quia musicus. Quocirca si prædicatum applicetur ad materiale tantum subjecti (1), est utique aliqua sim-

(1) Ut intelligatur quid sit applicare prædicatum ad materiale vel ad formale subjecti, nota : in quolibet termino concreto duo possunt spectari, subjectum nempe et forma; subjectum dicitur *habens formam*, forma vero dicitur id, *quo subjectum constituitur tale.* Ex. c. In hoc termino

plex applicatio seu prædicatio, ipsa tamen non est *appellativa*, non enim fit sub *aliqua formalitate et præcisione.*

Appellatio nominatur *realis*, si fiat secundum accidentia et formalitates reales; ut, *Thomas est magnus Theologus* : si vero fiat secundum formalitates rationis, *rationis* tunc nuncupatur; ut, *Homo est species.*

Quatuor regulæ appellationis ab antiquis traduntur, quarum duæ ad appellationem *realem*, duæ aliæ ad appellationem *rationis* pertinent. Regulæ appellationis realis sunt hujusmodi :

1ª *Si adjectivum ponatur ex parte prædicati, substantivum vero ex parte subjecti, appellatio tunc fit non ad id, quod formaliter*, h.e. *secundum suam formam, significatur a subjecto, sed ad suppositum ejus*; et proinde appellatio erit materialis; quæ proprie non est appellatio, sed quædam simplex applicatio significationis prædicati ad suppositum subjecti. Ex. c. *Album est dulce.* In hac propositione significatio formalis prædicati *dulce* applicatur ad subjectum album, non formaliter sub ratione albi, sed quia est suppositum habens cum albedine dulcedinem. — *Excipitur tamen casus, in quo prædicatum adjectivum applicatur formaliter subjecto determinato per particulam aliquam reduplicativam*; ut, *Hic homo*

concreto *homo*, subjectum dicitur id quod significatur ut *habens humanitatem*, forma vero est *ipsa humanitas.* Applicatur igitur prædicatum ad materiale subjecti, quando prædicatum enunciatur de subjecto, non ratione formæ, quæ per subjectum exprimitur, sed tantum quia est habens formam, quæ in prædicato significatur. Ex. c. in hac propositione : *Homo est albus*, applicatio fit ad materiale subjecti, applicatur enim esse album homini, non quatenus est homo, sed quatenus est suppositum quoddam, in quo præter rationem formalem humanitatis, reperitur quoque ratio formalis albedinis, quasi diceretur : *Habens humanitatem est habens albedinem.* — Si vero forma per prædicatum significata, cadat supra formale subjecti, tunc applicatio *formalis* dicitur; ut, *Pictor pingit*, pingere de pictore dicitur sub ratione formali pictoris.

(*Christus*), *qua Verbum Dei, est æternus*. Tunc enim subjectum non absolute sumitur, sed ex vi particulæ reduplicativæ appellatur ex parte prædicati ad terminum reduplicatum.

2ª *Si substantivum et adjectivum ponantur in propositione ex parte ejusdem extremi, tunc appellatio fit supra formale substantivi, dummodo tamen adjectivum non sit aliquid disparatum, cujus significatio nempe nequeat informare ac determinare significationem nominis substantivi*. Ex c. *Magnus Logicus argumentatur*, id quod hic formaliter significatur per *magnus*, applicatur supra id quod formaliter significatur per *logicus* — Item, *Aristoteles est subtilis Philosophus*, id quod formaliter significatur per *subtilis*, applicatur supra id quod formaliter significatur per *philosophus*. — At si quis diceret : *Paulus est opulentus medicus*, nulla esset hic appellatio adjectivi supra substantivum; *esse opulentum* enim est aliquid disparatum, quod non informat neque determinat *esse medicum*.

Duæ aliæ regulæ vero, quæ appellationem rationis spectant, sunt istæ : 1ª *Prædicatum rationis, quæ et secundæ intentionis dicitur, appellat supra significationem logicam subjecti*. Ex. c. *Animal est genus*; genus appellat supra significationem animalis, non prout substantiam sensitivam dicit, sed prout significat conceptum, qui secundum rationem genericam de pluribus prædicari potest specie diversis.

2ª *Terminus significans operationem interiorem, per quam anima cognoscit, appellat supra objectum, quatenus est terminus, in quem anima fertur sub propria ratione talis operationis*. Ex c. *Cognosco Deum*, hoc est : Cognosco Deum sub conceptu Dei. — *Cognosco triangulum*, i. e. sub conceptu trianguli.

Quæ de appellatione diximus alicui forte subtilia nimis videri possunt, et vere sunt subtilia; caveat tamen ipse ne illa contemnat; nam propter varietatem appellationum multa sophismata contingunt, a quibus vel ipsi docti, harum subtilitatum ignari, ludibriose capiuntur.

Ampliatio significat *extensionem termini a minori ad majorem suppositionem;* ut in hac propositione : *Omnis doctor fuit discipulus*, significatio termini antecedentis copulam temporis præteriti, extenditur etiam ad tempus præsens hoc modo : *Omnis qui fuit vel est doctor, fuit discipulus.*

Restrictio est *acceptio termini cum coarctatione a majori ad minorem suppositionem*; ut in propositione ista : *Nobilitas corporis generosus animus*, *nobilitas* quæ ad nobilitatem animi et corporis significandam adhibetur, hic ad nobilitatem corporis restringitur.

Distractio est *acceptio termini pro significandis iis, quæ fuerunt tempore diverso ab eo, quod consignificatur per copulam*; ut, *Mutus loquitur*, hoc est, *Qui erat mutus, loquitur.*

Alienatio est *acceptio termini qui a propria ad impropriam significationem transfertur*; ut, *Apostoli sunt sal terræ*, *sal* hic, prout de Apostolis prædicatur, a propria ad alienam significationem transfertur. — De proprietatibus propositionis ex parte terminorum, satis.

III. *De oppositione, æquipollentia, conversione, et subalternatione, quæ sunt proprietates totam propositionem sequentes, quatenus una propositio comparative ad aliam consideratur.*

Nunc de proprietatibus propositionis oportet dicere, quæ ex parte totius propositionis considerantur, quatenus una propositio comparatur ad aliam; sic enim vel una propositio opponitur alteri, vel æquivalet alteri, vel mutatur in alteram, vel subjicitur alteri. Hinc quatuor propositionis proprietates supra numeravimus : Oppositionem, æquipollentiam, conversionem, subalternationem. Et primo quidem de oppositione.

Oppositio alia est inter res, quæ et *realis* dicitur; alia inter propositiones, et *logica* nominatur. Hæc oppositio in ipsa oppositione rerum, quam uti objectum suum respicit, innititur. — De oppositione reali in præcedenti sectione (cap. XI) aliquid dictum est, hic modo de oppositione propositionum dicere oportet. Oppositio itaque universe accepta, definiri

potest cum Aristotele : *Affirmatio et negatio ejusdem de eodem.* — Ut propositiones vero opponantur inter se, duæ requiruntur conditiones : 1ª Propositiones oppositæ iisdem terminis constare debent, eodem nempe subjecto, eodem prædicato, ita ut utrinque eadem omnino sit eorum significatio, secundum eamdem ampliationem, restrictionem, appellationem, secundum idem omnino genus suppositionis. Etenim si in alterutra propositionum oppositarum vel minime mutaretur sensus terminorum, inter ipsas non posset esse vera oppositio. 2ª Una ex propositionibus oppositis debet esse affirmativa, altera vero negativa; siquidem oppositio est quædam pugna, secundum quam una propositio tollit quod altera ponit.

Propositionum oppositarum triplex est species; oppositio enim alia est *contradictoria*, alia *contraria*, alia *subcontraria*.

Oppositio contradictoria nuncupatur illa, *in qua quod una propositio affirmat, altera ita negat, ut inter ipsas nihil medii dari possit.* — Propositiones sic oppositæ repugnant inter se *in veritate et falsitate*; nam si una earum sit vera, necesse est alteram esse falsam; in ipsis enim idem affirmatur simul et negatur de eodem, ac nihil medii inter ipsas intercedere potest. — Regula ergo pro propositionibus contradictoriis retinenda, hæc est : *Propositiones contradictoriæ nec simul veræ nec simul falsæ possunt esse* (1), *sed si una earum sit vera, necesse est alteram esse falsam.* — Propositiones vero quæ ita opponuntur, vel sunt ambæ singulares; ut, *Petrus hora tertia orat*, *Petrus hora tertia non orat* ; vel una earum est universalis, altera vero particularis; ut, *Om-*

(1) Nequeunt esse *simul veræ*, quia tunc affirmatio et negatio simul esset de eodem secundum idem. Impossibile est autem idem simul esse et non esse. Nequeunt esse *simul falsæ*, nam si simul falsæ forent, deberet necessario dari inter ipsas aliquod medium, ob quod falsæ dicerentur : nullum autem datur tale medium, siquidem immediate inter se opponuntur.

nis vir bonus fruitur bona conscientia — Aliquis vir bonus non fruitur bona conscientia. Reliquæ autem propositiones nequeunt absolute inter se opponi immediate, secundum affirmationem et negationem.

Oppositio contraria appellatur illa, *in qua una propositio de toto subjecto universe asserit idipsum, quod altera de eodem universe negat.* Est igitur hæc oppositio inter duas propositiones universales, quarum una est affirmativa, altera negativa. Ex. c. *Omnis qui delectatur somno, est stultus — Omnis qui delectatur somno, non est stultus.*

Propositiones sic oppositæ inter se, nunquam possunt esse simul veræ, alioquin etiam propositiones contradictoriæ possent esse simul veræ (1); *Possunt autem in materia contingenti esse simul falsæ;* nam negatio et affirmatio ejusdem rei secundum idem in materia contingenti, si universaliter enuntietur, potest habere medium, nempe affirmationem vel negationem in particulari acceptam. Ex. c. *Omnis homo est justus — Omnis homo non est justus,* utraque propositio est falsa secundum quantitatem universalem, inter ipsas vero media potest esse propositio quantitatis determinatæ et particularis, ut, *Aliquis homo est justus,* vel, *Aliquis homo non est justus.*

(1) Ratio est, quia si duæ propositiones universales oppositæ, ambæ sint veræ, tunc et particulares quæ sub ipsis sunt, ambæ quoque sunt veræ. Quapropter universalis et particularis affirmativa est vera, ac rursus universalis et particularis negativa est vera; posset ergo esse simul vera de eodem secundum idem, tum affirmatio universalis, tum negatio particularis, aliis verbis, propositiones contradictoriæ possent esse simul veræ. Ponamus exemplum : *Omnis homo est mortalis,* vera — *Omnis homo non est mortalis,* ex suppositione vera; quocirca propositiones particulares sub ipsis contentæ : *Aliquis homo est mortalis, Aliquis homo non est mortalis,* etiam ambæ veræ. Et sic habemus propositiones contradictorias : *Omnis homo est mortalis — Aliquis homo non est mortalis,* simul veras.

Oppositio subcontraria dicitur illa, *in qua una propositio de subjecto aliquo particulari, indeterminate sumpto, idipsum asserit, quod altera de eodem negat*; ut, *Aliquis homo est doctus — Aliquis homo non est doctus.* — Hujusmodi non est oppositio *secundum veritatem*, sed *secundum externam dictionem tantum;* subjectum enim propositionum quæ sic opponuntur, non secundum idem sumitur, neque determinate, sed indeterminate pro aliquot formis vel rebus singularibus generi aut speciei subjectis; de ipso proinde merito Aristoteles docet : «Τὸ Alicui τῷ Alicui non (propositio nempe affirmativa et negativa particularis), secundum dictionem tantum opponitur (1).»

Regula pro propositionibus subcontrariis hæc est : *Nunquam possunt esse simul falsæ, bene tamen simul veræ.* Non possunt esse simul falsæ; quia tunc earum contradictoriæ, quæ sunt duæ contrariæ, forent simul veræ. Ponamus exemplum : Si falsa sit hæc propositio : *Aliquis homo est justus*; ergo vera est ejus contradictoria : *Nullus homo est justus*; iterum si falsa sit : *Aliquis homo non est justus*; ergo vera ejus contradictoria : *Omnis homo est justus*, haberentur proinde duæ propositiones contrariæ : *Omnis homo est justus. — Nullus homo est justus*, simul veræ, quod, ut ostendimus, fieri nequit. — De oppositione quidem non est necessarium plura dicere (2).

(1) Analytic. lib. II, c. 15 — edit. Didot, vol. I, pag. 107.

(2) Nolo hic omittere quæstionem quæ inter logicos solet agitari : *Num scilicet major sit oppositio contraria, an contradictoria.* Ex recentioribus Trendelenburgius arbitratur, oppositionem contrariam majorem esse oppositione contradictoria; oppositio enim contraria est inter duas propositiones universales, quarum una est affirmativa, altera negativa. Jam vero «nihil sane, inquit, longius inter se distare potest, quam omnes et nulli.» Unde hujusmodi «enunciationes, subdit, ἐκ διαμέτρου ἀντικεῖσθαι (*e diametro opponi*) dicuntur, quum quod longissime distant, (est enim diametros sive, ut Plinius loquitur, linea dimetiens, ea recta,

Æquipollentia, quæ et *pariatio* dicitur, est altera propositionis affectio, per quam duæ propositiones oppositæ in eamdem significationem reducuntur.

Fit autem hæc reductio per particulam *non*, cujus ea est vis, ut sensum dictionis cui præfigitur, in oppositum mutet. Nam si vocula ista *non* subjectum propositionis universalis affirmativæ afficiat, eam particularem negativam efficit; ut si propositioni huic universali : *Omnis nequitia ipsa est sui*

quæ figuram qua longissime patet ex æquo secat, ut in orbe per centrum a summo ad summum tendatur circulum, et in parallelogrammo linea diagonalis ab angulo in angulum ducatur. — Elementa Logices Aristoteleæ inter adnotata, § 10-13. » — Trendelenburgium sequitur Cajetanus Sanseverino, Philosophia Christ. Logicæ pars 1a, vol. II, cap. II, art. XI, pag. 734. Nos autem cum schola oppositionem contradictoriam profitemur esse maximam. « Oppositio contradictionis, ait S. Thomas, *prima est et major inter alias*, cujus rationem assignat Philos. in lib. poster., dicens quod contradictio est oppositio, cujus secundum se non est medium. Medium enim ostendit distantium convenientiam, et ideo minuit rationem oppositionis. Cum igitur in omnibus aliis oppositionibus sit invenire medium, ideo omnes diminuunt de ratione oppositionis contradictoriæ. » Opus. 37. De quatuor oppositis, cap. I. — Et vere quidem, nam etsi oppositio contraria, *si amplitudo affirmationis et negationis* spectetur, sit amplior ac magis extensa, quam oppositio contradictoria, propositiones namque contrariæ ambæ sunt universales, una universaliter affirmans, quod altera universaliter negat; nihilominus in *ratione oppositionis*, major est oppositio contradictoria, quia affirmatio et negatio ejus est *magis integra*, *magis absoluta*, *omnem convenientiam destruens*; quod non contingit in oppositione contraria, quæ medium admittit. Quamobrem concedo propositiones contrarias extensive *ex diametro opponi*, ut loquitur Aristoteles, si amplitudo affirmationis et negationis spectetur; non tamen concedo eas ex diametro opponi intensive, si proprie spectetur id quod formaliter auget rationem oppositionis; sic enim, *intensive* nempe, propositiones contradictoriæ e *diametro*, hoc est, longissime ac maxime distare et opponi merito dicuntur.

pœna, præfigatur particula negativa, habetur : *Non omnis nequitia ipsa est sui pœna*, quæ particulari negativæ æquivalet : *Aliqua nequitia non est sui pœna.*

Si vero particula negativa copulam propositionis universalis affirmativæ afficiat, tunc affirmationem, non autem universalitatem ejus destruit; ut si præfigatur copulæ hujus propositionis : *Omnis animus æger est turpe spectaculum*, ipsa fit negativa, retinendo tamen suam universalitatem; ut, *Omnis animus æger non est turpe spectaculum.*

Item, si particula negativa afficiat copulam propositionis negativæ universalis, efficit eam affirmativam, quin ejus universalitatem destruat; ut, *Nulla mala conscientia est secura, Nulla mala conscientia non est secura*, quæ æquivalet *Omnis mala conscientia est secura.* —

Rursus, si particula negativa proponatur subjecto propositionis affirmativæ particularis, propositio tunc efficitur universalis; ut, *Aliquod animal est sensitivum*, fit universalis, si dicatur : *Non aliquod animal non est sensitivum.*

Denique, particula negativa, si afficiat subjectum propositionis particularis negativæ, propositionem universalem affirmativam efficit; ut, *Aliquis homo non est virtuosus*, fit universalis affirmativa, *Non aliquis homo non est virtuosus.*

Quæ omnia si rite intelligantur, facile est regulas æquipollentiæ inferre, quæ hoc versiculo continentur :

Præ contradic, post contra, præque postque subalter.

Præ contradic, hoc est : Pro obtinenda æquipollentia in propositionibus contradictoriis, negatio præponenda est subjecto. — *Post contra*, hoc est : In contrariis vero negatio afficere debet copulam. — *Præque postque subalter*, hoc est : In subalternis pro æquipollentia obtinenda negatio poni debet tum ante subjectum propositionis, tum ante copulam. — De subcontrariis vero nihil dicitur, in ipsis enim non datur æquipollentia, quemadmodum ex dictis comperiri po-

test. — Et hæc de æquipollentia, cujus usus inservit ad declarandas propositiones paulo obscuriores (1).

Conversio est quædam inversio propositionis, in qua, retenta veritate propositionis, prædicatum in locum subjecti, et subjectum in locum prædicati transfertur. Ex. c. *Maxima egestas est avaritia*, quæ sic convertitur : *Avaritia est maxima egestas.*

Propositiones convertendæ, sunt quadruplicis generis : Universalis affirmativa, quæ solet designari per litteram *A*; universalis negativa, quæ per litteram *E*; particularis affirmativa, quæ per litteram *I* ; particularis denique negativa, quæ per litteram *O* :

Asserit A, *negat* E, *verum generaliter ambo.*
Asserit I, *negat* O, *sed particulariter ambo.*

Hæ vero propositiones tribus modis inverti possunt : 1° Transferendo prædicatum in subjectum, earum quantitate servata, *universalitate* nempe, si sint universales, et *particularitate*, si particulares. Hæc conversio *simplex* in schola nuncupatur, eaque locum habet in iis propositionibus duntaxat, quarum subjectum et prædicatum æque late patent. 2° Transferendo prædicatum in subjectum, mutata quantitate ex universali in particularem. Hæc conversio *per accidens* dicitur; eaque fit quando prædicatum propositionis universalis latius patet, quam subjectum; ut, *Omne animal est vivens*, convertitur : *Aliquod vivens est animal.*

3° Transferendo prædicatum in subjectum, ac mutando

(1) Plerumque propositiones æquipollentes connectuntur inter se sub forma ratiocinii ; ut, *Necesse est omnem hominem justum esse in gratia Dei — Ergo non potest fieri aliquem esse justum sine gratia Dei.* Non est tamen verum ratiocinium istud, sed nominale tantum, hoc est, penes expressionem; cum enim utraque propositio idem omnino significet, nullus proinde potest esse ibi transitus a principio ad conclusionem.

terminos finitos in infinitos, in terminos nempe vocula negativa affectos ; ut, *Omnis homo est animal*, convertitur : *Omne non animal est non homo*. Hæc conversio per *contrapositionem* vocatur, cujus usus fere est nullus.

Propositiones, quæ convertuntur *simpliciter*, sunt universales negativæ (1), et particulares affirmativæ ; per *accidens*, sunt universales affirmativæ et negativæ; per *contrapositionem*, universales affirmativæ et particulares negativæ. Hæc, ut facilius retineantur, his duobus versiculis expressa leguntur :

> Simpliciter fEcI, convertitur EvA per accid(*ens*)
> AstO per contrap(*ositionem*). Sic fit conversio tota.

Recole, litteras A, E, I, O, diversam quantitatem propositionum designare.

Subalternatio, quæ est ultima affectio propositionis, est illa habitudo existens inter duas propositiones affirmativas, vel negativas, quarum una, quæ est particularis et inferior, subjicitur et subjungitur alteri, quæ est universalis et superior; ut, *Omnis innocentia est vera felicitas*, *Aliqua innocentia est vera felicitas*. — Inter membra oppositionis aliqui recensent subalternationem, non recte tamen; habitudo enim propositionum, quæ subalternatione afficiuntur, non est secundum affirmationem et negationem. — Hactenus de proprietatibus propositionis.

(1) Universalis affirmativa quoque, dummodo sit *identica*, in qua nempe eadem sit potestas prædicati et subjecti, converti potest *simpliciter*.

CAPUT IV.

DE REGULIS RECTE JUDICANDI.

I. *Breviter recensentur ea, de quibus regulæ recte judicandi debeant esse.*

Manca et imperfecta, quæ de judicio diximus, forent, si aliquid de modo recte judicandi non diceretur; parum enim prodesset scire naturam judicii, proprietates ac divisiones ejus, nisi etiam regulæ quibus ipsum dirigitur, quod quidem res potioris momenti esse debet, noscerentur. Quamobrem propositum est nobis tradere in hoc capite, omni contentione remota, breves ac dilucidas regulas, quas mens si fideliter servet, recte de rebus judicare poterit.

Hæ autem regulæ circa quatuor, quæ in judicio spectari possunt, versantur : 1° Circa manifestationem habitudinis identitatis vel diversitatis, quam duæ illæ notiones, subjectum scilicet et prædicatum, habent inter se. — 2° Circa adæquationem illam, secundum quam intellectus affirmando, identitatem vel diversitatem idearum reipsa talem esse, qualis per propriam operationem repræsentatur, objecto se adæquat. — 3° Circa assensum intellectus, per quem judidicando adhæret rei cognitæ, ac in ipsa quiescit. — 4° Circa expressionem sensibilem judicii, quæ voce profertur. — De his omnibus brevis quidem ac dilucida, sed accurata debet esse tractatio.

II. *Manifestatio judicii clara, distincta, integra debet esse, pro qua unica regula traditur, nempe terminos, ex quibus constituitur judicium, recte percipere.*

Manifestatio illa immediata habitudinis identitatis vel di-

versitatis terminorum, quæ per judicium *intuitivum* efficitur, debet esse *clara*, talis scilicet, ut judicium vere unitate sua ideali gaudeat, ita ut per ipsam facile ac sine labore in propria sua nota recognosci queat, et ab aliis secerni. — Debet esse *distincta*, hoc est, ut in manifestatione judicii, quidquid in ipso actualiter continetur, cognoscatur; aliis verbis, ut vis ac potestas terminorum, eorumque conjunctio vel disjunctio in aperto sit posita. — Debet esse *integra*, hoc est, si judicium sit universale, illudque rationem principii habeat, in tota sua virtuali amplitudine cognoscatur oportet. — Pro his autem sequens servetur regula :

Ut habitudo subjecti et prædicati clare, distincte, integre manifestetur, clare prius, distincte, integre, termini, ex quibus constituitur judicium, percipiantur. Notionibus enim prius rite perceptis, facile erit postea per simplicem comparationem in earum habitudinem penetrare. — Quid autem pro debita perceptione terminorum requiratur, ut supra traditum est, *est animi attentio.*

III. *Adæquatio, secundum quam intellectus judicando se exæquat objecto, vera debet esse : diversa criteria seu normæ veri et falsi declarantur.*

Adæquatio vero illa, secundum quam intellectus judicando se exæquat objecto, debet esse *vera*, hoc est, identitas vel diversitas notionum quæ repræsentatur per judicium, reipsa talis debet esse, qualis ab intellectu asseritur. Ex eo enim quod intellectus judicando asserit rem esse talem, qualis revera est, vel non esse talem, qualis revera non est, intellectus dicitur verus; ex eo vero quod judicando asserit rem esse talem, qualis reipsa non est, vel non esse talem, qualis reipsa est, dicitur falsus. Hinc judicium verum *est quædam adæquatio intellectus et rei*; falsum autem *est quædam dissidentia intellectus et rei.* Haud namque putandum est intellectum judicando lusum agere, quasi pro suo arbitrio unire posset notiones vel dirimere; sed debet ipse conformis esse rei de

qua judicat, id interius manifestando, quod res est in seipsa; uniendo proinde quæ sunt secundum naturam conjuncta, dirimendo autem quæ disjuncta. Etenim indoles cognitionis creatæ in quodam consensu consistit rei et intellectus, secundum quem idipsum, quod reperitur a parte rei, idealiter repræsentatur in mente.

Verum quænam est *nota* seu *norma*, vel, ut vulgo dicitur, *criterium* (1) dignoscendi, num judicium reipsa sit conformis rei quæ cognoscitur?

Respondeo : *Est lux seu sensus quidam intellectualis, secundum quem intellectus primo judicat, instrumenta, per quæ res attinguntur, modo debito fuisse adhibita.* Etenim intellectus non judicaret recte, si prius instrumenta, per quæ res aspectui suo objiciuntur, rite fuisse adhibita non cognosceret. Hoc autem nequit intellectus percipere nisi per lucem seu sensum quemdam intellectualem; cujus usus plerumque naturalis est et expeditus, quandoque vero majorem requirit sollertiam.

Regula igitur prima dignoscendi, num judicium vere sit conformis rei, de qua judicat, hæc est : *Discretio quædam intellectualis, secundum quam intellectus discernit, instrumenta, per quæ res attinguntur, modo debito fuisse adhibita.*

At rursus, quonam modo intellectus pertingit ad illam discretionem, secundum quam primo judicat, instrumenta cognitionis rite fuisse adhibita?

Respondeo : Duobus modis intellectus sibi format illam discretionem. Uno modo, *quia animus, si sincerus sit ac can-*

(1) Quod græce κριτήριον dicitur, latine vis seu *facultas judicandi*, vel etiam *instrumentum judicandi*, *regula*, *norma*, *nota veri et falsi*. Hinc duplex criterium solet in philosophia distingui, *per quod*, et est ipsa facultas judicandi; et *secundum quod*, et est ipsa regula, norma, nota veri et falsi; quæ aliis verbis non est aliud quicquam, quam *lux illa interior secundum quam res manifestatur*, ac in veritate judicatur talis esse, vel non esse talis.

didus, tranquille quiescit in relatis per instrumenta cognitionis, ita, ut cruciaretur ipse, si non acquiesceret. — Hæc quidem regula etsi non semper sit tuta, minime tamen est contemnenda; natura enim intellectus, qui ad verum universale manifestandum est natus, cum quo proinde affinitatem et naturalem quamdam cognationem habet, possidet in se anticipatum quemdam sensum veri, secundum quem de relatis per instrumenta cognitionis, aliquo modo per se judicare potest.

Alio modo, *quia expendit, num media illa cognitionis fuerint adhibita secundum eam proportionem ac naturalem coaptationem, quam ipsa habent cum rebus.* Facultates namque, quæ sunt media cognitionis, sunt quædam determinatæ virtutes, ex propria natura habentes facilitatem (1) expromptam rerum referendarum, quales reipsa sunt. Ergo si intellectus noverit, eas pro vero capessendo fuisse adhibitas secundum eam proportionem ac naturalem coaptationem, quam habent cum rebus, jure merito tunc intellectus format sibi illam discretionem, secundum quam primo judicat, instrumenta cognitionis, seu facultates rite fuisse adhibitas.

Iterum, quænam est norma pro certo discernendo, num instrumenta cognitionis fuerint secundum proportionem ac naturalem coaptationem quam habent cum rebus, adhibita?

Respondeo : Cum non una sit hæc norma, sed diversa debeat esse pro diversitate instrumentorum intellectus, immediate de rebus judicantis; idcirco oportet prius proponere diversa hæc instrumenta, deinde uniuscujusque normam, de qua hic quæritur, definire.

Instrumenta itaque seu media, quibus utitur intellectus,

(1) « *Facultas* dicta, inquit Vico, quasi *faculitas* : unde postea *facilitas* : quasi sit expedita, seu exprompta faciendi solertia. Igitur ea est facilitas, qua virtus in actum deducitur. » — *De Antiquissima Italorum sapientia*, cap. VII.

cum de re aliqua immediate judicat, sunt quatuor : *Lux intellectiva. sensus internus, sensus externi, fides.* — *Lux intellectiva* per se refert, ut in primo libro dictum est, quidquid in abstracto concipitur, a repugnantia liberum, necessarium, immobile, æternum; quemadmodum sunt omnes ideæ universales, et omnia ea, quæ enunciantur per propositiones, quarum veritas ex sola definitione terminorum statim, per se, immediate apparet. — *Sensus internus* refert facta interna quæ in animo fiunt; nullum enim judicium posset intellectus de iis ferre, quæ ab animo efficiuntur, vel in ipso recipiuntur, si a sensu quodam intimo, quem quisque in se experitur, non commoneretur. — *Sensus externi* referunt *phænomena*, facta nempe quædam quæ in natura sensibili externa fiunt; nullum enim judicium de colore, de sonu, de odore, de sapore, de frigore, de quantitate, de motu, de figura rerum externarum ferre posset intellectus, si tanquam nuntiis, sensibus non uteretur. — Demum, *fides*, suscipiendo quæ ab aliis dicuntur, eorumque lumine utendo, refert quæ propria virtute animus non didicit; nullum enim judicium de factis contingentibus, loco vel tempore dissitis, ferre posset intellectus, nisi aliorum testimonio per fidem uteretur. Item, remota fide, multarum rerum cognitione, quæ per rationem quæri possunt, rudes ac imperiti destituerentur; ac ipsi docti, si humanæ divinæque auctoritati non acquiescerent, parum sane in veritate proficerent.

His declaratis, quæritur primo : Quænam est norma discernendi, num *lux intellectiva* fuerit secundum proportionem ac naturalem coaptationem, quam habet cum rebus, adhibita ? Respondeo : *Est evidentia ipsius lucis intellectualis, seu lucida illa manifestatio, secundum quam, per solam considerationem ac declarationem prædicati et subjecti, utriusque essentialis unio vel repugnantia immediate et statim affulget.* — Res enim quæ ita manifestatur, necessario concipitur ut aliquid, quod reipsa est sicut concipitur esse, et quod aliter nequeat

esse (1); cum iis, quæ sic apparent, habet intellectus determinatam, necessariam, indeficientem, infallibilem proportionem atque coaptationem, quæ tanta ac talis est, ut contrarium nullo modo possit ab ipso repræsentari, quæque vel invitos in assensum trahat (2). Quis enim dubitare potest de veritate primorum principiorum ; *Quod est est — Quod non est non est* — vel, *Totum est majus sua parte*, etc. ? Quis potest assensum cohibere, ne ab eorum comprehendatur evidentia? Quotiescumque ergo res ab intellectu sic manifestantur, certo colligi potest, lucem intellectivam secundum proportionem ac naturalem coaptationem quam habet cum rebus, fuisse adhibitam, eamque proinde manifestare rei veritatem.

Quæritur secundo : Quænam est norma discernendi, num *sensus internus* fuerit secundum proportionem ac naturalem coaptationem, quam habet cum rebus, adhibitus?

Respondeo : Sensus internus potest referre seipsum intellectui, quatenus est actualis ac viva quædam affectio animi ; etenim propria cogitatio, gaudium, dolor, tristitia, cæteræque animi affectiones, sunt actuales ac vivæ quædam determinationes ipsius, quæ per se immediate se referunt intellectui.

(1) Hujusmodi sunt omnia axiomata et principia, omnes propositiones, quæ a schola *per se* vel *ex terminis notæ*, ab aliis *analyticæ* dicuntur. « Proprium est horum principiorum, inquit D. Thomas, quod non solum necesse est ea per se vera esse, sed etiam necesse est videri quod sint per se vera. Nullus enim potest per se opinari contraria eorum... adeo *enim* vera sunt, quod eorum opposita intellectu capi non possunt, et ideo in interiori ratione eis obviari non potest, sed solum exteriori, quæ est per vocem. » — Posterior. Analytic. lib. I, lect. XIX[a].

(2) Sceptici hanc lucem naturæ, quæ intus lucet, nolunt videre, ejusque vocem, quæ intus sonat, et cui resisti nequit, nolunt audire. Quid cum hominibus voluntarie amentibus, qui omni sensu cognitionis se destitutos fingunt, agi potest? Sed de his in tertio libro dicetur; non enim est hic locus de hac re disceptando tractare.

— Potest insuper sensus intimus mediate referre alia a se; dum enim renuntiat interiores operationes animi, quæ circa exteriora versantur, mediantibus illis objecta quoque harum operationum renuntiat.

Proprium autem objectum sensus intimi sunt vivæ illæ interiores affectiones, quæ animum diversimode afficiunt, quæque per se immediate se referunt intellectui; non autem res illæ externæ, quæ non per se, sed mediantibus operationibus, a sensu intimo renuntiantur.

Loquendo igitur de norma sensus intimi, prout circa proprium objectum versatur, norma discernendi, num ipse fuerit secundum proportionem ac naturalem coaptationem, quam habet cum proprio objecto, adhibitus, *est testimonium ipsius, prout clare et aperte de seipso testatur*. Nam cum sensus intimus, ut dictum est, in re sumptus, sit eadem illa viva affectio animi, quæ per se immediate sentitur, liquet, ipsum non posse aliter se repræsentare ab eo quod est; ipsumque proinde habere necessariam coaptationem, immo identitatem cum proprio objecto.

Quod si per sensum intimum quandoque plura falsa proferri dicantur; hoc non ex defectu ejus contingit, sed ex eo quod permiscetur objectum proprium et immediatum sensus intimi, cum objecto improprio et mediato. Ex. c. Sensus intimus testatur alicui, in somno vel in amentia, de vocibus dulciter canentibus : si sensus intimus rite adhibeatur, quatenus scilicet testatur, esse in animo quasdam affectiones, quæ ipsum illum sensum vocum suaviter canentium constituunt, non decipit; vere enim sunt in animo tales affectiones. At si sensus intimus adhibeatur pro ipsa realitate illarum vocum asserenda, tunc est deceptio; non quidem a sensu intimo, sed a permixtione illa, quæ ab animo parum attento efficitur, per quam tribuitur sensui intimo, id de quo renuntiare atque testari ad auditum proprie pertinet. — Contineatur ergo sensus intimus infra ambitum proprii objecti, ut scilicet solum de iis, quæ in animo accidunt, quæque ut

propriæ affectiones præsentantur ei, ipse testetur; et tunc, quia aliquid vivum est, intime præsens, idem secundum rem cum eo quod manifestat, nemo unquam ab ipso defraudari poterit.

Quæritur tertio : Norma discernendi, num sensus externi fuerint adhibiti secundum naturalem proportionem, quam habent cum rebus, quænam est?

Respondeo : Lux intellectiva omnes ideas universales rerum, ac omnia prima judicia mentis, *per se nota*, ut dictum est, infallibiliter manifestat; habet enim ipsa cum manifestatione ipsorum determinatam, necessariam, essentialem connexionem. Item, sensus intimus facta, quæ accidunt in animo percipiente illa ut sua, infallibiliter manifestat; non enim sensus intimus est aliquid distinctum ab eo quod manifestat.

Verum, non idem dici potest de sensibus externis, siquidem non habent ipsi infallibilem connexionem cum manifestatione phænomenorum, quæ in natura corporali externa efficiuntur. Possunt namque sensus externi aliquem defectum pati, et ita corrumpi; atque a coaptatione, quam habent cum phænomenis naturæ corporalis, desciscere. — Defectus autem iste potest provenire, vel ex parte organi, quo tanquam instrumento utuntur facultates sensitivæ; vel ex parte medii, per quod impressio objectorum externorum in organum sensationis transmittitur; vel ex parte objecti, sive quia non est objectum proprium unius sensus particularis, sed aliis commune, sive quia, si sit proprium, non est in requisita distantia collocatum. Hinc, ut experimur, ictericis omnia esse flava videntur; febricitantibus omnia amara; virga aquæ immersa et oblique aspecta, ut fracta renuntiatur a visu; iis qui e portu navigant, omnia quæ in terra sunt, moveri apparent. Quocirca, norma discernendi, num sensus externi secundum nativam proportionem atque coaptationem cum rebus, fuerint adhibiti, talis debet esse, ut ex ipsa dignosci possit, omnes hujusmodi occasiones et causas errandi ab ipsis fuisse remotas.

Quænam ergo est norma ista? Non una est norma. 1a *Quia sensus sani sunt, et rem non ad momentum, sed constanter eamdem exhibent.* 2a *Quia unus sensus de eadem re testatur ac alius sensus; utputa, si oculi de turri quadrata testantur, de qua et tactus.* 3a *Quia de una eademque re sensus idem nobis testantur, quod reliquis hominibus, corpore et mente sanis.* 4a *Demum, quia intellectus, qui totius humanæ cognitionis est veluti judex, si quæ falsa a sensibus fuerint apprehensa, per sua principia corrigit.* Ex. c. Cur non credimus visui, cum nobis lunam pedalem ostendit? Quia per intellectum scimus lunam remotissimam esse a nobis, et omne corpus, quo magis est distans, eo apparere minus. Et hæc de criterio sensuum externorum sufficiunt.

Quæritur quarto : Quænam est norma discernendi, num fides ita adhibeatur, ut nonnisi verum renuntiet intellectui?

Respondeo : *Est discretio illa, secundum quam testimonium, cui credimus, rationabiliter cognoscitur fide esse dignum.* Etenim cognoscere testimonium aliquod esse fide dignum, nihil est aliud, quam cognoscere, testem rem repugnantem non enarrare; potuisse eam cognoscere, ac reipsa cognovisse; demum in enarrando non esse mendacem. Porro manifestum est, quod, qui tali testimonio consentit ejusque lumine utitur, non erret, sed eamdem veritatem possideat, quam ille, cujus testimonio utitur. — Hæc de notis veri et falsi pro judiciis discernendis, sufficiunt; nam de ipsis iterum in tertio libro, contra Scepticos aliosque impugnatores humanæ cognitionis, postea dicetur.

IV. *De regulis recte assentiendi.*

Mens, re prius cognita, adhæret ei, et ab ipsius manifestatione, vera vel falsa, quodammodo comprehensa, in ea quiescit. Adhæsio ista nominatur assensus, quem supra (p. 70) definivimus : *Est operatio mentis, quæ adhæret rei cognitæ, eamque approbat.*

Assensus intellectus, quotiescumque ab amore proprii sensus, a malignitate, ab imaginatione, ab utilitate, a voluptate, a studio partis, a nimia festinatione, non autem ab aliquo rationali motivo oritur, est vitiosus.

Assensus intellectus, quotiescumque cohibetur, cum præberi deberet; vel præbetur, quando deberet suspendi; vel etiam inconstans ac debilis est, firmitati motivi non respondens; vel contra, constans et firmus, imbecillitatem motivi excedens, est vitiosus.

Ut intellectus in assentiendo sit rectus, requiritur : 1° *Quod ab aliquo motivo rationali duntaxat moveatur*; turpis enim res est, in iis quæ ad intellectum pertinent, ab aliquo alio duci, præter intellectum. — 2° *Quod, si nulla apparet ratio assentiendi, assensus debeat cohiberi.* «Quid est enim temeritate turpius? aut quid tam temerarium, tamque indignum sapientis gravitate atque constantia, quam aut falsum sentire, aut, quod non satis explorate perceptum sit et cognitum, sine ulla dubitatione defendere (1)?» — 3° *Quod, si aliqua ratio assentiendi apparet, debeat assensio fieri.* Siquidem animalis hominis est a veritate non capi. — 4° *Quod firmitas vel debilitas assensus, respondere debeat firmitati vel debilitati motivi.* Sicut namque in natura, quo causa fortior vel debilior fuerit in agendo, eo fortior vel debilior erit effectus; ita quoque de assensu intellectus, quo fortius vel debilius fuerit motivum, eo firmior vel remissior, si perversitate naturæ non impediatur, esse debet assensus.

Verum occurrit hic cogitationi : Quonam modo dijudicari poterit firmitas vel debilitas motivi assentiendi?

Respondeo : Intellectus eadem illa luce, per quam ad verum discernendum illustratur, ad assentiendum movetur; non enim assensus, qui est ipsa illa approbatio interior, quæ in quolibet judicio continetur, est aliquid a judicio distinctum.

(1) Tullius, de natura Deorum, Lib. I, c. I.

Per eadem criteria ergo, et quoad judicium et quoad assensum, intellectus dirigitur. Et hoc quidem experientia confirmat; nam si ab aliquo quæratur : Cur ipse assentiat huic propositioni : *Effectus præsupponit causam*, respondebit sane : *Quia video in ratione essentiali effectus, contineri dependentiam ejus a causa.* Visus ergo intellectus, seu, quod idem significat, lux intellectiva, quatenus immediate ostendit identitatem vel repugnantiam essentialem prædicati et subjecti, est criterium veri et simul motivum assensus. Idem discurrendo dicatur de aliis criteriis.

Prima igitur motiva, quibus mens ad assentiendum movetur, sunt quatuor, sicut et prima criteria. Quocirca, ut firmitas vel debilitas motivi assentiendi dijudicari possit, attendendum est quænam sit vis exercita circa assensum, a luce intellectiva, a sensu intimo, a sensibus externis, a fide. Pro quo regulæ quæ sequuntur, habeantur : 1ª *Si mens ab evidentia identitatis vel repugnantiæ essentialis prædicati et subjecti, immediate ad assentiendum movetur, tunc simplex et absolutus debet esse assensus, sine conditione; stabilis ac firmus, sine dubitatione; sese extendens ad omnem locum et omne tempus, excludens omnem errandi possibilitatem.* Hujusmodi enim assensus ejus judicii est proprius, quod cum evidentia judicat, rem nunquam et nuspiam aliter posse esse, nisi ut videtur : quod versatur circa objectum universale, necessarium, æternum, semper idem ac immobile manens; de ipso proinde debet esse certitudo omnimoda et absoluta, ab omni mutationis conditione abstracta (1).

(1) De evidentia et certitudine aliquid hic oportet dicere; et primo quidem de evidentia. — Evidentia *est manifestatio illa interior rei, quæ est in animo, clara et aperta.* — Dividitur in evidentiam *subjectivam et objectivam, immediatam et mediatam, in metaphysicam, psychologicam, physicam, moralem.* — Evidentia dicitur *subjectiva* ratione manifestationis quæ est in animo ac animum informat; *objectiva* ratione rei manifestatæ. Ex. c. *Bis duo sunt quatuor*, est propositio evidens; in ipsa

2a *Si mens a sensu intimo, respiciente objectum proprium clare et aperte manifestatum, ad assentiendum movetur, tunc assensus ejus simplex debet esse, firmus, stabilis, omnem formidinem possibilitatis errandi excludens; non tamen se extendens ad omne tempus et ad omnem locum, sed ad factum singulare tantum et contingens, prout hic et nunc est.* — Ratio prioris partis hujus regulæ est, quia sensus intimus est ipsa illa affectio quæ sentitur, sensus doloris est ipse dolor, et sensus gaudii ipsum gaudium, et cogitationis ipsa cogitatio, etc. Atqui non potest fieri, ut supra dictum est, quod res ipsa, se per se immediate repræsentans, aliter repræsentetur ab eo quod est. Nulla ergo possibilitas errandi est in sensu intimo.

habitudo identitatis *quatuor cum bis duo*, est objectiva : manifestatio vero hujus identitatis, quæ intus in intellectu efficitur, est subjectiva. — Evidentia dicitur *immediata*, si veritas ~~propositionis ex sola definitione terminorum~~, sine illatione, immediate apparet; *mediata* vero vel *illata*, si ex evidenti illatione ab aliquo principio. — Evidentia dicitur *metaphysica*, si immediate oritur per se a luce intellectiva, ex solo visu identitatis vel repugnantiæ prædicati et subjecti; potest dici *psychologica*, si oritur a testimonio sensus intimi; dicitur *physica*, si a testimonio sensuum externorum; *moralis* denique, si ab auctoritate testis, cui credendo adhæremus. — Certitudo dicitur *firma ac stabilis adhæsio mentis circa aliquod objectum*, ab animo expellens omnem oppositi formidinem. — Dividitur in *immediatam* et *mediatam*, *in metaphysicam seu absolutam*, *psychologicam*, *physicam*, *moralem*. — *Immediata* dicitur, si mens adhæreat objecto ex immediata evidentia ipsius; *mediata*, si per illationem ex evidentia principii; ac ita cæteræ divisiones sumuntur ex parte motivi, ut patet.— *Certum*, apud Latinos, duo significat, *id quod est explorate perceptum ac cognitum, omni formidine oppositi remota*, et *peculiare*, scilicet quod est sub communi. Hæc posterior significatio priorem confirmat et explicat; id enim certo cognoscitur quod modo determinato in propria specie cognoscitur ; cum econtra, cognitiones in universali, confusæ sint ac incertæ. Experimur enim, barbaros ac rudes, quorum mens bene perspectis ac certis cognitionibus non est informata , discurrendo uti solere vocibus generalibus, quæ res in communi ac quasi de longinquo exprimunt.

Assensus igitur mentis ab evidentia ipsius proveniens, firmus debet esse ac stabilis, sine ulla formidine oppositi. Ex quo fit, nullum de propria cogitatione vel dubitatione unquam posse dubitare; ac homines, cum de re ad sensum intimum pertinente loquuntur, absolute negare vel affirmare solere; non autem dicere : *Videor mihi nunc cogitare, velle, irasci,* etc.

Testimonium sensus interni est quid tam profunde, tam primum nobis adhærescens, ut sit prima conditio, sine qua nec ipsa quidem prima elementa cognitionis cognosci possent. Et vere quidem, nam cognitio est conditio sine qua non potest quicquam cognosci; non potest autem esse cognitio sine sensu intimo, est enim ipsa cognitio quidam animi sensus. Ergo sensus intimus, sicut et cognitio, est conditio, sine qua nihil cognosci potest. Quamobrem, qui de sensu intimo dubitaret, de tota cognitione dubitare cogeretur, et qui penitus illum respueret, totam cognitionem inde respuere cogeretur, hoc unum relinquens sibi, more plantarum, vegetare.

Alia pars vero probatur, quia sensus intimus est de facto interno animæ, quod est aliquid contingens et singulare.

Quapropter judicia, quæ ab ipso habent ortum, sunt contingentia et singularia, quorum nempe prædicatum ad essentiam subjecti non pertinet, et ipsum subjectum est aliquid singulare.

3ª *Mens a sensibus externis, ad assensum mota,* 1° *Si de ipsis certo constet esse rite dispositos, assensus tunc debet esse firmus ac stabilis, sine dubitatione;* exercentur enim sic sensus secundum illam naturalem coaptationem, quam habent cum phænomenis rerum corporalium. Hinc omnes homines, ipso impulsu naturæ coacti, testimonium sensuum recipiunt, quo remoto nec de existentia naturæ corporeæ, nec de ejus phænomenis aliquid cognosci posset, nec humana societas ullo modo stare posset.

2° *Si vero mens a sensibus externis, de quorum debita dispositione cæterisque conditionibus certo non constat, ad assentiendum movetur, tunc assensum suum vel cohibere debet;*

vel, si aliqua sit probabilitas, sub conditione, cum formidine oppositi præbere.

Advertendum est autem hic, testimonium sensuum externorum manifestationem factorum in natura corporali, prout certo loco et tempore existunt, non excedere (1). Quæcumque ergo judicia originem habent a sensibus externis, sunt contingentia, eorumque objectum, quippe quod factum singulare et sensibile, certo tempore et loco circumscribitur.

4a *Si mens ad assentiendum movetur a testimonio fide digno, ac testimonium sit divinum, tunc assensus absolutus esse debet* (2); non enim potest esse criterium aliquod tutius

(1) Hoc recentiores materialistæ advertere deberent, qui *nomine observationis ac experientiæ sensuum externorum*, existentiam Dei, spiritualitatem, immortalitatem animæ rejiciunt ejusque libertatem, primam originem rerum de nihilo, miracula, et alia bene multa, quæ dictum ordinem cognitionis omnino transcendunt.

(2) Aliquis posset hic dicere : Testimonium divinum movere ad assentiendum *absolute*, dummodo tamen absolute noscatur, doctrinam, propositam tanquam a Deo revelatam, reipsa esse revelatam. Hoc autem nescimus ; miracula enim, cæteraque documenta historica, quibus probatur Deum revelasse aliquam doctrinam, non movent animum ad absolute assentiendum.

Respondeo : Hoc verum esset, si mens adhæreret Deo ex motivis illis credibilitatis, ac reliquis historicis documentis ; at falso res sic pensatur : nam etsi prædicta præparent quodammodo intellectum, eumque suadent ad fidem suscipiendam ; tamen mens Christiani testimonio divino adhæret ab instinctu quodam Spiritus Sancti mota. Quamobrem Christianus immediate ab ipso lumine divino ad assentiendum movetur. Tria vero proprie concurrunt ad prædictum assensum formandum in nobis : 1o Testimonium ipsum divinum, aliis verbis, auctoritas Dei ut revelans. 2o Prophetæ et Apostoli, qui fuerunt testes infallibiles, *præordinati a Deo*, hujus divinæ revelationis. 3o Magisterium infallibile Ecclesiæ, ex divina ordinatione, servans et exponens fidelibus sacrum revelationis depositum. Fidelis hisce tribus absolute adhærens, perinde ac ipsa veritas in manifesto appareret, revelatis absolute assentit. — De hac re supra in introductione ad Philosophiam aliquid diximus : sed de his tractare ad Theologos pertinet.

ac certius, cui postponi possit auctoritas Dei, omnem possibilitatem erroris vel deceptionis a se excludentis. — *Si vero testimonium fide dignum, sit humanum, etiam assentiendum est, non tamen absolute;* quia dum credimus, non propria, sed aliena cognitione utimur, quæ et decipi potest, et decipere (1).

V. *De arte critica, seu de usu et valore testimoniorum in factis historicis discernendis.*

Hæc, quæ de humano testimonio diximus, prout est criterium judicii et motivum assensus in credendo, admodum generalia sunt ac indeterminata, quæ ad adolescentulorum animos informandos, prout convenit, non sufficiunt. Quamobrem operis pretium est, breviter hic dicere de arte critica, de usu nempe et valore humani testimonii in rebus credendis. Quod ut declaretur, regulas, secundum quas mens dirigi debet ad suscipiendum, vel ad rejiciendum testimonium fidei, et ad intelligenda ea, quæ ipsum testatur, oportet statuere (2).

(1) Fides primo ac per se, proprie non ordinatur ad perfectionem intellectus, ut quietet ipsum; sed ut sit *fulcimentum humanæ activitatis,* quatenus ipsa est medium cognoscendi ea, quæ pertinent ad praxim vitæ. Hinc objectum fidei caret ea proprietate, qua solum quietatur intellectus, scilicet evidentia; sed pollet *credibilitate,* quæ sufficit ad praxim. Illud enim dicitur *credibile,* cui homo probus et prudens rationabiliter potest assentire et debet, a quo proinde sine ratione et imprudenter, quis assensum suum cohiberet.

(2) Passim in hac materia occurrunt diversæ voces, quæ aliqua declaratione indigent. FIDES significat assensionem mentis rei non visæ propter auctoritatem, vel, quod idem sonat, propter testimonium dicentis; quod si divinum sit, DIVINA vocatur, si humanum, HUMANA.— TESTIMONIUM significat declarationem de re aliqua per aliquod signum sensibile, expressam ab eo, qui profitetur notitiam habere de illa. — Testimonium potest considerari *ex parte exprimentis ipsum, ex parte rei declaratæ, ex*

Sit ergo : 1° Quanam nota cognoscitur testimonium esse fide dignum? Respondeo : 1° *Si omnes vel fere omnes, quod ab ipso refertur, referant.* Est enim argumentum veritatis, si de re eadem multitudo consentiat; siquidem *neminem omnes*, ut scite Tullius advertit, *et nemo unquam omnes fefellit*; *ac veracis historiæ indicium est*, ait Josephus Flavius, *si de rebus iisdem omnes eadem dicant et scribant* (1).

2° *Si nulla sit ratio specialis, cur de testimonio dubitetur.* Nemo enim censendus est malus vel mendax, nisi probetur; dicere quippe verum est aliquid naturale homini, ut videmus in pueris, qui ingenui et veri ex natura semper se exhibent; contra, dicere falsum non est naturæ humanæ consentaneum.

parte signi per quod exprimitur, et ex parte aptitudinis ad producendum assensum. Ex parte exprimentis, si sit ipse Deus immediate per se, testimonium tunc vocatur DIVINUM, si sit Deus mediate per hominem, HUMANO-DIVINUM, si homo tantum, HUMANUM. — Ex parte rei declaratæ, si res declaretur *qualis res esse debeat*, testimonium tunc DOGMATICUM nuncupatur; si qualis reipsa de facto sit, HISTORICUM. Proprium tamen objectum testimonii est declarare factum : *Petrus et Paulus suntne reipsa Romæ passi?* — Ex parte signi, dicitur ORALE, si testimonium voce, vel gestu, vel quocumque signo transitorio hic et nunc exprimatur. MONUMENTALE, si opere quodam arte confecto; utputa, templo, numismate, statua, etc. HISTORICUM, si sit scriptura traditum. — Ex parte denique aptitudinis, quam habet testimonium ad producendum assensum, CERTUM vel etiam AUTHENTICUM, si ad assentiendum moveat ita, ut omnem prudentem formidinem oppositi removeat. PROBABILE, si moveat relinquendo aliqualem formidinem oppositi. DUBIUM et INCERTUM, si mentem suspensam inter duo relinquat. FALSUM, si contra veritatem aliquid declarare comperiatur. — Qui testimonium profert nominatur TESTIS. Dicitur OCULATUS, si rem, de qua testatur, ipse per se, videndo, vel audiendo, vel tangendo, novit. AURITUS, qui mediantibus aliis rem, quam refert, novit. ÆQUALIS, COÆVUS, COÆTANEUS, SYNCHRONUS seu CONTEMPORANEUS, si ea ætate vixit, qua res, quas narrat, gestæ sunt. Contra vero, NON ÆQUALIS, NON COÆVUS, etc.

(1) Joseph Flav. libr. 1, contra Apion.

Hæc regula magis ad assentiendum urget, si quæ narrantur, talia sint, ut ex suspensione assensus aliqua inde mala possent provenire. Attamen hujusmodi assensus semper conditionatus debet esse, cum animi dispositione revocandi illum, si aliter res appareat.

2° Quænam sunt rationes speciales, ob quas de testimonio aliquo omnis prudens dubitare debet ?

Respondeo : Omnis prudens de testimonio aliquo dubitare debet, 1° *Si res enarrata repugnantiam involvat, vel sit valde improbabilis, nullam similitudinem habens cum vero* ; utputa, si res quæ narrantur, mirabiles sint, insolitæ, quæ uti effervescentis imaginationis fœtus haberi solent, vel cum adjunctis loci, temporis et personarum, minime cohæreant (1), vel etiam a doctrina, quam Ecclesia tenet, sint alienæ.

2° *Si modus narrandi non sit sincerus* ; puta, si poeticus sit, ac nimis ornatus, ad quamdam ostentationem ingenii compositus ; si ex nimia acerbitate vel vehementia odium ostendat in personas ; si nimis sit neglectus ac parum accuratus, vel infidelis in documentis citandis ; vel si parum instructum se exhibeat, documenta secundaria, vel fere nullius valoris citando, majora vero omittendo; vel si falsa et vera documenta simul sine delectu permisceat ; vel si multum valorem tribuat quibusdam levibus conjecturis.

3° *Si comperiatur personam, quæ narrat, non potuisse habère notitiam rei quam refert* ; puta, si cæcus de visis loquatur, vel surdus de auditis, vel plebejus de rebus inter magnates secreto actis. — Vel *si comperiatur, etsi potuerit habere, rei notitiam non habuisse* ; ut, si quæ narrat, a testibus fide dignioribus reprehendantur. — Vel denique, *etsi habuerit, tamen improbe occultasse veritatem* ex odio, vel

(1) Duo vitia sunt hic vitanda : Ne insolita quæcumque statim a priori, sine examine rejiciamus, et ne insolita aliqua putamus esse, eo quod sint insolita nostra ætate vel nostris locis.

invidia, vel metu, vel assentatione et studio partis, vel ex pravo propriæ utilitatis amore. — Ex quo patet, tria esse attendenda in testimonio fide digno, quod testis rem ab ipso relatam *potuerit scire; reipsa sciverit; eamque sincere ac fideliter retulerit*. Quocirca si aliquod ex his, testi deesse noscatur, testimonium ejus non est fide dignum.

4° Si testimonium aliquod traditione populari duntaxat innitatur; *nihil* enim, ait Tullius, *est incertius vulgo* (1).

5° Si noscatur librum per quem testimonium transmittitur, non esse genuinum, vel fuisse corruptum. — Hæ sunt justæ rationes dubitandi de aliquo testimonio.

6° Ultimo tamen præstat hic notare, *non esse rationem specialem dubitandi de testimonio aliquo si desint testes ejus ætatis, qua, factum quod refertur, evenit*; satis est enim scire aliunde, testem, qui aliquid testatur, esse fide dignum, ut inde meri o comperiatur, ipsum usum esse documentis, quæ amplius non extant, pro veritate rei cognoscenda. — Item, in rebus historicis argumentum, uti aiunt, *negativum*, quod ex silentio coævorum petitur, quamvis aliquid valoris habeat, si de re valde memorabili agatur, de qua homines scribere, ac posteritati monumenta relinquere solent ; nihilominus absolute spectatum, uti ratio specialis dubitandi de testimonio aliquo gravi, nequit haberi. Etenim aliæ plures possunt esse rationes hujus silentii ; utputa, quia factum solemne erat ac omnibus compertum, vel quia non affuit occasio scribendi

(1) Caveat tamen quis hujusmodi populares traditiones indiscriminatim palam rejicere, sed sapientem normam Augustini præ oculis habeat: « Una in his saluberrima regula, ait S. Pater, retinenda est, ut quæ non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, et habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicumque institui videmus vel instituta cognoscimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando et imitando sectemur, si aliquorum infirmitas non ita impedit, ut amplius detrimentum sit. » Epistolarum Classis II, Epist. 55ª, alias 119ª, cap. 18, n. 34.

de illo, vel quia alia facta recensendo, ex oblivione scriptoris omissum est, vel demum ex malitia, aut ex ignorantia. Quid enim mirum, si spectatis circumstantiis locorum et temporum, quædam facta vel ab ipsis doctis et eruditis ignorentur? Præterea, quis potest certo dicere, cum de re antiquissima agatur, coætaneos nihil scripsisse ? Omniane documenta antiquitatis ad nos usque pervenerunt?

Pro argumento igitur negativo, desumpto ex silentio facti penes contemporaneos, hæc regula habeatur : Si auctor aliquis probus et prudens aliquod factum narret a sua ætate remotum, de quo coævi nihil ferunt, testimonium ejus est fide dignum; prudenter enim credi potest, suo tempore extitisse documenta secreta vel publica, quibus ad factum asserendum est motus. « At vero, ait Mabillonius, si nec ejusmodi scriptores (synchroni, vel ferme synchroni), nec qui unius, aut duplicis sæculi intervallo successere, gestum aliquod innuant, et nihilosecius historiographus aliquis recentior, nullo testimonio, vel auctoritate innixus, id *temere* asseverare audet, tunc quidem parvipendendus erit; secus enim ampla ad errandum, aliosque fallendum via sterneretur (1).»

Item, non est statim ac absolute rejiciendus aliquis auctor, si in aliquibus hallucinetur, ac ineleganter et sine ornatu scribat; dummodo tamen prudentiam ac probitatem in reliquis ostendat.

3° Quanam norma est nobis utendum, ut discernantur libri genuini a non genuinis ?

Respondeo : Libri *genuini* ii nominantur, qui ab eo auctore reipsa scripti sunt, a quo scripti esse dicuntur, et ea circiter ætate, qua scripti esse feruntur. Pro agnoscendo igitur num liber sit *genuinus*, 1° princeps regula hæc est : *Testimonium constans, universale, ac nunquam interruptum omnium*

(1) Tractatus de studiis monasticis, Versio latina, tom. I, pars 2ª, cap. 8.

sequentium ætatum. «Platonis, inquit Augustinus, Aristotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque ejusmodi auctorum libros, unde noverunt homines quod ipsorum sint, nisi eadem temporum sibimet succedentium contestatione continua (1)?»

2° *Non est genuinus liber, si contineat quæ respondent tempori, quo auctor, cui tribuitur, erat jam mortuus.* — Vel etiam, *si aliqua describantur in libro, contraria iis, quæ auctor alibi scripsit, aut quæ a moribus ejus vehementer abhorrent.* — Vel denique, *si stylus libri sit omnino diversus a stylo, quo auctor in aliis operibus, ab ipso certo conscriptis, utitur.* Quemadmodum enim ex lineamentis vultus solemus individua distinguere inter se, ita et ex stylo auctores; est enim stylus quædam animi imago, unicuique propria et incommunicabilis. Verumtamen non est cujusque, ex varietate vel uniformitate styli, auctoris diversitatem vel identitatem dignoscere; sed hominis duntaxat admodum exercitati, linguam apprime callentis, passionis expertis, sine studio partis. Potest enim contingere, et sæpe reipsa contingit, quod varius sit stylus unius ejusdemque auctoris, pro ætatis diversitate, vel pro varia in scribendo diligentia; et contra, idem appareat stylus in operibus diversorum auctorum, quia eadem sunt lectione nutriti, vel unus alterum accurate imitari studuit. Nihilominus profiteor, quemlibet auctorem habere notam propriam in scribendo, etsi quandoque tam subtilem, ut vix multa arte et studio, vel a peritissimis, discerni possit.

4° Quanam norma est nobis utendum, pro discernendis libris integris a corruptis? Respondeo : Liber *integer* dicitur, cui nihil detractum, nihil per interpolationem est adjectum. Integritas autem libri alicujus, saltem quoad substantiam, recognosci potest ex pluribus codicibus ejusdem libri, invicem collatis. Nam si in omnibus codicibus eadem sint verba, ac nihil in ipsis appareat, vel abrasum, vel aliena manu additum,

(1) Advers. Faust. lib. 33, cap. 6.

liquet tunc aperte librum non esse corruptum : non enim est possibile, ut optime advertit Hieronymus, quod, si unus violatus sit codex, universi proinde, qui diversis, et locis, et temporibus editi fuerunt, simul potuerint corrumpi (1). At hic aliquis ulterius quæret : Si codices collati non conveniant inter se, quinam ex ipsis uti prototypus est considerandus? Ille sane qui est magis annosæ antiquitatis, quique inter manus magis integras depositus extitit.

5° Testes fide digni, pollentne omnes auctoritate eadem in narrando ?

Respondeo : Non omnes eadem auctoritate pollent, eosque hoc ordine disponendos esse censemus : 1° *Testes præordinati a Domino, ac divino flamine inspirati, maxima et absoluta auctoritate pollent*; non enim homo, sed Deus loquitur in ipsis et per ipsos. Hinc quæ in sacris Litteris continentur, omnimodam ac principem auctoritatem sibi vindicant; iisque, sensu comperto, fides absoluta præstari debet.

2° *Testis referens ea, quæ ab omnibus unanimi consensu referuntur, tanta auctoritate pollet, quanta nemo ex aliis humanis testibus*; non enim unus loquitur, sed omnes cum ipso (2). Quare nolle acquiescere horum testium auctoritati,

(1) Cf. Hieronym. Epist. 84 ad Pammachium n. 10. in qua de libris Origenis, ab hæreticis corruptis, disserit.

(2) Quæritur hic : Si plures unius testimonio ducti, idem testentur, augeturne proinde testimonii valor? Leibnitius ac plures alii respondent, valorem testimonii, nullatenus augeri. «Il est sûr, ait Leibnitius, que lorsqu'on a un seul auteur de l'antiquité pour garant d'un fait, tous ceux qui l'ont copié n'y ajoutent aucun poids, ou plutôt doivent être compté pour rien. Et ce doit être tout autant que si ce qu'ils disent était du nombre τῶν ἅπαξ λεγομένων, des choses qui n'ont été dites qu'une seule fois.» — Nouveaux Essais sur l'Entendement, liv. IV, chap. 16. — Hæc responsio Leibnitii, prout jacet, non est vera ; nam, si qui unicum illum testem sequuntur, sint viri graves et prudentes, qui non leviter ab uniuscujuslibet auctoritate moventur, procul dubio tunc

est hominis stulti et intemperantis. Quis enim sanæ mentis dubitare posset de teste, existentiam Romæ, vel Constantinopolis, vel Americæ, referente?

3° *Testis, quem Ecclesia in iis, quæ ad Religionem pertinent, recipit et approbat, plurimi est faciendus*; tanta enim est sapientia, doctrina, prudentia, gravitas atque sollertia magisterii Ecclesiæ, ut ejus sententia magnum non modo penes fideles, verum etiam penes extraneos, si ob præjudicatam rationem non cæcutiant, pondus habere debeat.

4° *Testis sincere doctus, cujus probitas atque prudentia explorate est cognita atque perspecta, præferendus est etiam pluribus testibus, qui pari doctrina, integritate et prudentia non pollent.*

5° *Testes coætanei, maxime si oculatos se præhibeant, dummodo de eorum doctrina et probitate constet, ac cætera sint paria, reliquis omnibus sunt fide digniores.*

6° *Si testes coævi vel oculati inter se non conveniant, tunc, cæteris paribus, veteres recentioribus sunt præferendi*; quod si nec isti, tunc standum est pro iis, qui tum scientia, tum honestate vitæ, tum prudentia, magis excelluerunt.

Cæteroquin hæc duo constanter præ oculis habeantur : ne simus videlicet nimis ad credendum difficiles, vel, ex opposito, nimis faciles ad assentiendum; matura prudentia hac in re est necessaria.

6° Extatne aliqua ars pro libris scriptorum interpretandis, et quænam sunt regulæ ejus?

Respondeo : Ars pro libris scriptorum interpretandis vere extat; vocatur ipsa *hermeneutica*, a voce græca ἑρμηνεία, quæ id significat, quod apud latinos *interpretatio*, *elocutio*, vel etiam *facultas interpretandi*. Hæc ars, late sumpta, definiri

eorum assensio valorem testimonii auget, quatenus testis, plurium doctorum ac proborum virorum auctoritate cohonestatus, multo dignior fide apparet. At forte Leibnitius ad valorem intrinsecum testimonii duntaxat respexit.

potest, cum Huetio : *Sermo omnis, quo fit, ut res minime intellecta percipiatur.* Respicit ipsa vel conversionem unius sermonis in alteram linguam, vel explanationem et expositionem sermonis obscuri et ambigui (1). Est autem necessarium regulas hujus artis hic proponere; frustra enim traderentur regulæ pro valore et usu testimoniorum cognoscendo, si regulæ pro eorum sensu definiendo ac declarando, ignorarentur.

Itaque regulæ pro conversione unius sermonis in alteram linguam sunt istæ : 1° *Diligenter ac sedulo curet interpres, ut primo sensus sententiarum fidissime reddatur, deinde etiam, si utriusque linguæ facultas ita ferat, ut verbum e verbo exprimatur.* Etenim nihil aliud videtur esse interpretatio, «quam, ut ait Huetius, expressa auctoris imago et effigies; ea autem optima imago habenda sit, quæ lineamenta oris, colorem, oculos, totum denique vultus filum, et corporis habitum ita refert, ut absens coram adesse videatur.... quæ totum auctorem ob oculos sistat nativis adumbratum coloribus, et vel genuinis virtutibus laudandum, vel, si ita meritus est, propriis deridendum vitiis propinet (2).» — Hoc autem præstari nequit, si, qui officium interpretis assumit, utriusque linguæ non sit peritissimus.

2° *Diligentia autem illa, omnia verbum e verbo exprimendi, haud pro omnibus scriptis eadem esse debet ; sed subjecta materia est attendenda.* Nam si de Sacra Scriptura agatur, in qua

(1) Expositio ista per *paraphrasin* fit, vel *periphrasin*, vel *metaphrasin*. Paraphrasis sic a Quintiliano definitur : *Neque ego παράφρασιν esse interpretationem tantum volo, sed circa eosdem sensus certamen atque æmulationem.* — Institut. Lib. 10, c. 5. — Periphrasis significat circumlocutionem, secundum quam pluribus verbis exponitur, quod uno vel paucioribus dici potest. — Metaphrasis demum, est quoddam interpretationis genus, quod, data occasione, aliqua adjiciendo vel detrahendo, formam orationis mutat.

(2) Huetius, *De Interpretatione*, lib. I, circa initium.

fidei mysteria ac agendorum præcepta continentur, omnis cautio tunc est adhibenda, non solum propter debitam in verbum Dei reverentiam, et propter mysteria, in singulis pene verbis, eorumque dispositione, abdita, ut notat Hieronymus in epistola sua ad Pammachium; verum etiam ob periculum errandi in re tam gravi. Scimus enim ex historia, ob unam literam mutatam, ob unum apicem loco submotum, rebelles hæreses ortum habuisse; sub fallacia quoque unius ambiguæ dictionis, errores plerumque favorabiliter fuisse propagatos. — Idem fere, proportione servata, dicendum est de scriptis Patrum, ac generatim de omnibus iis scriptis, in quibus, subtili quadam et pressa oratione, de rebus ad scientiam pertinentibus, vel technicis fit sermo. In hujusmodi quippe scriptis, voces earumque numerus et dispositio, ita ideis adhærent, ut scriptor, si hæc permutentur, propriam indolem ac characterem amittat (1). — Ad historicos vero, oratores atque poetas quod attinet, dummodo rerum argumentum, veritas factorum, ac descriptiones serventur, liberior potest esse conversio.

Hæc de regulis pro simplici conversione sermonis in alteram linguam; regulæ vero pro sermone aliquo obscuro et ambiguo explanando, ita se habent : 1° *In primis qui munere interpretis fungitur, eligat ex omnibus, codices emendatiores; et, si fieri potest, ea lingua, qua ab auctore fuerunt conscripti.* Plerumque enim obscuritas ex mendosis codicibus originem habet, vel ex versionibus non satis sinceris.

2° *Deinde, ad dictiones obscuras vel ambiguas auctoris accedens, primo dictionem absolute considerando, definiat varios sensus, qui ei subesse possunt. Postea, ex contextu orationis, ex iis nempe quæ antecedunt et quæ sequuntur, sensum ab*

(1) Hac ratione moti, plures sapientes votum emiserunt, ut libri, qui de scientiis tractant, communi idiomate scriberentur; quod sane facile fieri posset, si lingua latina in pristinum revocaretur honorem.

auctore intentum determinet. Quod si hoc non sufficiat, ad loca parallela ejusdem operis, vel ad alia scripta ejusdem auctoris recurrat. Obscuritate adhuc manente, tunc sensum dictionis studeat sumere ex moribus et vita auctoris; ex fine quem sibi præstituit in scribendo; ex schola, si alicui fuerit addictus, cujus ipse fuit; ex traditione demum, si aliquam post se reliquerit; vel etiam ex expositoribus, si sint, magis commendatis. His omnibus peractis, si nihil certi de sensu auctoris comperiri possit, tunc sententia ut ambigua et obscura relinquatur.

3° *Si autem in diversis scriptis alicujus auctoris, de re eadem sententiæ omnino oppositæ, quæ inter se componi non possunt, reperiantur; tunc quæ in scripto posteriori legitur, ut sententia auctoris est habenda.* At si non solum in diversis, sed etiam in eodem scripto ejusdem auctoris, sententiæ oppositæ, quæ conciliari nequeunt, legantur, *hoc aut ignorantiæ, aut levitati, aut perfidiæ ejus est adscribendum.* Quod, ut de vivis taceam, facile quisque videre potest in famoso illo scriptore nostræ ætatis, Victore Cousin, inquam, qui sub dulci orationis genere, soluto, effluenti, verbis sonante, sub ampla quadam sententiarum gravitate, doctrinas oppositas Pantheistarum, Fatalistarum, Deistarum, suis scriptis, quadam incredibili tranquillitate animi, favorabiliter excipit et defendit.

His expositis, unum dicendum superest : Artem criticam nempe esse bonam, utilem, valde commendabilem, dummodo eo fine exerceatur, ut falsa hæreticorum et incredulorum commenta respuantur; vel etiam ut veritas, magis definita ac determinata, notior efficiatur; non autem ut alii sine ratione carpantur, quod, ut recte docet Mabillonius, *quandam animi imbecillitatem arguit, seu potius genii pravitatem.* — Est autem ars critica admodum difficilis, quæ nonnisi ab eruditis et doctis, valde provectis, probis, ingenuis, utiliter exerceri potest. — *Optimus criticus est optimus lector*, « optimus *autem* lector, ait Hilarius Pictaviensis, est, qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis, potius quam imperat, et retulerit magis, quam attulerit : neque cogat id videri dictis

contineri, quod ante lectionem præsumpserit intelligendum (1).» Et hæc de arte critica pro prima adolescentulorum informatione sufficiunt.

VI. *Quædam regulæ breviter proponuntur, secundum quas mens dirigi debet, ne ab expressione sensibili judicii confundatur.*

Restat ultimo, ut quædam regulæ, secundum quas mens dirigi debet, ne ab expressione sensibili judicii confundatur, stabiliantur. — Tametsi enim expressio sensibilis judicii, scilicet propositio, rite adhibita, ad circumscribendam ac determinandam hominis cogitationem plurimum conducat; tamen negari non potest, ipsam plerumque, quia illa multa quæ continet, distincte non discernuntur, confusionem animo ingerere.

Pro hac confusione igitur vitanda : 1° In omni propositione mens distincte perspiciat omnia, quæ in ipsa veluti sub cortice continentur, nimirum : 1° Manifestationem interiorem, quæ est judicium *subjective* sumptum. 2° Objectum manifestatum per ipsam. 3° Adæquationem vel dissidentiam manifestationis interioris et objecti. 4° Assensum.

2° Deinde, expressionem sensibilem a judicio, per ipsam expresso, separet; attente consideret et definiat habitudinem, quam singula verba habent ad ideam, quam significant; aliis verbis, enucleate intellectus consectetur et ad vivum resecet significationem uniuscujusque vocis, quæ est in propositione.

3° Propositiones, si quæ sint complexæ, vel rebus extraneis commixtæ quodammodo et occultatæ, in simplices resolvat, iis vocibus solummodo retentis, quæ ideam principalem propositionis significant.

Si mens ad hæc omnia sic discernenda sese exerceat, habitudine acquisita, facile tunc et sine labore quæ sunt in

(1) S. Hilar. Lib. I de Trinit. n. 18.

propositione separabit, ac nulla erit amplius confusionis vel erroris occasio. — Hactenus de regulis recte judicandi.

CAPUT V.

DE PRIMIS PRINCIPIIS COGNITIONIS.

1. *Declaratur divisio judiciorum in analytica et synthetica.*

Statuere principia, quæ sunt prima fundamenta cognitionis, secundæ operationis mentis proprie est munus; ac manca profecto foret hæc nostra sectio, si aliquid de principiis istis, quæ *complexa* (1) vocantur, non diceretur. Sed primo de natura ac diversitate judiciorum aliquid distinctius est addendum, deinde vero de principiis dicendum est.

Judicia itaque alia sunt *analytica*, alia *synthetica*; rursus judicia analytica in analytica *immediata et mediata* dividi possunt, item et synthetica.

Judicium *analyticum* dicitur illud, *in quo prædicatum est de essentia subjecti*; ut, in hac propositione: *Homo est animal rationale*, *animal rationale* non addit aliquid *homini*, sed essentiam ejus duntaxat declarat. — Hoc judicium nominatur, auctore Kantio, *analyticum*, quia ex sola analysi, resolvendo scilicet judicium in sua elementa, et inspiciendo quid

(1) Principium nominatur id, unde aliquid aut est, aut fit, aut cognoscitur. — In schola duo genera principiorum solemus distinguere, principia nempe *incomplexa*, quæ pertinent ad primam operationem mentis, ut idea *entis, unius, veri, boni*, etc., et *complexa*, quæ pertinent ad secundam et tertiam operationem; ut, *Non est effectus sine causa*, etc. — Nos hic loquimur de principiis complexis immediatis, quæ ad secundam operationem mentis pertinent.

sit prædicatum, ejus veritas statim affulget; *declarativum* quoque vocatur, eo quod prædicatum nihil addit subjecto, sed tantum, illud resolvendo, declarat.

Judicium *syntheticum* appellatur, *in quo prædicatum ad essentiam subjecti* non pertinens, ut aliquid diversum ipsi adjicitur; ut, in hac propositione : *Paulus sedet*, sessio tribuitur Paulo ut aliquid ei adjectum, ab ejus essentia diversum. — Hujusmodi judicia *amplificantia* quoque nuncupantur, adjectio enim prædicati dilatat quodammodo subjectum; vel *hypothetica*, quia, posito quod sint, necesse est esse talia, etsi, absolute loquendo, aliter possint esse; *empirica*, vel *experimentalia*, vel etiam *physica* dicuntur, quia in experientia facti fundantur.

Judicium analyticum, si nexus subjecti et prædicati, statim, per simplicem definitionem terminorum, sine ratiocinio, immediate apparet, vocatur analyticum *immediatum*; in schola solemus ea nominare *judicia per se nota*, quia veritas in ipsis sine ope ratiocinii per se affulget; vel *communes animi conceptiones*, quia quisque, terminis intellectis, ea audiendo approbat; vel etiam, *judicia absoluta*, *pura*, *rationalia*, *metaphysica*. Talia sunt judicia : *Quod est est — Impossibile est idem, secundum idem, simul esse et non esse*, ac generatim omnia judicia, quæ exprimuntur per propositiones, quarum prædicatum idem significat quod subjectum. — Hoc judicium sic definiri potest : *Est operatio mentis enuncians aliquid, quod per se essentialiter est tale, et quod necesse est, cognitis terminis, immediate videri ut tale* (1).

(1) Hæc verba : *immediate videri ut tale*, eo adduntur, ut fiat distinctio a propositionibus, quæ habent quidem prædicatum ad essentiam subjecti pertinens, quæque habent ex parte sui aptitudinem, ut immediate possint intelligi; attamen nequeunt ipsæ a nobis immediate videri; talis est propositio ista : *Anima humana est spiritualis*. — Hujusmodi propositiones sunt quidem, ut loquitur schola, *per se notæ quoad se*, habent enim aptitudinem ex se, ut immediate intelligantur; non autem *per se notæ quoad nos*, ex imperfectione humani intellectus.

Judicium autem *analyticum* dicitur *mediatum*, si nexus prædicati et subjecti sit essentialis, ac per resolutionem seu analysim subjecti, quæ fit mediante una tertia idea, manifestetur. Ex. c. in hac propositione : *Anima humana est spiritualis*, attributum *spiritualis* non addit aliquid extraneum *animæ humanæ*, quia est esse essentiale ipsius ; attamen nexus utriusque, nobis non apparet immediate.

Quare id quod significatur per *animam humanam*, necesse est resolvi per aliquod tertium, cum quo et esse animæ humanæ et esse spirituale comparatur, ut sic, comparatione facta, colligi possit, *animam humanam esse spiritualem*.

Judicium analyticum, quod *mediatum* dicitur, hoc modo potest definiri : *Est operatio mentis enuncians aliquid, quod per se essentialiter est tale, et quod necesse est per ratiocinium*, connexione ejus cum principiis evidenter ostensa, *mediate videri ut tale*.

Judicium syntheticum dicitur *immediatum*, si prædicatum, cujus idea ab idea subjecti est diversa, per experientiam externam vel internam, immediate apparet conjunctum cum ipso ; ut, dum aspectu oculorum video Petrum ambulantem, dico : *Petrus ambulat*; vel, dum sentio me cogitantem, dico : *Ego cogito*. Ipsum definiri potest : *Est operatio mentis enunciens aliquid, quod contingenter, per modum adjectionis est tale, quodque per experientiam immediate cognoscitur*.

Dicitur autem mediatum, si tale judicium per ratiocinium formatur, nempe per *inductionem*. Tales sunt omnes propositiones universales in materia contingenti ; ut, *Omnis putredo magis est contagiosa cum serpit, quam cum est matura*, cujus propositionis veritas ex inductione probatur, tum in physicis, tum in moralibus.

II. *Judicia synthetica a priori, qualia ponuntur a Kantio, refutantur.*

Judicia synthetica subdividuntur a Kantio in ea, quæ ab experientia pendent, et in ea, quæ ab experientia non pendent :

ea judicia, quæ ab experientia non pendent, *synthetica a priori* ab ipso vocantur. — Quocirca Kantius ponit in nobis judicia, in quibus nexus prædicati et subjecti, neque immediate ex identitate utriusque cognoscitur, neque mediate per ratiocinium, neque per experientiam internam vel externam, sed ex quadam naturali conformatione rationis, ejusque commodo, ut passim ex suo opere colligi potest (1). —

Extantne revera hujusmodi judicia Kantiana ? Respondeo : Quæcumque judicia sunt in nobis, uti per experientiam luculentissime apparet, aut in identitate essentiali prædicati et subjecti fundantur, aut in experientia externa vel interna, aut in ratiocinio, aut in testimonio fide digno ; quod autem sint, præter ista, aliqua judicia, aliud fundamentum habentia, nullum exemplum proferri potest. Atqui judicia Kantiana *synthetica a priori* neque in identitate essentiali prædicati et subjecti, neque in experientia externa vel interna, neque in ratiocinio, neque in testimonio fide digno, ut ipse asserit, fundantur. Ergo sunt vana commenta ; pro quibus probandis nec unum quidem exemplum in medium proferri potest, uti certo quisque potest comperire, si paulisper expendere velit exempla, quæ ab ipso auctore hujus novæ inventionis citantur.

Re quidem vera, 1° hoc exemplum adducit : $7 + 5 = 12$, hæc propositio, ait Kantius, non est analytica, quia *quinque plus septem*, exprimunt quidem unionem duorum numerorum, non tamen simul præbent ideam *duodecim* ; non est ab experientia, quia, quod *quinque plus septem æquent duodecim*, est propositio necessaria ; neque in ratiocinio, ut patet, neque in testimonio fide digno fundatur. Ergo est propositio synthetica a priori.

(1) Critique de la raison pure, Introduction. — Hanc suam inventionem de judiciis syntheticis a priori, plurimum, ut mos est horum hominum, extollit Kantius, utpote argumentum validum contra omnia vana systemata rationis puræ : si eam veteres, ait ipse, agnovissent, non ita frustra adlaborassent, ignorando id de quo ipsi tractabant.

Respondeo : *Judicium allatum est analyticum.* In eo consistit ratio propria judicii analytici, ut id significet prædicatum, quod subjectum ; aliis verbis, quod conceptus prædicati sit idem cum conceptu subjecti. Atqui in judicio allato ita est : nam tot unitates repetuntur ac multiplicantur in numero *duodecim*, quot in numeris quinque et septem, simul sumptis. Ergo allata propositio est analytica, et non synthetica a priori. — Kantius sua inventione præoccupatus, culeolum propositionis non frangens, nucleum non vidit.

2° Aliud exemplum : *Inter duo data puncta linea recta est brevior.* — Propositio ista est necessaria, et proinde ab experientia non oritur ; neque ipsa *analytica* dici potest, siquidem idea lineæ *rectæ* per se ideam brevitatis non exhibet.

Respondeo : In propositione citata, linea recta non *absolute*, sed *comparative* ponitur, respectu nempe lineæ curvæ ; notio autem lineæ rectæ, cum notione curvæ comparata, in se, ut aperte constat, continet ideam majoris brevitatis. Nonne enim per se patet, descriptionem rectæ lineæ breviorem esse ea, quæ est flexuosa?

3° Tertium exemplum : *In omnibus mutationibus mundi corporei, quantitas materiæ semper immutabilis manet.* — Hoc principium quoque *syntheticum a priori* esse docet Kantius, quia est necessarium ; ergo nequit per experientiam cognosci, quæ solum circa contingentia versatur.

Verum, hoc principium, suppositis mutationibus, quales dicuntur fieri in mundo, sine annihilatione rei, sed solum cum nova quadam dispositione partium, est analyticum. Liquet hoc aperte, si principium exponatur hoc modo : *In omnibus mutationibus mundi corporei, in quibus materia cum sua quantitate non annihilatur, sed tota manens aliam formam suscipit, quantitas materiæ immutabilis manet.* — Notio de immutabilitate materiæ, ut hic patet, continetur in notione de integra ac totali permanentia ejusdem. Principium ergo est analyticum.

4° Neque majoris sunt ponderis reliqua, quæ adducit :

nam principium illud : *Cum motus communicatur, actio et reactio sunt æquales* — experientia et inductione comperitur. Item, principium illud : *Mundus initium habere debet*, per ratiocinium probatur, ductum ex natura entis infiniti et finiti.

5° Sed, quod in philosophia grave est, quodque erroribus plurimis sternit viam, inter principia synthetica a priori, vel ipsum principium causalitatis : *Id quod fit debet habere causam*, Kantius recenset. Asserit enim ipse : *Notio causæ est omnino extra notionem effectus, ac aliquid est prorsus ab eo diversum; notio proinde causæ nullo modo in ratione effectus continetur* (1). — Ergo principium causalitatis non est *analyticum*, quia notio prædicati non continetur in notione subjecti ; neque est simpliciter *syntheticum*, quia ab experientia non pendet, est enim principium necessarium ; neque per rationem probatur, ut patet, neque per testimonium fide dignum ; sed est principium *syntheticum a priori*.

Respondeo : Si quis definiat quid sit causa, et quid effectus, non est difficile videre notionem causæ contineri in notione effectus, et econverso. Ac vere quidem, quid est causa ? *Est id, a quo aliquid habet esse.* Quid est effectus ? *Est id, quod habet esse ab aliqua causa.* Ubi patet, in definitione causæ contineri essentialiter, non ipsum esse effectus, sed relationem ad effectum ; et econverso, in notione effectus contineri essentialiter, non quidem ipsum esse causæ, sed relationem ad causam. Ergo principium causalitatis est analyticum ; qui enim intelligit quid sit causa, intelligit quid effectus, et qui quid effectus, quid sit causa.

Nulla ergo exempla a Kantio potuerunt adduci pro sua

(1) *Critique de la raison pure*, (traduite par J. Tissot, troisième édition) Introd. p. 43 — Omnia principia quæ attulimus, leguntur sub numero V° introductionis, vol. I, pag. 44 — De principio causalitatis loquitur etiam in libro II, *Analytique des principes*, chap. II, section III, *Seconde analogie*, *Principe de la succession des temps suivant la loi de causalité*, pag. 229.

sententia probanda; est igitur vanum animi commentum, ponere in intellectu judicia synthetica a priori, qualia ponuntur ab ipso : ubinam, quæso, sunt hæc judicia? vel unum proferatur exemplum.

III. *Quædam principia evidentiam immediatam habentia recensentur.*

Principia cognitionis, uti jam dictum est, alia sunt, quæ immediate cognoscuntur, vel ex luce intellectiva per solam definitionem terminorum, vel ex sensu interno, vel externo ; alia autem, quæ mediate percipiuntur per ratiocinium.

Hic, quoniam de secunda operatione mentis est sermo, aliqua principia breviter recensere intendimus, quæ immediate intelliguntur, quæque præ cæteris, ratiocinationi possunt inservire. — Sunt autem hujusmodi : *Quod est est — Quod non est non est — Impossibile est idem, secundum idem, simul esse et non esse — Ego cogito et sum — Cognitio est quædam repræsentatio objecti in animo. —*

Intellectus est quædam facultas ex sua natura ordinata ad cognoscendum verum — Sensus internus est quædam facultas ex sua natura ordinata ad percipiendas actuales ac interiores affectiones animi — Sensus externus est quædam facultas ex propria natura ordinata ad percipienda phænomena corporalia — Ratiocinatio est quædam facultas ex sua natura ordinata ad percipiendas conclusiones occultatas in principiis — Fides est quædam facultas animi, ex sua natura inclinata ad adhærendum testimonio fide digno.

Quod evidenter ac immediate repræsentatur ab intellectu, est verum — Quod est falsum, nequit ab intellectu evidenter repræsentari — Quod sensus intimus de affectionibus interiobus et actualibus animi immediate refert, est verum — Quod non est in animo, nequit a sensu intimo referri — Quod sensus externi rite dispositi, constanter, eodem modo referunt, verum est. — Possunt sensus externi non rite dispositi, referre phænomena naturæ, quæ reipsa non sunt — Quod cum

principiis per se evidentibus evidenter connectitur, est verum, nec potest esse falsum — Quod cum principiis per se evidentibus non connectitur, potest esse falsum — Quod ex testimonio humano, fide digno, creditur, est credibile — Quod ex testimonio ejus, qui est infinite bonus, infinite sapiens, infinite verax, infinite potens, creditur, est verum, nec potest esse falsum.

Prædicatum, quod vel toti subjecto sit æquale, vel alicui notæ ipsius, debet de subjecto affirmari; negari vero, si repugnet — Prædicatum, quod ad essentiam subjecti non pertinet, neque ei repugnat, debet de subjecto affirmari ut aliquid, quod potest inesse, et non; non autem ut aliquid, quod reipsa actu inest, vel non — Duo judicia contradictoria nunquam sunt simul vera, nec simul falsa (1) *— Duo judicia contraria in materia necessaria, nunquam possunt esse simul falsa nec simul vera. — In materia vero contigenti possunt esse simul falsa, non autem simul vera — Duo judicia subcontraria nunquam simul falsa possunt esse — Possunt esse simul vera — Vel unum eorum verum, alterum falsum — Si judicium subalternans sit verum, subalternatum quoque est verum — Si falsum subalternatum, et subalternans — Si falsum subalternans, non proinde et subalternatum — Si verum subalternatum, non ideo verum et subalternans.*

Intellectus in cognoscendo, ab aliquo primo et immobili incipit — Non omnia, quæ mens cognoscit, possunt per ratiocinationem ostendi — Ratiocinatio necessario fit ex aliquibus præcognitis — Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se — Quidquid dicitur universaliter de subjecto, dicitur uni-

(1) Hoc principium et novem alia, quæ sequuntur, per analysim mediatam cognoscuntur : formare igitur hæc judicia ad ratiocinium analyticum proprie pertinet. Nihilominus, quoniam secundam operationem mentis dirigunt, ut liquet ex iis, quæ supra de oppositione et subalternatione propositionis diximus, idcirco ipsa hic enumerare præstabat.

versaliter de omni contento sub illo — Quorum unum est idem alicui tertio, aliud autem non est idem, ea non sunt unum inter se — Quod negatur universaliter de subjecto, negatur de quolibet contento sub illo — Ex necessario nonnisi necessarium, et ex vero nonnisi verum sequi potest — Ex falso nunquam sequitur verum — Dato uno absurdo, quæ ab ipso sequuntur sunt absurda — Intellectus hominis est finitus — Intellectus finitus nequit comprehendere infinitum.

Hæc principia ad secundam operationem mentis, quatenus est quædam præparatio ad ratiocinium, proprie pertinent. At forte non erit omnino inutile, si quædam alia generalissima principia addantur ; sic enim præsens capitulum veluti quoddam axiomatum receptaculum, non tamen completum, haberi potest, sit igitur :

Necesse est quodlibet esse aut non esse — Unumquodque necessario est, quandiu est — Essentiæ rerum in indivisibili consistunt — Non repugnat possibile esse in actu — Infiniti ad finitum non est proportio — Bonum, (secundum entitatem et virtutem perfectum) *est communicativum sui* (sive efficiendo, sive etiam sua amabilitate, inspirando amorem sui) — *Bonum absolutum totius est bonum partium — Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu — Quodlibet ens completum est propter operari — Ubi non est totum et pars, aut totum perit aut nihil — Quod de se est possibile tantum, est finitum.*

Non est effectus sine causa — Nihil potest seipsum producere — Quod nullo modo est, non potest aliquid causare — Nulla res dare potest quod non habet — Ab indifferenti, ut indifferenti, nihil determinatum oriri potest — Nihil potest de potentia, quatenus est in potentia, se reducere in actum — Nihil producitur, quod non contineatur in virtute causæ — Causa non potest esse imperfectior suo effectu — Primum in unoquoque genere est causa (si non efficienter saltem exemplariter) *cæterorum — Quod agit ex determinatione propriæ formæ naturalis, semper eodem modo operatur — Idem manens*

idem, est natum facere semper idem — *Quidquid recipitur in alio, ad modum ejus recipitur* — *Causa secunda agit in virtute causæ primæ* (scilicet per virtutem acceptam a causa prima) — *Causa causæ est causa causati* — *Sublata causa* (a qua esse rei ejusque conservatio pendet) *tollitur effectus* — *In causis per se ordinatis, non datur processus in infinitum* — *Quod est contigens non potest esse a se.*

Nulla res creata potest esse infinita — *Quæ sunt æqualia uni tertio, sunt æqualia inter se* — *Totum est æquale partibus simul sumptis* — *Totum est majus sua parte* — *Pars est minor suo toto* — *Si æqualibus æqualia addantur, summæ efficiuntur æquales* — *Si æqualibus æqualia subtrahantur, residua manent æqualia* — *Si majori et minori æqualia subtraxeris, manent inter se inæqualia.* —

Existunt corpora — *Existit motus* — *Existit substantia quæ sentit* — *Existit substantia quæ intelligit et ratiocinatur* — *Quæ sunt in mundo ordinata sunt.* — Hæc sunt aliqua ex principiis, quæ mentem provehunt, eamque paratam et expeditam ad ratiocinandum faciunt.

IV. *Sensus quæstionis de primo ac fundamentali principio cognitionis, exponitur.*

Quemadmodum virtutes naturales rerum, omnes habent suas leges, secundum quas ad certum modum operandi naturaliter determinantur; ita quoque intellectus, cum judicat, non quasi exlex sine norma vagatur, sed certis regulis, internis ac propriis, regitur.

Harum legum autem, quædam aliquorum judiciorum particularium sunt propriæ, deque his supra, cum sermo esset de divisione propositionis, dictum est; quædam vero sunt universales, essentiales, naturam judicii constituentes, sunt ipsæ veluti conditiones fundamentales ac primæ, quæ in quibuscumque judiciis reperiuntur, ipsis sublatis, judicium tollitur ipsum.

Quærere de his legibus seu conditionibus generalibus, sub quibus primo evolvitur intellectus, cum judicat, est quærere de primis ac fundamentalibus principiis judicii. Unde propositiones illæ, exprimentes primas ac fundamentales leges seu conditiones, quæ naturam judicii constituunt, *principia prima ac fundamentalia* dicuntur. — Quæritur ergo : Hujusmodi generales conditiones, seu leges judicii, seu principia, unde omnia alia cognoscuntur, quæque reliquis omnibus præsupponuntur, quænam sunt? — Solutio hujus quæstionis est perspectu necessaria; sine ipsa enim nequeunt judicia, pro eorum soliditate discernenda, revocari in id, a quo primo pendent, et primo incipiunt.

V. *Quatuor sunt prima ac fundamentalia principia cognitionis.*

Respondeo : Conditiones, leges, seu principia prima ac fundamentalia, secundum quæ unumquodque judicium primo evolvi debet, et sine quibus nullum judicium potest esse, debent esse quatuor; eaque sic exprimi possunt : *Ego cogito — Non est possibile idem, secundum idem, simul esse et non esse — Intellectus est facultas ac vis efficax manifestandi et cognoscendi verum — Quidquid distincte ac evidenter repræsentatur intellectui, debet tanquam verum affirmari.*

1° *Hoc principium* : Ego cogito, *est primum ac fundamentale principium, sine quo nullum potest esse judicium.* Judicium enim, ut patet, sine cogitatione non potest esse. Cogitatio vero sine perceptione sui non potest esse; siquidem est viva quædam animi affectio, quæ sui perceptionem essentialiter secum affert. Ergo nullum potest esse judicium, quod aliqualiter se non percipiat. Necessario igitur ad judicium, tanquam conditio universalis ac fundamentalis, pertinet, dum propriam operationem exercet, percipere se. Atqui judicium, prout perceptionem sui essentialiter secum affert, exprimitur per propositionem illam : *Ego cogito*. Ergo *ego cogito*, principium aliquod primum ac fundamentale exprimit, sine quo nullum potest esse judicium.

2° *Hoc principium* : NON EST POSSIBILE IDEM, SECUNDUM IDEM, SIMUL ESSE ET NON ESSE, *est primum ac fundamentale, sine quo nullum potest esse judicium.* Etenim hoc principium ex idea entis constituitur, quæ est prima ac generalissima omnium. — Deinde, omnes qui demonstrant, ad hoc principium ultimo omnia reducunt; quod non foret, si primum ac fundamentale reipsa non esset. — Denique, si ipsum negetur, omne tollitur judicium. Etenim judicium in affirmatione vel negatione consistit : verum quomodo aliqua affirmatio vel negatio potest esse, si dicatur, possibile esse idem, secundum idem, esse simul et non esse ?

3° *Hoc principium* : INTELLECTUS EST FACULTAS AC VIS EFFICAX MANIFESTANDI ET COGNOSCENDI VERUM, *est primum ac fundamentale, sine quo nullum potest esse judicium.* Siquidem causalitas cognitionis, ex parte subjecti, in ipsa facultate ac vi efficaci manifestandi et cognoscendi verum, consistit; quæ causalitas sine effectu foret, si intellectus penes se determinatam ac naturalem convinctionem non haberet, ipsum esse facultatem ac vim efficacem, manifestandi et cognoscendi verum. Potestne, vel ipsum principium contradictionis : *Impossibile est idem* etc., aliquid ut verum ab intellectu affirmari, naturali persuasione animi de hoc principio non præsupposita?

4° *Hoc principium* : QUIDQUID DISTINCTE AC EVIDENTER REPRÆSENTATUR INTELLECTUI, DEBET TANQUAM VERUM AFFIRMARI, *est primum ac fundamentale, sine quo nullum potest esse judicium.* Hæc est enim natura judicii, ut, sive aliquid affirmet sive neget, ab aliquo motivo ad assentiendum moveatur necesse sit; et hoc quidem omnibus et singulis judiciis est commune; est proinde quædam conditio universalis, prima ac fundamentalis, sine qua nullum potest esse judicium. Hujusmodi motivum autem non est, *nisi ipsa evidentia rei* : intellectus enim ex eo, quod res distincte ac evidenter ei repræsentatur, ad affirmandum vel negandum movetur. Ergo evidentia rei, et proinde propositio, per quam ipsa expri-

mitur, est aliqua conditio universalis, prima ac fundamentalis, sine qua nullum potest esse judicium. Et vere quidem, possetne intellectus alicui judicio assentire, si aliquo modo ab evidentia rei, h. e., a manifestatione veritatis non moveretur?

Verum est igitur, conditiones, leges, seu principia prima ac fundamentalia secundum quæ unumquodque judicium primo evolvi debet, et sine quibus nullum potest esse judicium, esse quatuor; eaque sunt, quæ a nobis exposita (1).

(1) Eruditionis causa, quæ alii de primis principiis cognitionis docuerunt, non est inutile breviter referre : Aristoteles et schola cum præcipuis suis doctoribus, considerando cognitionem *ex parte objecti tantum*, merito docent principium contradictionis, *Impossibile* etc., esse primum cognitionis principium *(complexum)*.— Cfr. Arist. Metaphysic. lib. III, cap. 3-7, edit. Didot, pag. 503 — et lib. X, cap. 5, p. 589, vol. II — D. Thomam IV (III) Metaph. lect. 6ª, et XI (X), lect. 5. « Necesse est, ait S. Thomas, quod sicut omnia entia reducuntur ad aliquod primum, ita oportet quod principia demonstrationis reducantur ad aliquod principium, quod principalius cadit in consideratione *hujus philosophiæ* (Metaphysicæ nempe, *quæ tota est de ente*). Hoc autem est, quod non contingit simul esse et non esse. Quod quidem ea ratione primum est, quia termini ejus sunt ens et non ens, qui primo in consideratione intellectus cadunt (XI, lect. 5ª).» Non solum autem ex parte objecti hoc principium, quia de ente est, *ratione suæ universalitatis* primum dicitur; verum etiam *ratione majoris evidentiæ, firmitatis ac certitudinis*, quia non est ex suppositione.

Cartesius, totus consideratione proprii *ego* præoccupatus, ponit tanquam principium primum : *Ego cogito, ergo sum.* « Hæc cognitio, ait, *ego cogito, ergo sum*, est omnium prima et certissima, quæ cuilibet ordine philosophanti occurrat. — *Principiorum Philosophiæ pars prima*. § VII. — Cfr. quoque epistolam ejusdem auctoris ad princ. philosoph. interpretem Gallicum.—Si hoc principium a Cartesio poneretur *ut primum ex parte cogitantis*, nil in ipso posset reprehendi. Potestne ex parte nostri, quatenus cogitantes sumus, esse aliquid ipsa cogitatione prius? — Si ab ipso tamen poneretur, *absolute ut primum*, ita nempe, *ut omnium*

VI. *Hæc quatuor principia a nobis numerata, apprime naturæ judicii respondent.*

Uti ex dictis facile est perspicere, hæc quatuor principia a nobis exposita, apprime naturæ judicii respondent. Etsi enim judicium, physice ac entitative consideratum, sit una ac simplex vis animæ rationalis, in ordine tamen ideali, quatuor facies possunt in ipso spectari : Una ex parte sui, prout est viva quædam affectio animi, ipsa se percipiens. Altera ex parte objecti, quod est terminus ejus. Tertia ex parte habitudinis existentis inter judicium, prout est vis quædam potens manifestare verum, et objectum. Ultima, ex parte motivi, determinantis judicium ad assensum. Porro,

aliarum rerum cognitio ab ipso ita dependeat, ut cognosci quidem ipsum possit non cognitis istis, sed istæ non vicissim sine illo, tunc sane sententia Cartesii, ut excedens, esset reprehendenda.

Cartesiani aliqui aliud principium statuerunt : *Quidquid in alicujus clara et distincta idea continetur potest de illo vere affirmari.* Idem fere de hoc principio, quod de Cartesii principio diximus, dicendum est : *Ex parte motivi ad assentiendum*, vere est primum ; sin *absolute* sumatur, non est primum.

Leibnitius demum duo principia statuit tanquam prima, principium nempe *contradictionis*, et principium *rationis sufficientis*, *Nihil est sine ratione sufficienti.* — Principes de la philosophie de Leibnitz, rédigé pour le prince Eugène. — «Nos raisonnements sont fondés, ait ipse, sur deux grands principes : le premier est le principe de la contradiction, en vertu duquel nous jugeons faux ce qui implique contradiction ; et véritable, ce qui est opposé au faux, ou qui le contredit. § 31. — Le second est le principe de la raison suffisante, en vertu duquel nous voyons qu'aucun fait, aucune énonciation ne peuvent être véritables, à moins qu'il n'y ait une raison suffisante pourquoi la chose est ainsi et non autrement, quoique ces raisons puissent le plus souvent nous être inconnues.» § 32. — Hoc secundum principium nimis vagum est et obscurum ; verum forte potest ipsum revocari in duo principia logica, supra a nobis in textu proposita.

prima facies exprimitur per principium : *Ego cogito*, quod *psychologicum* nuncupari potest. Alia facies, per principium : *Impossibile est idem*, etc., quod *ontologicum* potest nominari. Tertia facies per principium : *Intellectus est facultas*, etc., quod *logicum* dici potest. Quarta denique, per principium : *Quidquid distincte ac evidenter*, etc., quod *logicum* quoque appellari licet. Apparet ergo manifesto, hæc quatuor principia apprime respondere naturæ judicii, diversimode spectati.

VII. *Etsi ex hisce principiis, absolute consideratis, principium ontogicum sit prius aliis, tamen respectu judicii, nulla inter ipsa existit prioritas.*

Si aliquis modo quærat : Habentne hæc principia aliquam prioritatem inter se? Respondendum est distinguendo : Si unum principium, absolute sumptum, comparetur cum alio, tunc sine dubio principium ontologicum, ratione suæ universalitatis, ex omnibus est primum. Si vero unum principium cum aliis comparetur respectu judicii, tunc nullum potest sine aliis cognosci ; sed omnia sunt simul, ipsam interiorem constitutionem judicii exprimentia. Etenim judicium quodlibet, universe sumptum, essentialiter constituitur ex quatuor elementis, ex elemento psychologico, ontologico, et ex duobus logicis, quorum si unum subtrahatur, tota perit natura judicii. — Hactenus de primis principiis.

CONCLUSIO HUJUS SECTIONIS.

De natura secundæ operationis intellectus, de expressione sensibili, de variis divisionibus ac proprietatibus ejus, de regulis recte judicandi, nec non de primis principiis, quæ hujus operationis sunt termini, hactenus dictum est.

Perstringendo modo quæ diximus : Qui rectum, verum, prudens, ac bene temperatum judicium de rebus formare cupit, hæc potissime fideliter servare debet :

1° In primis, diversa instrumenta, quibus natura nos

INSTRUXIT PRO DIVERSIS JUDICIIS FORMANDIS, SEDULO DISTINGUAT ET RECOGNOSCAT, EAQUE OMNINO IN APERTO PONAT, AC SIMUL ATTENTE EXPENDAT ET DISTINCTE DEFINIAT VIRTUTEM DIVERSAM, QUAM HABENT, IN MOVENDO AC DETERMINANDO JUDICIUM MENTIS.

2° PROPOSITIONEM, SI QUÆ SIT, EXPRIMENTEM JUDICIUM OBSCURUM, VEL CONFUSUM ET INCERTUM, IN SUOS TERMINOS RESOLVAT; DEINDE NOTIONEM, IN UNOQUOQUE TERMINO EXPRESSAM, ATTENTE CONSIDERET ET DEFINIAT. POSTEA, COMPARATIONEM INSTITUAT INTER UTRAMQUE, QUA COMPLETA, SI EARUM UNIONEM VEL DISJUNCTIONEM IMMEDIATE COMPERIAT, TUNC AFFIRMET VEL NEGET; SI VERO NEQUE UNIONEM, NEQUE EARUM DISJUNCTIONEM IMMEDIATE COMPERIAT, ALIA OPERATIONE, RATIOCINIO NEMPE, UTATUR. IN AFFIRMANDO AUTEM VEL NEGANDO, SCIAT SEMPER MOTIVUM AC VIM MOTIVI SUI ASSENSUS; IN HOC ENIM GNARUS AB IGNARO PROPRIE DISCERNITUR.

3° ULTIMO, MENTEM SUAM EXORNARE STUDEAT, AXIOMATIBUS ET PRINCIPIIS CLARIS AC OMNINO CERTIS, QUÆ NULLA PROBATIONE EGENT, QUÆQUE COGNITIONI UNIVERSALITER PRÆSUNT, ET A QUIBUS NOVÆ COGNITIONES ERUI POSSUNT : TALE ENIM ORNAMENTUM PERFECTIONEM, EXERCITIUM, AC RECTITUDINEM JUDICII QUAMPLURIMUM ADJUVAT. — Hæ sunt præcipuæ præceptiones, quæ ex dictis, per modum conclusionis, hic colligi debere duximus.

SECTIO TERTIA.

DE ULTIMA OPERATIONE MENTIS QUÆ EST RATIOCINIUM.

CAPUT I.

QUÆ AD CONSTITUTIONEM RATIOCINII PERTINENT, DECLARANTUR.

I. *Definitur quid sit ratiocinium.*

Operatio mentis, per quam duæ notiones cum una tertia comparantur, ut inde earum convenientia vel discrepantia per illationem comperiatur, proprie dicitur *ratiocinium.* — Solet ipsum definiri : *Est operatio intellectus, per quam unum ex alio infertur.* Potest etiam distinctius definiri : *Est operatio mentis, per quam una notio cum alia jungitur, quia ambæ cum una tertia* SECUNDUM IDEM *junguntur; aut, una notio ab alia disjungitur, quia una earum cum tertia convenit, a qua alia* SECUNDUM IDEM *discrepat.* — Facile ista in hoc ratiocinio possunt expendi : *Qui in divitiis est pauper, est magnus. Atqui Paulus in divitiis est pauper. Ergo Paulus est magnus.*

II. *Elementa, ex quibus constituitur ratiocinium, recensentur.*

Ex allata vero definitione elementa, ex quibus constituitur ratiocinium, colligi possunt. Sunt autem ipsa, quæ sequuntur : 1° Ratiocinium tribus notionibus tantum, nec pluribus nec paucioribus, componitur; tota enim natura ejus con-

sistit in comparatione duarum notionum cum una tertia, ut inde earum unio vel disjunctio possit inferri.

2° Ratiocinium tribus judiciis, nec pluribus nec paucioribus, componitur : in duobus primis duæ notiones cum una tertia, quæ est terminus comparationis, comparantur ; in ultimo autem, convenientia vel discrepantia earum notionum, quæ cum tertia fuerunt comparatæ, affirmatur.

3° Ratiocinium demum constituitur ex connexione ultimi judicii cum duobus præcedentibus; quæ connexio tota in ratione *continentis et contenti* consistit; quatenus scilicet, judicium ultimum, quod per modum conclusionis ponitur, in duobus prioribus, e quibus infertur, tanquam in germine, occultatum et involutum continetur.

Constat ergo elementa ratiocinia tria esse : *Tres notiones, tria judicia, et connexionem ultimi judicii cum prioribus*, quod ex definitione ratiocinii quisque videre potest.

III. *Proponuntur quinque regulæ ad constitutionem ratiocinii pertinentes.*

Ab eadem definitione ratiocinii quinque regulæ circa notiones ipsum constituentes, possunt comperiri. Prima respicit *notionem quæ est terminus comparationis*, eaque est hujusmodi : Notio, quæ in ratiocinio est terminus comparationis, talis debet esse, ut notiones, de quarum conjunctione quæritur, vel ambæ cum ipsa conveniant, vel una conveniat, altera vero non. Etenim ex comparatione ista judicium aliquod, vel affirmativum vel negativum, debet posse inferri, alioquin supervacaneum esset ratiocinium. Porro, ut judicium aliquod affirmativum inferatur, ambæ notiones, quarum una de alia affirmatur, debent convenire cum tertia; ut autem negativum, una ex notionibus convenire debet, altera non. Nam si neutra cum tertia conveniret, nihil inferri posset; ex puris enim negativis nihil sequitur.

Altera regula respicit modum, quo duæ notiones cum

tertia comparari debent : Hæc comparatio debet fieri secundum rationem formalem omnino eandem, ita scilicet, ut præcise sub eo conceptu, sub quo una notio cum tertia comparatur, sub eodem omnino et alia comparetur oporteat. Nam si una notio secundum unam habitudinem, alia secundum aliam cum tertia compararetur, in quo ipsæ conveniant inter se vel discrepent, non posset perspici ; ratiocinium proinde, cujus finis est ostendere convenientiam vel discrepantiam duarum notionum, mediante comparatione ipsarum cum una tertia, finem suum non assequeretur.

Tertia regula determinat, quænam sint notiones, ex quibus judicium, quod infertur, constituitur : Judicium, quod infertur, debet necessario constitui ex duabus illis notionibus, quæ fuerunt in præmissis cum tertia comparatæ ; de earum enim unione vel disjunctione ratiocinium quærit.

Quarta regula respicit modum, quo notiones jungi debent inter se in conclusione illata : Notiones componentes judicium illatum, debent uniri inter se, prout unitæ fuerunt cum tertia in præmissis ; hoc est, *affirmative* si ambæ cum illa conveniant, *negative* vero si una conveniat, altera vero non : secundum eam latitudinem insuper vel restrictionem accipi debent, secundum quam in ipsa comparatione cum tertia fuerunt acceptæ. Ratio hujus regulæ est, quia judicium, quod infertur, non est, nisi quædam expressio et declaratio ejus, quod implicite continetur in præmissis.

Quinta regula docet, qualia debeant esse judicia, ex quibus tertium infertur : Judicia, ex quibus tertium infertur, talia debent esse, ut non sint minus certa, nec minus clara ipso judicio illato ; causa enim potest quidem suo effectu potior esse, nunquam tamen minor. « Quicumque, ait Aristoteles, ex iis, quæ improbabiliora sunt conclusione, argumentari aggrediuntur, eos patet non scite argumentari ; proinde interrogantibus hæc non sunt concedenda (1). »

(1) Aristot. Topicorum lib. VIII, cap. 5, edit. Didot, vol. I, p. 268.

IV. *Omne ratiocinium incipit a quibusdam primis principiis indemonstrabilibus et immediatis, ac in ipsa ultimo revocatur.*

« Omnis doctrina, ait Aristoteles, et omnis disciplina ratione percipienda, ex præcedenti fit cognitione (1), » quæ per ratiocinium non probatur. Et merito quidem, nam judicia, quæ plerumque in ratiociniis adhibentur, etsi et ipsa per ratiocinium ostendantur; attamen deveniendum est tandem in quædam principia, quæ per ratiocinium probari nequeunt; alioquin esset progressio infinita ex parte intellectus, quod dicere est absurdum. Ratiocinium ergo, uti ipsi experimur, ab aliquo immobili debet primo incipere, a notionibus nempe simplicibus; a judiciis, quæ sive per sensus externos sive per sensum internum, sive per lucem intellectivam immediate, sine ratiocinio ab intellectu percipiuntur.— Sunt autem hæc ipsa principia, immediate cognita, in quæ omne ratiocinium ultimo revocatur; in id enim ultimo unumquodque revocatur, a quo ipsum primo incipit.

Si quis ergo quærat : Unde lumen, unde firmitas in ratiocinio? Respondendum est : Ab illa cognitione vera, prima, immediata, indemonstrabili, notiori et priori, quæ fit sine ratiocinio; ab hac cognitione ratiocinium primo incipit, et in ipsam ultimo redigitur.

V. *De primo principio, in quo omne ratiocinium fundatur.*

Cognitis primis elementis, ex quibus ratiocinium constituitur; nunc de primo principio, in quo ipsum fundatur, dicendum est. Principium vero, in quo ratiocinium primo fundatur, dicitur illud, per quod generatim ostenditur, *judicium, quod infertur, esse legitime illatum.*

Principium ergo generale, in quo legitima ratiocinii illatio

(1) Analytic. Post. lib. I, cap. 1, edit. Didot, vol. I, pag. 121.

stabilitur, hoc est : *Idem, quod* IMPLICITE *asseritur*, EXPLICITE *assertum est sibi idem.* Et vere quidem, in omni ratiocinio, duæ notiones vel reipsa convenire asseruntur cum una tertia, vel una convenire asseritur, altera vero non.

Si primum, tunc ipsæ, in illa ipsa convenientia cum tertia, *implicite* asseruntur convenire inter se. Ergo quando in judicio illato *explicite* asseritur earum convenientia, *explicite* tunc asseritur id, quod jam *implicite* assertum fuerat in præmissis.

Si vero in præmissis una notio asseritur convenire cum tertia, alia vero non, tunc in ipsa illa discrepantia, notiones *implicite* asseruntur in præmissis, non convenire inter se. Ergo quando in judicio illato *explicite* asseritur earum discrepantia, idem tunc *explicite* asseritur, quod jam *implicite* assertum fuerat in præmissis.

Compertum est igitur, principium primum, in quo tota vis illativa innititur, hoc esse : *Idem quod* IMPLICITE *asseritur*, EXPLICITE *assertum est sibi idem* (1) ; quod quidem principium est solidissimum, fundatur enim immediate in ipso principio contradictionis. — Hinc vero, etiam norma pro veritate ratiocinii colligi potest ; nam si quod *implicite* asseritur in præmissis, verum sit, verum quoque est id, quod in judicio legitime illato *explicite* asseritur ; alioquin *Idem simul, secundum idem, esset verum et non verum.* Sin falsum sit quod

(1) Hoc principium sic expositum, non differt reipsa ab aliis, quæ solent pro hac materia adduci, nisi quia rem eandem clarius forte proponit. Et vere quidem, quando dicitur principium ratiocinii esse illud : *Quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se* — vel, *Dici de omni, et dici de nullo*, hoc est : Quidquid dicitur universaliter de aliqua re, dicitur de omni contenta sub illa — et, Quidquid negatur de aliqua re, negatur de omni contenta sub illa — vel, *Quæ sunt idem eidem, sunt idem inter se*, et, *Quorum unum est idem cum aliquo tertio, aliud vero non est idem, ea non sunt idem inter se* — tota vis, ut patet, horum principiorum in eo continetur, quod idipsum, quod *implicite* asseritur de duabus notionibus cum tertia comparatis, *explicite* asseritur de ipsis inter se. Ex quo apparet, principium a nobis propositum reipsa ab aliis non differre.

in præmissis, per se falsum et illatum : quandoque tamen *aliunde, in materia contingenti*, verum; ut, *Omnes Apostoli fuere proditores. Judas fuit Apostolus. Ergo proditor.*

CAPUT II.

DE EXPRESSIONE SENSIBILI RATIOCINII, EJUSQUE DIVISIONE.

I. *Variæ voces, quibus ratiocinium et elementa ejus sensibiliter exprimuntur, declarantur.*

In capite proxime antecedenti, ut ratiocinium in sua nativa simplicitate, omni sensibili elemento remoto, magis appareret, de interiori ejus constitutione duntaxat dictum est, nihil autem de ejus expressione sensibili. Plerumque enim, cum de operationibus mentis tractatur, fit, quod animus ad sensibiles expressiones nimis intentus, negligat se ad interiora revocare, a quorum experientia tamen et observatione, cognitionem suarum operationum potest solum attingere.

Verum tamen de expressione sensibili ratiocinii aliquid breviter nunc dicere minime est omittendum; est enim hoc necessarium, ut sic in ipsa voce, quod intus per observationem est haustum, recognoscatur, magis determinetur, ac verbis disciplinatis possit exprimi, quæ de ratiocinio sunt nota.

Signum igitur sensibile exprimens operationem mentis, per quam unum judicium ex alio infertur, vulgo *ratiocinium*, *discursus*, *ratiocinatio*, *argumentatio*, maxime vero *syllogismus* nominatur(1); ipsum definiri solet : *Oratio in qua una propositio ex alia infertur.*

(1) Συλλογισμός, latine, *computatio*, *ratiocinatio* dicitur, a συλλογίζεσθαι, quod verbum, ut notat Trendelenburgius, § 20, *proprie est computando*

Diversæ voces, quæ tres notiones, ratiocinium constituentes, exprimunt, termini dicuntur; e terminis autem, qui in propositione illata habet rationem *subjecti*, vocatur *minus extremum*; qui rationem *prædicati*, *majus extremum*; terminus vero exprimens notionem, cum qua et minus et

vel ratiocinando conjungere. Nam tota ars syllogistica in eo consistit, ut duobus positis, in quibus duæ notiones cum tertia comparantur, sequatur tertium, in quo duæ illæ notiones, quæ fuerunt cum tertia comparatæ, in unum colliguntur. — Hæc vox *syllogismus* quandoque significat argumentationem in genere; quandoque de qualibet argumentatione in particulari, et de ipsa *inductione* dicitur, Arist. Analyt. Prior. lib. 2o, cap. 25, edit. Didot, pag. 116; quandoque vero significat argumentationem, quæ ab inductione distinguitur; nam argumentatio syllogistica sumitur pro progressione *ab universali ad particulare*, inductiva vero *a singulis ad universale*. Arist. Topic. lib. I, c. X, p. 179.

Inventor artis syllogisticæ Aristoteles fuit, ut ipse testatur, cujus verba de hac re audire non sit molestum : «Hujus tractationis (de syllogismis conficiendis), ait ipse, non aliud erat, aliud non erat excultum : *sed nihil prorsus extabat*. Nam eorum, qui in litigiosis disputationibus quæstum faciebant, institutio quædam erat similis Gorgiæ tractationi. Alii enim orationes rhetoricas, alii vero ad interrogandum comparatas tradebant ediscendas, in quas utrique putabant mutuos sermones plerumque incidere. Idcirco celeriter quidem, sed citra artem discipulos suos docebant; non enim artem, sed quæ ab arte efficiuntur, tradendo, putabant se recte instituere; perinde ac si quis professus, se traditurum scientiam cavendi ne pedes doleant, postea non doceat corium incidere, nec unde ejusmodi instrumenta parari possint, sed multa det genera variorum calceorum ; hic enim ad usum quidem profuit, artem autem non tradidit. Ac de rhetoricis quidem multa et antiqua dicta exstabant; *de syllogismis vero conficiendis nihil aliud habebamus omnino antea, quod diceremus*, sed per exercitationem quærendo multum temporis laboravimus.» — De sophist. Elenchis, c. XXXIV, edit. Didot, pag. 309. — Syllogismus vero ab Aristotele sic definitur : «Oratio in qua, positis quibusdam, aliud quiddam a positis diversum necessario efficitur per ea, quæ posita sunt.» Arist. Top. lib. I, cap. I, pag. 179.

majus extremum comparatur, dicitur *medium*; siquidem inter utrumque extremum est positione *medium* (1).

Oratio vero in qua majus extremum cum medio comparatur, dicitur communiter *propositio major*, a nonnullis *expositio*, vel etiam absolute, *propositio*; est enim in argumentatione aliis omnibus universalior, et locum principii tenet. — Ea, in qua minus extremum cum eodem medio comparatur, quæ est minus universalis, quæque secundum locum occupat, vocatur *propositio minor*, vel *assumptio*. — Propositio major et minor *sumtiones* etiam dicuntur, et *præmissæ*, vel etiam *antecedens*, quia conclusioni præmittuntur.

Oratio vero, in qua majus et minus extremum uniuntur vel separantur inter se, quæque per modum illationis ponitur, nuncupatur *consequens* vel *consecutio*, quia a præmissis infertur; vel *conclusio*, quia est terminus ratiocinii ac veluti limes; vel *complexio*, quia majus et minus extremum complectitur.

Habitudo denique illa *continentis et contenti*, seu *inferentis et illati*, quæ est inter præmissas et conclusionem, dicitur *consequentia*, eaque exprimitur per particulam illativam, *ergo*, *igitur*, *itaque*, *quamobrem*, etc. (2).

(1) Medium a Tullio, aliisque latinis *argumentum* nominatur : tota enim vis ratiocinii in medio consistit; quæ denominatio et ipsi origini vocis respondere videtur : « Ratio, quæ in scholis, ait Vico, *medius terminus* dicitur, *argumen* sive *argumentum* (qui sectæ Italicæ fuerunt) appellarunt. Argumen autem inde unde et argutum, seu acuminatum. Arguti autem sunt, qui in rebus longe dissitis ac diversis, similem aliquam rationem, in qua sint cognatæ, animadvertunt; et ante pedes posita transiliunt, et a longinquis locis repetunt commodas rebus, de quibus agunt, rationes : quod specimen ingenii est, et acumen appellatur. » — De antiquissima Italorum sapientia, cap. VII.

(2) Advertatur inde discrimen inter *consequens* et *consequentiam* : *consequens* exprimit judicium illatum, *consequentia* connexionem ejus cum præmissis. Hinc in schola solemus negare vel concedere conse-

II. *De variis capitibus e quibus divisio ratiocinii sumi potest.*

Diversa sunt capita, quibus partitio ratiocinii sumi potest : Ratiocinium enim dividi potest, 1° ex parte *expressionis sensibilis*, 2° Ex parte *materiæ* circa quam versatur ratiocinium ; quæ alia est proxima, et sunt judicia, alia vero remota, et sunt notiones. 3° Denique ex parte *formæ*, quæ est connexio illa judicii illati cum præmissis, quæ argumentationis animam constituit (1). De omnibus his distincte oportet tractare.

III. *De divisione ratiocinii ex parte expressionis sensibilis, nempe de syllogismo formato et informi, simplici, conditionali, causali, disjunctivo, copulativo, relativo, de epicheremate, sorite, polysyllogismo et dilemmate, demum de syllogismo truncato seu de enthymemate.*

Ratiocinium ex parte sensibilis expressionis, est *syllogismus formatus* vel *informis*. Syllogismus formatus est simplex vel compositus. Compositus est conditionalis, vel causalis, vel disjunctivus, vel copulativus, vel relativus, est vel epicherema, vel sorites, vel polysyllogismus, vel dilemma ; præter has formas exprimendi syllogismum, est quædam decurtata, quæ nuncupatur enthymema.

quentiam prout est illatio legitima, vel non ; distinguimus autem consequens, si sit ambiguum. Quandoque etiam concedimus consequentiam, quia legitima est, negamus vero consequens, quia etsi legitime illatum, est tamen falsum propter præmissas falsas.

(1) *Forma argumentationis* communiter sumitur etiam pro dispositione illa artificiosa terminorum et propositionum, quæ proprie logicam argumentationis structuram constituit. — De forma argumentationis hoc sensu accepta, dicemus postea, cum de modis ac figuris syllogismi tractabitur ; in hoc capite de forma intrinseca et essentiali dicere oportet, quæ in nexu conclusionis cum præmissis consistit, sine quo nullum potest esse ratiocinium.

Syllogismus dicitur FORMATUS quando exprimitur in *forma*, oratione nempe nuda, tota ossibus constante, *in qua termini ac propositiones suo quæque loco, ordinate ac distincte collocantur*. Ex. c. Optima causa sapienter omnia facit; atqui Deus est optima causa; ergo Deus sapienter omnia facit. — Syllogismus dicitur INFORMIS, si extra formam proponitur, soluta nempe oratione, quæ tribus terminis ac tribus propositionibus utique constat, sine ulla tamen artificiosa dispositione. Hic modus syllogizandi familiaris fuit Aristoteli et Divo Thomæ; nam modus ille formatus, pressa ac jejuna oratione arguendi, nonnisi media ætate contra cavillatores invaluit. Est modus iste non pompæ quidem, sed pugnæ aptissimus, quem sophistæ, quibus epidicticum genus dicendi multum arridet, timent et abhorrent.

Syllogismus SIMPLEX, qui et *absolutus* dicitur vel *categoricus*, est syllogismus *tribus tantum, iisque simplicibus propositionibus constans*. Syllogismus vero COMPOSITUS est ille qui vel propositionibus compositis conflatur, vel etiam pluribus syllogismis; tales sunt, qui immediate sequuntur.

Syllogismus CONDITIONALIS vel HYPOTHETICUS dicitur ille, cujus major est propositio conditionalis, propositio nempe affecta particula *si*; in ipsa quod sub conditione sumitur, vocatur *antecedens*, quod autem a conditione infertur, *consequens*. Modus proponendi syllogismum conditionalem est duplex; vel enim ex positione antecedentis in minori, infertur positio consequentis in conclusione; vel ex remotione consequentis in minori, infertur remotio antecedentis in conclusione. Primi modi hæc est formula : *Si Petrus sit amator Dei* (en antecedens), *est amator hominum* (en consequens). *Atqui Petrus est amator Dei* (en positio antecedentis in minori). *Ergo Petrus est amator hominum* (en positio consequentis in conclusione, illata ex positione antecedentis in minori). — Alterius vero : *Si Paulus currit, movetur. Atqui Paulus non movetur* (en remotio consequentis in minori). *Ergo non currit* (en remotio antecedentis in conclusione).

Lex hujus duplicis formulæ, hæc est : *Posito antecedente, ponitur et consequens*; *sublato consequente, tollitur et antecedens* (1).

Causalis dicitur syllogismus, si propositionibus causalibus constet. Ex. c. Ecclesia nihil timet, quia habet amicos in cœlo. Atqui habet amicos in cœlo, quia divina. Ergo ecclesia nihil timet, quia divina.

Disjunctivus vocatur syllogismus, cujus major est disjunctiva. — Si membra disjuncta sint duo tantum, tunc ex affirmatione unius infertur negatio alterius; et econverso, ex negatione unius affirmatio alterius. Ex. c. Substantia aut simplex et indivisibilis est, aut composita. Atqui anima humana est substantia simplex et indivisibilis. Ergo non est composita.

Sin membra disjuncta sint plura quam duo, negatis omnibus, excepto uno, illud ipsum unum affirmatur; vel uno sumpto, reliqua negantur. Ex. c. Humana societas in præsenti, tota, in omnibus, ac semper aut rationi subjicitur, aut passioni, aut alternatim quandoque rationi, et quandoque passioni. Atqui non in omnibus ac semper rationi subjicitur, neque passioni. Ergo alternatim quandoque rationi et quandoque passioni. Vel, relinquendo majorem sicut jacet, Atqui humana societas quandoque rationi, quandoque passioni subjicitur. Ergo non semper, in omnibus, ac tota, rationi subjicitur, vel passioni.

Sin demum, ex pluribus uno negato, de reliquis non constet, tunc ipsa in conclusione sunt disjunctive affirmanda.

(1) Notandum est autem hic, quod, si in propositione conditionali eadem sit notio prædicati antecedentis et consequentis, tunc ex positione consequentis in minori, bene potest inferri, positio antecedentis in conclusione; quia mutuo se inferunt. Ex. c. Si Petrus sit homo, est rationalis (hic notio prædicati *homo* et *rationalis* est eadem). Atqui Petrus est rationalis (en positio consequentis in minori). Ergo Petrus est homo (en positio antecedentis in conclusione).

Ex. c. Anima Francisci vel in cœlo est, vel in purgatorio, vel in inferno. Atqui non in inferno. Ergo vel in cœlo vel in purgatorio.

In hoc genere syllogismorum curandum est, ne enumeratio partium, quæ disjunguntur, sit manca.

Copulativus dicitur syllogismus, si aliqua ex præmissis est copulativa. Ex. c. Non potest quis simul dare totam suam operam vitæ activæ et vitæ contemplativæ. Atqui Bruno totam operam suam dat vitæ contemplativæ. Ergo non vitæ contemplativæ. Si membra copulata sint reciproca, a positione unius ad remotionem alterius, et econverso concludi potest. Si vero non sint reciproca, tunc a positione unius ad negationem alterius, non autem econverso.

Epicherema, juxta Aristotelem, est *syllogismus dialecticus*, tentamen scilicet ac conatus animi ad aliquid, demonstratione probabili duntaxat, ostendendum; dicitur enim ab ἐπιχειρέω, latine, *conor*, *aggredior*, *argumentis probare conor*. « Est autem, ait ipse, philosophema syllogismus demonstrativus (evidens nempe probatio); epicherema vero *syllogismus dialecticus* (1). » Verum postea, hæc vox adhibita est ad eam speciem argumentationis significandam, *in qua uni vel alteri præmissæ, vel utrique simul adjicitur probatio*. Ex. c. Operatio illa animi, quæ est omnibus sublimior, quæque circa altissimum objectum versatur, summam felicitatem constituit. Atqui cognitio et amor Dei est operatio illa animi, quæ est omnibus sublimior, quæque circa altissimum objectum versatur; nam cognitio et amor Dei sunt operationes partis intellectivæ, quæ in homine sunt supremæ; Deus autem est altissimum objectum intellectus et voluntatis. Ergo cognitio et amor Dei summam hominis felicitatem constituit.

Sorites a σωρεύω, *cumulo*, *congero*, significat argumentationem pluribus propositionibus coagmentata; inter se ita

(1) Topicorum lib. VIII, cap. 11, n. 15, edit. Didot, vol. I, p. 272.

connexis, ut prædicatum propositionis antecedentis, fiat subjectum proxime sequentis; hoc ordine usque ad conclusionem ipsa discurrit, in qua subjectum primæ propositionis cum prædicato postremæ jungi debet. Ex. c. Vir bonus habet bonam conscientiam. Qui habet bonam conscientiam, fruitur illa. Qui fruitur bona conscientia, fruitur magno bono. Qui fruitur magno bono, est beatus. Ergo vir bonus est beatus. — Hoc genus argumentandi non est admodum usitatum, quippe illa propositionum congeries animum nimis gravat; insuper, in ipsis enumerandis est facile fallaciam surrepere. — Nihilominus non est negandum, soriten conclusionum compendiis multum posse inservire.

Prosyllogismus, qui et polysyllogismus nuncupatur, significat argumentationem duobus saltem syllogismis constantem, in qua conclusio prioris fit præmissa posterioris. Ex. c. Quod non habet rationem existendi in se, non est a se. Atqui mundus non habet rationem existendi in se. Ergo mundus non est a se. Atqui quod non est a se, habet causam sui esse Ergo mundus habet causam sui esse.

Dilemma significat syllogismum expressum propositione disjunctiva, ac duabus conditionalibus, quæ ambæ ad aliquid contra adversarium concludendum adhibentur. Ex. c. Voluptuarius aut habet quod appetit, aut non habet. Si habeat; ergo ab ipsa deordinata rei possessione angitur : si non habeat; ergo ab ipso inordinato desiderio habendi torquetur. Nullus igitur voluptuarius est beatus.— Pro rectitudine hujus argumentationis requiritur : 1° Enumeratio partium propositionis disjunctivæ debet esse completa; siquidem incompleta relicta, daretur medium, conclusio proinde non foret legitima. 2° Oportet conclusiones partium esse necessarias, h. e. habere connexionem necessariam cum præmissis. 3° Cavendum est, ne contra ipsum arguentem possit dilemma retorqueri.

Enthymema, missa nunc vetere Aristotelea significatione (1), juxta recentiores, est syllogismus truncatus, in quo prima vel secunda propositio, animo retenta, voce non exprimitur; ut si dicam : Multi timent Petrum. Ergo Petrus multos timet; in qua argumentatione retinetur animo propositio universalis: *Quem multi timent, multos timet.*

Omnia hæc diversa genera argumentationis, ut liquet, non sunt, nisi varii modi exprimendi syllogismum, qui omnes proinde facile in unum modum possunt revocari.

IV. *De divisione syllogismi ex parte materiæ.*

Syllogismus ex parte materiæ, pro diversa natura terminorum ac judiciorum, ex quibus constituitur, est vel *demonstrativus*, vel *dialecticus*, vel *sophisticus*, vel *expositorius*, vel *affirmativus*, vel *negativus*.

Syllogismus dicitur demonstrativus, si ejus conclusio inferatur ex principiis certo cognitis, veris ac necessariis, quæ aliter nequeunt se habere; sive prima, immediata, ac indemonstrabilia ipsa sint, sive a primis, immediatis, ac indemonstrabilibus evidenter deducantur. Ex. c. Quod non potest discerpi, non potest corrumpi. Atqui substantia simplex non potest discerpi. Ergo non potest corrumpi.

Syllogismus dialecticus est ille cujus conclusio ex proba-

(1) Enthymema apud Aristotelem non est syllogismus decurtatus, sed *syllogismus imperfectus ex probabilibus aut signis* — Analytic. Prior. lib. II, c. 29, edit. Didot, pag. 118. Merito proinde scribit Trendelenburgius : «Enthymematis nomen si qui inde ducunt, quod propositio vel assumptio ἐν θυμῷ, animo retineatur : quum ab origine Græca tum ab Aristotelis usu discedunt. Verius igitur Jacobus Facciolati (l. I, p. 6) enthymema dici, quia sit sententia quædam seu commentatio mentis nostræ, quærentis in re aliqua quid vero consentaneum sit et ad persuadendum accommodatum ; esse enim ἐνθυμεῖσθαι versare animo, cogitare, commentari.» — Elementa Logices, inter adnotata, § 37.

bilibus tantum deducitur, ex iis nempe, quæ *videntur* omnibus, aut plurimis, aut doctis; et quidem aut omnibus doctis, aut plurimis, aut celeberrimis et clarissimis. Vel etiam ex iis, quæ, cum neque ex se, neque ex aliis evidenter cognoscantur, solum secundum aliqualem similitudinem cum vero, sine firma ac constanti assensione animi percipiuntur.

Syllogismus SOPHISTICUS vocatur ille, cujus conclusio ex iis, quæ probabilia videntur, at vere non sunt, colligitur; aut ex iis, quæ, reipsa vel apparenter, sunt probabilia, videtur sequi, revera tamen non sequitur (1).

Syllogismus nominatur EXPOSITORIUS, si medius terminus sit *singularis*; ut, Petrus est doctus; atqui Petrus est homo; ergo aliquis homo est doctus. Expositorius vocatur, quia ut advertit D. Thomas, per sensibilem resolutionem, rem quasi sensibus exponit.

Syllogismus demum AFFIRMATIVUS vel NEGATIVUS nuncupatur, prout ex propositionibus affirmativis conflatur, vel negativis.

V. *De divisione syllogismi ex parte formæ, scilicet ex parte nexus conclusionis cum præmissis, in syllogismum deductivum et inductivum.*

Syllogismus ex parte nexus conclusionis cum præmissis, alius est *deductivus*, alius *inductivus*.

Syllogismus DEDUCTIVUS dicitur ille, qui a principiis universalibus ad singula, quæ subjiciuntur, procedit, nempe a toto logico ad partes subjectas (2). Ex. c. Quod contingens

(1) Cfr. Arist Lib. I Topic. cap. I, edit. Didot, vol. I, pag. 172. — Syllogismus, ut hic notat Aristoteles, cujus conclusio non connectitur cum præmissis, non est vere syllogismus; deest enim ei id, sine quo natura ratiocinii esse non potest, scilicet, nexus.

(2) Colligendæ conclusionis per modum deductionis non unus est modus. Primus sumitur *ab identitate judiciorum*, quando nempe aliis verbis idem omnino affirmatur vel negatur in conclusione, quod in

est, ab aliqua causa est. Atqui mundus contingens est. Ergo mundus ab aliqua causa est.

Syllogismus INDUCTIVUS dicitur ille, qui a singulis, sufficienter enumeratis, universale colligit; utputa, ex partibus totum, vel ex individuis speciem, vel ex speciebus genus, vel demum ex pluribus manifestationibus, secundum quas res aliqua, constanter, modo uniformi, quibuscumque extrinsecis

præmissis. Ex. c. *Hæc figura est triangulus. Ergo ipsa est figura tribus lineis circumscripta*; vel, *Hæc figura non est triangulus. Ergo est figura non circumscripta tribus lineis.*

Alius modus sumitur *a conversione*; ut, Aliquis homo est sanctus; ergo aliquis sanctus est homo. — Si conversio sit *simplex*, norma hæc est : posito vel sublato uno, ponitur vel tollitur alterum. Si *per accidens*, posita propositione convertenda, *quæ est universalis*, ponitur et propositio conversa, *quæ est particularis;* sublata propositione conversa, tollitur convertenda : posita vero propositione conversa, non inde ponitur propositio convertenda; vel sublata propositione convertenda, non inde tollitur propositio conversa.

Tertius modus sumitur a *subalternatione*, a genere ad speciem, a specie ad individuum. Norma hæc est : Posito subalternante, quod est universale, ponitur et subalternatum; sublato subalternato, tollitur subalternans; sublato subalternante, non inde tollitur subalternatum; vel posito subalternato, non inde ponitur in conclusione subalternans.

Quartus modus ducitur ab *oppositione*, quando scilicet, uno opposito pro vero habito, alterum ut falsum negatur, vel econverso. Lex universalis pro bonitate hujus conclusionis est, ut opposita nequeant esse simul vera, nec simul falsa; alioquin a positione unius non sequeretur negatio alterius, et viceversa.

Quintus modus a *modalitate* accersitur; utputa, cum affirmando ab *oportere esse* concludimus *reipsa esse*; vel *ab actu esse, posse esse.* — Vel negando, *a non posse esse* inferimus *actu non esse;* vel *ab non actu esse ad non oportere esse.*

Syllogismi qui ab *identitate*, vel *a conversione simplici* concludunt, potius ut *nominales* habendi sunt, quam ut reales; non enim in ipsis efficitur comparatio notionum diversarum inter se.

adjunctis remotis, extra se prodit, colligit legem stabilem, secundum quam res ipsa regitur, et quæcumque alia, quæ similitudinem naturalem habent cum ipsa.

Modus iste argumentandi vocatur inductivus, quia singula afferendo et congerendo universale colligit. Sic Aristoteles per inductionem ostendit, « *virtutem omnem et id cujus ipsa virtus sit, bene affectum reddere, et opus ejus dare rectum ac perfectum*. Exempli gratia, ait ipse, virtus oculi, quum oculum ipsum probum efficit, tum aptum eumdem ad suum munus explendum : virtute enim oculi bene cernimus. Itemque virtus equi, quum equum bonum efficit, tum ad currendum, equitemque vehendum et hostes excipiendos expeditum et paratum. Quod si ita est in omnibus, hominis quoque profecto virtus erit habitus, quo homo et bonus fiat, et suo munere bene fungatur (1). »

Propositio, quæ immediate ex vi solius inductionis colligitur, hæc est : RES *a*, CONSTANTER, MODO UNIFORMI, QUIBUSCUMQUE ADJUNCTIS EXTRINSECIS REMOTIS, REI *b* CONVENIT. Veritati experimentali sic compertæ, elementum intelligibile admoveri debet, hoc nempe principium universale : *Effectus constans et uniformis est a causa uniformi et constanti, ex determinatione naturæ semper eodem modo agente.* Quo admoto, colligitur tunc lex universalis *in essendo*, quoad tempus et quoad locum, tum pro iis, in quibus, singulatim acceptis, observata est constantia illa ac uniformitas phænomenorum; tum pro iis, quæ naturam eandem cum illis observantur habere, ex principio illo analogiæ : *Res similes inter se, in eo, in quo sunt similes, iisdem subjiciuntur legibus.*

(1) Ethica Nicomachea, lib. II, cap. VI, edit. Didot, vol. II, pag. 19.

CAPUT III.

DE DISPOSITIONE ARTIFICIOSA TERMINORUM ET PROPOSITIONUM, EX QUIBUS CONSTAT SYLLOGISMUS.

I. *Quid sit figura et quid modus syllogismi, declaratur.*

Declaratis iis, quæ ad naturam ac divisionem syllogismi pertinent, nunc, ut morem aliorum sequamur, de dispositione artificiosa terminorum et propositionum, ex quibus constat syllogismus, dicendum est. Etsi enim, quæ de hac re vulgo traduntur, admodum subtilia sint, ac, usu spectato, fere nullius emolumenti; attamen ad structuram argumentationis penitius ac plenius introspiciendam apprime valent. Quamobrem nec Aristoteles, nec qui post ipsum fuerunt, viri non infimi subsellii, hujusmodi tractationem, ut aliqui recentioris ætatis faciunt, sunt aspernati; sed de ipsa subtiliter diligenterque scripserunt.

Itaque, in hac logica structura syllogismi, quam in schola *formam syllogisticam* nominare solemus, vel *combinatio extremorum cum medio consideratur*, et hoc FIGURA syllogismi dicitur; vel *ordinatio propositionum inter se, secundum universalitatem et particularitatem* (quantitatem nempe seu extensionem), *affirmationem et negationem* (qualitatem scilicet) *earum*, et hoc MODUS syllogismi vocatur. — Primo de figuris, deinde de modis syllogismi oportet tractare.

II. *Figuræ syllogismi sunt tres, nec plures, nec pauciores ; quarta, quæ a nonnullis additur, non est nisi schema primæ figuræ.*

Cum figura syllogismi non sit aliud quicquam, quam combinatio extremorum cum medio; consectarium est, tot esse

figuras syllogismi, quot sunt modi possibiles combinandi medium cum extremis. Modi autem possibiles combinandi medium cum extremis tot sunt, quot sunt modi possibiles habitudinis inter medium et extrema. Modi vero possibiles habitudinis medium inter et extrema sunt tres tantum. Medium enim vel utrumque extremum sibi subjicit, vel utrique extremo subjicitur, vel unum extremum sibi subjicit, alteri autem subjicitur. Si utrumque extremum sibi subjiciat, tunc supremam sedem occupat in syllogismo, locum nempe prædicati, et secundam figuram constituit. Si utrique extremo subjiciatur, tunc infimam sedem tenet, locum nempe subjecti in utraque præmissa, et tertiam figuram constituit. Denique, si unum extremum sibi subjiciat, alteri vero subjiciatur, tunc mediam sedem occupat, in præmissa nempe locum subjecti, in altera locum prædicati tenet, ac primam perfectamque syllogismi figuram constituit.

Modi ergo possibiles habitudinis inter medium et extrema sunt tres tantum. Ergo et modi possibiles combinandi terminos syllogismi inter se sunt tres tantum. Ergo tres tantum sunt figuræ syllogismi, nec plures nec pauciores, quæ hoc versiculo solent exprimi :

Sub præ prima, sed altera bis præ, tertia bis sub.

Qui quartam figuram adjicere volunt, non advertunt sane ipsi, eam non inducere novam habitudinem medii cum extremis, sed eamdem omnino esse cum ea quæ primam figuram constituit. Re quidem vera, figura quarta, quæ ab Arabicis commentatoribus Aristoteleis Galeno tribuitur, in eo sita est, quod *medium habeat rationem prædicati in majori, subjecti vero in minori*. Porro, habitudine medii et extremorum tantummodo spectata (et hæc utique solum spectanda est, siquidem sola constituit figuram syllogisticam), nonne est manifestum, ipsam nullo modo differre ab ea habitudine medii cum extremis, quæ primam constituit figuram?

Verum est, propositionem majorem et minorem primæ

figuræ differre a majori et minori figuræ, quæ dicitur quarta; sed hoc reipsa, quod totum in metathesi seu transpositione majoris primæ figuræ in minorem ejusdem, et minoris in majorem consistit, non est nisi novum schema ejusdem figuræ primæ, quatenus ipsa bifariam exprimi potest: vel subjiciendo medium in majori, et prædicando ipsum in minori, vel econverso, prædicando ipsum in majori, subjiciendo vero in minori. — Sed de hac re satis.

III. *Normæ pro figuris syllogismi breviter exponuntur.*

Leges vero servandæ pro figuris syllogismi sunt istæ : Pro prima figura, medium non debet esse latius majori extremo, sed vel æquale vel angustius secundum prædicationem, quia subjicitur ei: respectu autem minoris extremi, non debet esse angustius, sed vel æquale vel latius, quia sibi subjicit ipsum.

Pro secunda figura, medium non debet esse angustius utroque extremo, sed vel latius vel æquale secundum prædicationem, quia sibi subjicit utrumque extremum, de utroque enim prædicatur in secunda figura.

Pro tertia figura demum, medium non potest esse latius secundum prædicationem utroque extremo; sed vel angustius debet esse vel æquale, ipsum enim in hac figura utrique extremo subjicitur.

IV. *Modi syllogismi, utiles et inutiles, pro varia combinatione propositionum, quam admittunt, sexaginta quatuor numerantur.*

Modi syllogismi, qui, ut supra dictum est, sunt variæ propositionum combinationes secundum universalitatem et particularitatem, affirmationem earum et negationem, sexaginta quatuor, utiles et inutiles, numerari possunt; tot modis enim propositiones, ex quibus constat syllogismus, secundum universalitatem et particularitatem, affirmationem et negationem possunt inter se disponi.

Quod ut facilius intelligatur, recolendum est hic id, quod supra in secunda sectione hujus libri dictum est, quantitatem scilicet et qualitatem propositionum exprimi per quatuor litteras, a e i o :

> Asserit A, negat E, verum generaliter ambo.
> Asserit I, negat O, sed particulariter ambo.

Jam vero, quælibet ex his litteris, cum seipsa et cum aliis, sexdecim modis ordinari potest. Quapropter omnes modi syllogismi, ex diversa dispositione harum litterarum repræsentati, omnino collecti, sexaginta quatuor numerantur, prout ex schemate, quod hic subjicitur, perspici potest :

A		E		I		O	
aaa =	aia +	eaa +	eia +	iaa +	iia +	oaa +	oia ×
aae —	aie —	eae =	eie +	iae —	iie ×	oae +	cie ×
aai =	aii =	eai +	eii +	iai =	iii ×	oai +	oii ×
aao —	aio —	eao =	eio =	iao —	iio ×	oao =	oio ×
aea +	aoa +	eea ×	eoa ×	iea +	ioa ×	oea ×	ooa ×
aee =	aoe +	eee ×	eoe ×	iee +	ioe ×	oee ×	ooe ×
aei +	aoi +	eei ×	eoi ×	iei +	ioi ×	oei ×	ooi ×
aeo ÷	aoo =	eeo ×	eoo ×	ieo ∴	ioo ×	oeo ×	ooo ×

Hi autem sexaginta quatuor modi, si tribus figuris applicentur, simul collecti, efficiunt centum nonaginta duas formas syllogismorum possibiles.

V. *Regulæ pro discernendo quinam ex recensitis modis sint utiles, et quinam inutiles.*

Verum, non omnes hi modi sunt utiles, neque proprie ad syllogismum pertinent, quia non omnes concludunt, sed aliqui tantum. Ut igitur utiles ab inutilibus discernantur, aliquæ regulæ sunt stabiliendæ, quæ etsi supra in capite primo, generali modo fuerint determinatæ; haud tamen est superfluum, eas modo sub alia expressione, magis determinatas, hic iterum ponere. — Sunt igitur octo regulæ, quarum quatuor primæ terminos syllogismi respiciunt; aliæ quatuor propositiones, ex quibus syllogismus constituitur. Ipsæ his versiculis vulgo proponuntur :

Terminus esto triplex, major, mediusque, minorque.—Hæc regula clara est : ipsa potius aliquid ad essentiam syllogismi pertinens exprimere videtur, quam ad normam ejus.

Latius hos, quam præmissæ, conclusio non vult. — Si enim termini conclusionis ampliori sensu acciperentur eo, qui in præmissis continetur, non esset ille sensus illatus; et proinde conclusio, cujus ratio est inferri a præmissis, non esset conclusio. Hæc regula reducitur ad quartam, quæ supra (pag. 278) fuit proposita.

Nequaquam medium capiat conclusio oportet. — Patet ex tertia regula (ibid.).

Aut semel, aut iterum medium generaliter esto.— Siquidem si medium, saltem in una præmissarum, non acciperetur generaliter-distributive, h. e. pro omnibus et singulis suis significatibus, non esset tunc terminus aptus, ut cum ipso, secundum idem, duæ notiones comparentur; posset enim tunc sumi disjunctive, secundum unam significationem cum uno extremo, secundum aliam cum altero. — Patet ex secunda regula (ibid.). — Notandum est tamen hic, quod si sit aliquis terminus singularis, qui pluribus communicari nequit, quique proinde pro uno eodemque semper supponit, bene potest tunc adhiberi ut *medium* in syllogismo ; quoad hoc

enim æquivalet termino universali distributo. Quod quidem contingit in syllogismo expositorio.

Nil sequitur geminis ex particularibus unquam. — Nam medium in utraque præmissa particulariter sumitur. — Patet ex secunda regula (ibid.).

Utraque si præmissa neget, nihil inde sequetur. — Ex eo enim quod duæ notiones, ambæ non conveniunt cum una tertia, non sequitur, quod conveniant vel non conveniant inter se. — Patet ex prima regula (pag. 277).

Pejorem sequitur semper conclusio partem. — Hoc est, si una præmissarum sit particularis, conclusio et particularis sit oportet, alioquin concluderetur, quod non esset in præmissis. — Si una præmissarum sit negativa, conclusio et negativa esse debet, ob eandem rationem. — Patet ex quarta regula (pag. 278).

Ambæ affirmantes nequeunt generare negantem. — Patet ex quarta regula (ibid.).

His regulis, prout expositæ sunt, intellectis, haud difficile est dignoscere, quinam ex illis modis sint utiles et quinam inutiles. Nam viginti septem notati per signum × constant ex præmissis negativis, aut particularibus, et proinde non concludunt. — In novendecim signatis nota + conclusio non sequitur pejorem partem.

Sex notati per signum — ex duabus affirmativis negativam inferunt. — Modus ille unus, signatus ∴, distribuit in conclusione majus extremum, quod in præmissis non fuit distributum. — Demum modus ille signatus per ÷ etiam ut inutilis est rejiciendus; conclusio enim, quæ deberet esse universalis, quippe quæ illata a minori negativa universali, in qua minus extremum universaliter sumitur, nihilominus est particularis; et proinde peccat contra quartam regúlam, a nobis supra (pag. 278) propositam.

Hisce omnibus modis explosis, decem qui remanent, signati per notam = sunt utiles, quorum quatuor sunt affirmativi : aaa — aai — aii — iai ; sex vero negativi : aee — eae — eao — aoo — oao — eio.

VI. *Modi syllogismi, decem qui remanent, si eorum termini juxta exigentiam trium figurarum disponantur efficiunt, novendecim formas syllogismi utiles.*

Hi vero modi syllogismi, quos utiles esse diximus, si termini juxta exigentiam trium figurarum diversimode disponantur, efficiunt novendecim formas syllogismi utiles, quæ quatuor hisce ingeniosissimis versiculis comprehenduntur :

1ª Fig. *Barbara, Celarent, Darii, Ferio* : (Modi ind.) Baralip*ton*, Celantes, Dabitis, Fapesmo, Friseso*morum*.
2ª Fig. *Cesare, Camestres, Festino, Baroco* : 3ª Fig. *Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.*

Quæ voces ut possint intelligi, notandum est, tres syllabas cujuslibet vocis tres propositiones denotare; unamquamque vero litteram vocalem, quantitatem et qualitatem propositionis, ut paulo ante dictum est, exprimere. — Ex his vocibus quatuor priores significant quatuor formas syllogismi, ad primam figuram pertinentes; quinque sequentes, alio charactere expressæ, quinque modos *indirectos* significant ejusdem figuræ, syllogismos nempe, quorum conclusio est *propositio vera quidem, sed inversa, permutato prædicato in subjectum* : aliæ quatuor voces definiunt formas quæ ad secundam figuram; sex posteriores denique, quæ ad tertiam figuram pertinent. — Potuissent aliæ formæ syllogismi indirectæ duabus aliis figuris appingi, sed communiter prætermittuntur; nec nobis est animus in re tam subtili, cujus nullus est usus, diutius immorari. Sint nunc pro novendecim istis recensitis formis exempla, per quæ, veluti per rem concretam, ipsæ facilius perspici possunt.

Exempla formæ syllogisticæ ad primam figuram pertinentes.

Bar	Omnis qui diligit Deum, est amicus Dei ;	*Ce*	Nullus diligens mundum, diligit Deum ;
ba	Atqui omnes recti et justi diligunt Deum ;	*la*	Sed peccatores omnes diligunt mundum ;
ra	Ergo omnes recti et justi sunt amici Dei.	*rent*	Ergo nullus est peccator, qui diligit Deum

Di Omne quod est medium salutis, est optabile;
ri Atqui aliquæ afflictiones sunt medium salutis;
i Ergo aliquæ afflictiones sunt optabiles.

Fe Nullus inimicus Dei potest accedere ad Deum,
ri Sed aliqui homines sunt inimici Dei;
o Ergo aliqui homines non accedunt ad Deum.

Ut leges syllogismi in hac forma serventur, hæc est norma: *Sit minor affirmans* (1), *major vero generalis* (2).

Exempla formæ syllogisticæ indirectæ primæ figuræ.

Ba Omne animal est mortale;
ra Sed omnis homo est animal;
li Ergo aliquod mortale est homo.

Ce Nullus diligens mundum est beatus;
lan Omnes voluptuarii diligunt mundum;
tes Ergo nullus beatus est voluptuarius.

Da Omnis prudens cogitat præsentia, interrogat præterita;
bi Atqui aliqui homines sunt prudentes;
tis Ergo aliqui cogitantes præsentia, interrogantes præterita, sunt homines.

Fa Omnes linguæ mollis frangunt duritiam;
pes Nullus iracundus est linguæ mollis;
mo Ergo aliquis frangens duritiam non est iracundus.

Fri Aliqui sapientes sunt divites;
se Nullus avarus est sapiens;
so Ergo aliqui divites non sunt avari.

Exempla formæ syllogisticæ secundæ figuræ.

Ce Nullus linguosus dirigetur in terra;
sa Sed omnes humiles diriguntur in terra;
re Ergo nullus humilis est linguosus.

Ca Dulcedo animæ est sanitas ossium;
mes Nulla voluptas est sanitas ossium;
tres Ergo voluptas non est dulcedo animæ;

Fe Nullus bonus et rectus infert damnum justo;
sti Sed aliqui homine inferunt damnum justo;
no Ergo aliqui homines non sunt boni et recti.

Ba Omnes docti et prudentes moderantur sermones suos;
ro Sed aliqui homines non moderantur sermones suos;
co Ergo aliqui homines non sunt docti et prudentes.

(1) Alioquin, exceptis syllogismis quorum propositio major est identica, conclusio foret præmissis latior. Nam si minor sit negativa, major affirmativa debet esse, ex duabus enim negativis nihil sequitur (6ª reg.). Verum, si minor sit negativa, et conclusio (7ª reg.); in ipsa proinde majus extremum, quod in majori, in qua habet rationem prædicati, non distribuitur, distribueretur secundum omnes suos significatus in conclusione negativa, quod est contra secundam regulam.

(2) Alioquin medius terminus non distribueretur (c. 4am reg.). Non enim distribuitur in majori, quæ supponitur particularis; nec in minori quæ est affirmativa, et in qua habet rationem prædicati.

Ut leges syllogismi superius allatæ, in hac forma serventur, hæc est norma : *Una negans esto* (1), *nec major sit specialis* (2).

Exempla formæ syllogisticæ tertiæ figuræ.

Da Omnis homo est ad imaginem Dei ;
ra Omnis homo est creatura :
pti Ergo aliqua creatura est ad imaginem Dei.

—

Di Aliquis amicus Dei est pauper ;
sa Omnis amicus Dei est dives ;
mis Ergo aliquis dives est pauper.

—

Bo Aliquod corpus non se movet ;
car Omne corpus est substantia.
do Ergo aliqua substantia non se movet.

Fe Nullum intelligens est corpus ;
la Omne intelligens est substantia ;
pton Ergo aliqua substantia non est corpus.

—

Da Omnes dissoluti esuriunt ;
ti Aliqui dissoluti sunt divites;
si Ergo aliqui divites esuriunt.

—

Fe Nullus arrogans placet Deo ;
ri Sed aliquis arrogans est doctus.
son Ergo aliquis doctus non placet Deo.

Ut leges syllogismi in hac forma serventur, hæc est norma : *Sit minor affirmans* (3) *conclusio particularis* (4).

(1) Alioquin medium, quod in hac figura, tum in majori tum in minori prædicatur, non distribueretur (contra secundum regulam).

(2) In hac figura enim conclusio semper est negativa, cujus prædicatum proinde semper distribuitur ; prædicatum vero conclusionis, sive major terminus, cum sit subjectum majoris, si major non esset universalis, sed particularis, non distribueretur pro omnibus suis significatibus. Latius ergo ipsum pateret in conclusione, quam in præmissis ; quod est contra secundam regulam.

(3) Ob eamdem rationem, quæ allata est superius pro prima parte regulæ prioris formæ ; hic enim, sicut et ibi, prædicatum conclusionis, sive majus extremum est prædicatum majoris ; si ergo minor esset negativa, tunc major affirmativa deberet esse, conclusio autem negativa ; prædicatum proinde in majori non distributum, distribueretur in conclusione ; quod est contra secundam regulam.

(4) Minor enim terminus, seu subjectum conclusionis, non potest sensum latiorem habere in conclusione, quam in præmissis. Haberet autem latiorem, si conclusio esset universalis : nam tunc distribueretur in ipsa, cum tamen non esset distributus in minori, quæ est affirmativa, et in qua rationem prædicati habet.

VI. *Quatuor primæ formæ syllogisticæ, quæ ad primam figuram pertinent, sunt perfectæ, reliquæ vero sunt imperfectæ; ad ipsas proinde sunt formæ imperfectæ revocandæ.*

Ex omnibus hisce formis syllogismi, quæ pertinent ad primam figuram sunt formæ omnium præstantissimæ; siquidem medius terminus propriam naturalem sedem occupat in ipsis (1); argumentationis progressio tota est naturalis; insuper, cæteræ formæ, ut imperfectum ad perfectum, in ipsas revocantur. Duntaxat enim in hisce formis conclusio accurate eruitur eo modo, quo continetur in præmissis; quippe, ut patet, quod habet rationem subjecti et prædicati in præmissis (subjecti quidem in minori, prædicati vero in majori), idipsum habet rationem subjecti et prædicati in conclusione, quod in aliis formis non contingit. « Manifestum est, ait Aristoteles, omnes in hac *figura* syllogismos perfectos esse; omnes enim perficiuntur per ea, quæ a principio sumpta sunt. Et omnia problemata per hanc figuram probari; nam et omni, et nulli, et cuidam et non cuidam inesse ea probatur (2); » hoc est, quia clare et immediate præest huic figuræ principium illud : *Dici de omni, et de nullo*, mediante autem ipsa aliis; idcirco formæ syllogismi præstantissimæ omnium, sunt quatuor illæ, quæ ad primam figuram pertinent. — Cum autem ad has formas omnes aliæ revocentur, ipsæ solummodo essent proinde retinendæ.

(1) Propria ac naturalis sedes *medii* in syllogismo est, ut sit subjectum in majori, et prædicatum in minori. Etenim loco subjecti, de quo aliquid quæritur, medium substituitur. Ergo locum subjecti in majori tenere debet. In minori autem locum prædicati; non enim substitui potuisset subjecto, si non prædicaretur de subjecto, vel ab ipso non dirimeretur.

(2) Aristoteles, Lib. I, Analytica Priora, cap. IV, n. 16, edit. Didot, vol. I, pag. 43.

CAPUT IV.

DE REDUCTIONE SYLLOGISMORUM.

I. *Reductio syllogismorum imperfectorum alia est ostensiva, alia ad impossibile.*

Quatuor syllogismi primæ figuræ, qui directe concludunt, non indigent in alios reduci; habent enim, ut dictum est, formam perfectissimam. Satis est, si de ipsis expendatur, num præmissæ sint veræ, et conclusio illata revera sit connexa. Etenim si certo constet præmissas esse veras, et conclusionem, quippe quæ in præmissis contenta, reipsa esse cum ipsis connexam; mens sobria tunc in adinventa veritate tuta quiescere potest.

Reductio ergo, de qua in præsenti loquimur, respicit præsertim eos syllogismos, qui formam habent imperfectam. Hi enim indigent reduci : quoniam propter imperfectionem formæ, plerumque connexio conclusionis cum præmissis non satis perfecte ac evidenter apparet.

Est autem hæc reductio duplex, *ostensiva et directa* una, *indirecta et reprehensiva* altera, quæ a nonnullis *apagogica* nominatur, sed melius *ad impossibile*, *ad absurdum*, *ad incommodum*.

Reductio *ostensiva* fit per conversionem præmissarum, earumque clariorem dispositionem, mutando minorem in majorem, et econverso. Præmissis vero sic conversis et permutatis, syllogismus imperfectus ad perfectum reducitur.

Reductio vero *ad impossibile*, per quam non solum syllogismi imperfecti probari possunt, verum et perfecti, fit per argumentum ostendens, quod qui, concessis præmissis, negat conclusionem, cogatur admittere duas contradictorias esse veras, quod est absurdum.

II. *De modo revocandi syllogismum imperfectum ad perfectum per reductionem ostensivam.*

Quomodo vero sint convertendæ ac transmutandæ propositiones syllogismorum imperfectorum, ut ad formam perfectam *ostensive* ipsi redigantur, ne res valde subtilis facile elabatur, modo concreto, fere sub sensuum evidentia, hæ regulæ vulgo traduntur : 1° In reductione ostensiva syllogismorum imperfectorum, quatuor sunt formæ typicæ, ad quas cæteræ omnes revocari debent; exprimuntur autem ipsæ per voces illas supra relatas : Barbara, Celarent, Darii, Ferio.

2° Fit autem hæc reductio spectando affinitatem expressam per litteram initialem; nam omnes formæ syllogismorum repræsentatæ per voces illas, mox relatas, cujus littera initialis est *B*, reducuntur ad Barbara; cujus *C*, ad Celarent; cujus *D*, ad Darii; cujus *F*, ad Ferio; excipiuntur tamen *Baroco* et *Bocardo*, qui per reductionem ostensivam probari non possunt, quæ quidem impossibilitas significatur per litteram *c*, quæ in ipsis legitur baroCo, boCardo.

3° Conversio vero in propositionibus facienda, per insertas illas consonantes *p* et *s* exprimitur, quæ in dictis vocibus, vocalem significantem quantitatem et qualitatem propositionis sequuntur. Etenim si consonans quæ sequitur vocalem, sit *s*, tunc propositio illa converti debet *simpliciter*, mutando scilicet prædicatum in subjectum, et eamdem universalitatem vel particularitatem propositionis servando. Si vero sit consonans *p*, tunc propositio per vocalem repræsentata, converti debet *per accidens*, mutando scilicet prædicatum in subjectum, insuper et ipsam quantitatem propositionis ex universali in particularem.

4° Mutatio tandem situs, quando scilicet major in syllogismo imperfecto debeat in locum minoris assumi, indicatur per litteram *m*, quæ sequitur vocalem.

Hæc tota syllogistica industria commendatur memoriæ per duos versiculos :

NOTTAL LIBRARY

S vult simpliciter verti; P vero per accid(ens).
M vult transponi; C per impossibile duci.

Sumamus pro exemplo hujus artificii, syllogismum indirectum, significatum per vocem FaPeSMo :

A Omne animal est vivens ;
E Nulla planta est animal ;
O Ergo aliquod vivens non est planta.

Syllogismus iste prout littera initialis exprimit, revocatur in Ferio. Propositio autem major significata per *a*, converti debet *per accidens*, ut exprimitur per *P* : *Aliquod vivens est animal.* Minor repræsentata per *e* converti debet *simpliciter*, prout indicatur per *S* : *Nullum animal est planta.* Minor debet transferri in locum majoris, et major in locum minoris, prout notatur per *M*. Hac operatione perfecta, habetur syllogismus perfectus :

Fe Nullum animal est planta;
ri Aliquod vivens est animal ;
o Ergo aliquod vivens non est planta.

III. *De modo revocandi syllogismum per reductionem ad impossibile.*

Revocatur autem syllogismus per reductionem *ad impossibile*, assumendo propositionem contradictoriam conclusionis, quæ negatur, ut inde, ipsa disposita cum una ex præmissis concessis, deducendo concludatur duas contradictorias esse simul veras, quod est impossibile.

Quænam autem ex præmissis debeat assumi, traditur per hos versiculos.

Prima minorem adimit, facit e majore minorem.
Celantes minor est contrad(ictoria); min(or) sede majoris.
Majorem servat, variatque *secunda* minorem.
Tertia majorem variat, servatque minorem.

Hoc est : In prima figura, contradictoria conclusionis, quæ

negatur, assumitur in majorem; major syllogismi transfertur in sedem minoris, minor autem adimitur. Excipitur ab hac regula forma syllogistica expressa per *celantes*, in qua minor tenet locum majoris ademptæ, contradictoria vero conclusionis negatæ, locum minoris.

In altera figura major in sua sede relinquitur; in locum autem minoris ademptæ, transfertur contradictoria conclusionis negatæ.

In tertia denique, contradictoria conclusionis negatæ, loco majoris, quæ adimitur, collocatur, minor vero in propria sede relinquitur.

Unum ponamus exemplum in Bocardo :

Bo Aliquod corpus non est vivens;
car Omne corpus est substantia ;
do Ergo aliqua substantia non est vivens.

Si quis neget conclusionem hujus argumenti, tunc apud ipsum vera debet esse ejus contradictoria : *Omnis substantia est vivens*. Hoc posito, sic instituitur argumentum contra concedentem præmissas et simul negantem conclusionem :

Omnis substantia est vivens;
Omne corpus est substantia;
Ergo omne corpus est vivens.

Atqui tu concessisti in argumento, cujus conclusionem negabas, majorem : *Aliquod corpus non est vivens*. Ergo simul admittis, quod *omne corpus sit vivens, et quod aliquod corpus non sit vivens*. Hoc autem est admittere propositiones contradictorias esse simul veras, quod est impossibile.

Et hæc de hisce dialecticis dumetis sufficiunt; quæ si tyronibus nimis sint molesta, relinquantur ipsa, non enim multa erit jactura.

CAPUT V.

DE CONCLUSIONE APODICTICA.

I. *Quid sit demonstratio, et quales debeant esse præmissæ, ex quibus ipsa constituitur.*

Cognitis iis, quæ ad naturam, divisionem, varias figuras, diversosque modos syllogismorum pertinent, de effectu syllogismi, qui est conclusio (1), dicere oportet. — Est autem conclusio juxta diversitatem materiæ, triplicis generis : alia est enim *apodictica*, alia *dialectica*, alia *sophistica* et *erronea*. — In hoc capite de conclusione apodictica tractatur, de duabus aliis in capitulis, quæ sequuntur.

Verum, natura conclusionis apodicticæ rite intelligi nequit, nisi prius de demonstratione aliquid dicatur : est enim demonstratio, quæ conclusionem apodicticam quodammodo parit.

Demonstratio igitur est *argumentum* EVIDENTER *ostendens prædicatum* NECESSARIO *convenire alicui subjecto*; ut, si quæratur, num *anima humana sit immortalis*, argumentum illud, per quod evidenter ostenditur prædicatum *immortalitatis* necessario convenire animæ humanæ, *quia nempe spiritualis est*, nominatur DEMONSTRATIO.

(1) Reipsa conclusio ad essentialem constitutionem syllogismi pertinet, syllogismus enim tribus judiciis, ut in priori capitulo dictum est, absolvitur; nihilominus in ipso duæ partes constitutivæ discerni possunt, quarum una habet *rationem moventis*, altera vero *rationem partis motæ*. Etenim præmissæ sua intellectuali illuminatione inferunt conclusionem, quam implicite et virtualiter continent, et sunt causa ejus; ipsa vero ab ipsis infertur. Verum est igitur dicere, conclusionem syllogismi esse effectum præmissarum.

Conditiones præmissarum, ex quibus constituitur demonstratio, prout ab Aristotele recensentur, sunt hujusmodi : Debent esse *veræ*, *primæ*, *immediatæ*, *notiores*, *priores*, *causæ conclusionis*. « Necesse est, ait ipse, scientiam demonstrativam (quæ est de conclusionibus apodicticis) esse et ex veris, et primis, et immediatis, et notioribus, et prioribus, et causis conclusionis (1). » Singula sunt exponenda.

Ex veris : Præmissæ scilicet debent esse veræ; nam etsi in materia contingenti, quandoque ratione formæ, ut supra innuimus, ex præmissis falsis verum possit inferri; attamen in materia necessaria, verum nonnisi ex vero consequi potest. Habet enim conclusio apodictica necessariam connexionem cum præmissis, ita ut, si præmissæ sint falsæ, et ipsa conclusio falsa sit oporteat. Et vere quidem, quomodo ex falso, scilicet ex non ente, per se colligi posset verum, scilicet ens ?

Ex primis : videlicet ex propriis principiis, ut ipse explicat Aristoteles, quæ per se definite sunt vera, quæque aliter nequeunt se habere.

Ex immediatis, h. e. non ultra demonstrandis per aliud medium, sed per se sine ope ratiocinii intelligendis. — Monendum vero est hic, non esse necessarium ad demonstrationem, quod omnes præmissæ, ex quibus immediate infertur conclusio, sint immediate ac per se cognitæ; sed satis est, si ipsæ in principia immediate ac per se percepta, cum quibus necessariam ac evidentem connexionem habent, possint revocari. Quod ipse Aristoteles alibi declarat : « Demonstratio est, ait, quando ex veris et primis conclusio fit, aut e talibus, quæ per prima quædam et vera principium cognitionis sui sumpserunt (2). »

Ex notioribus : præmissæ enim sunt causa conclusionis, ac totum illud lumen, quod conclusioni tribuunt, et ipsæ modo perfectiori et puriori continere debent.

(1) Analytic. Post. lib. I, cap. II, edit. Didot, vol. I, pag. 122.
(2) Lib. I, Top. cap. I, pag. 172.

Ex prioribus : habent namque præmissæ respectu conclusionis, prioritatem saltem logicam; ex ipsis enim prius cognitis devenimus in cognitionem conclusionis prius incognitæ.

Ex causis conclusionis, nimirum ex præmissis, quarum cognitio per se ac necessario infert cognitionem conclusionis; cognoscitur enim conclusio per præmissas, et quia illæ ut veræ percipiuntur, ideo et conclusio ut vera percipitur (1).

Si modo pressius ipsa ratio formalis ac interior demonstrationis sit definienda, dicendum est, demonstrationem constitui per judicia mentis, objective sumpta, universalia, necessaria, ac æterna, quibus mens assentiendo illuminatur, et ad aliud judicium prius ignotum, quod in prioribus virtualiter continetur, inferendum fecundatur.

II. *Quotuplex sit demonstratio, per quam conclusio apodictica quæritur.*

Demonstratio, per quam conclusio apodictica quæritur, potest dividi ex parte præmissarum, ex quibus syllogismus demonstrativus conflatur; vel etiam ex parte medii seu rationis, per quam prædicatum, de cujus veritate quæritur, subjecto propositionis ostenditur convenire.

Ex parte præmissarum quidem, demonstratio alia est *pura, absoluta, metaphysica*, quæ et *analytica* dici potest; alia est *experimentalis* seu *synthetica* ; alia *mixta* seu *analytico-synthetica.*

Demonstratio *analytica* vocatur illa, cujus præmissæ sunt propositiones analyticæ, per se notæ, vel quæ ab illis

(1) Præmissæ dicuntur causa cognitionis, non in ordine physico, sed in ordine logico seu ideali; quia *nempe cognitio unius est ratio cognitionis alterius*. Sic cognitio divinæ infinitudinis est ratio cognitionis divinarum perfectionum; vel, cognitio effectuum creatorum, est ratio cognitionis Dei, qui in ordine physico est causa prima et universalis omnium.

sine ope experientiæ inferuntur. Ex c. *Omne animal sentit. Atqui omnis homo est animal. Ergo omnis homo sentit.*

Demonstratio *synthetica* nuncupatur illa, cujus præmissæ sunt propositiones syntheticæ, quæ per experientiam comperiuntur. Ex. c. *Omnia quæ gignuntur in natura, per motum primo gignuntur. Atqui plantæ gignuntur in natura. Ergo per motum primo gignuntur.*

Demonstratio *synthetico-analytica* dicitur illa, cujus una ex præmissis est propositio synthetica, altera vero analytica. Ex. c. *Omne quod gignitur ab alio gignitur* (en propositio analytica, per se nota). *Atqui omnes plantæ et animantia in mundo gignuntur* (en propositio synthetica, cognita per experientiam). *Ergo plantæ et animantia ab alio in mundo gignuntur.*

Ex parte vero *rationis* seu *medii*, per quod ostenditur prædicatum, de cujus veritate quæritur, convenire subjecto propositionis, demonstratio alia est *propter quid*, et alia *quia*.

Demonstratio *propter quid* dicitur illa, quæ probat prædicatum convenire subjecto ex propria, et immediatâ ratione ipsius. Ex. c. quæro, num *enti infinito conveniat esse immutabile*, quod quidem ostenditur hoc modo : *Id cui nihil addi et a quo nihil demi potest, est immutabile. Atqui enti infinito nihil addi, ab ipso nihil demi potest. Ergo ens infinitum est immutabile.* In qua demonstratione, ut patet, ratio ob quam esse immutabile tribuitur enti infinito, sumitur ex propria et proxima causa entis infiniti, ut est immutabile, ac si pressius diceretur : *Ens infinitum est immutabile, quia ipsi nihil addi, ab ipso nihil tolli potest.* — Est proprium demonstrationis *propter quid*, ostendere *quid res sit, et quomodo ipsa dicatur esse vera* ; eaque proinde intellectum quietat.

Demonstratio *quia* est illa, quæ evidenter quidem et necessario probat prædicatum convenire subjecto, tamen propriam ac immediatam rationem, ob quam convenit, non aperit : sed hoc vel ex causa aliqua remota ostendit ; vel ab

effectu; vel indirecte per absurdum quod sequitur, si res non esset ita; vel per quodcumque aliud, cum quo res probanda necessario connectitur. — Est proprium demonstrationis *quia* ostendere rem esse veram, et respondet quæstioni : *an res est?* Ex. c. *Omne animal est substantia. Atqui leo est animal. Ergo leo est substantia.* Medium hujus argumenti, ut patet, sumitur ex aliqua causa remota, ex tali ratione nempe, quæ non convertitur cum eo, quod facit cognoscere, quæque in cognitionem ejus nonnisi remote influit. Sumitur enim a ratione animalitatis, quæ probat quidem esse substantiæ convenire leoni; sed quid substantia sit non ostendit.

III. *Divisio demonstrationis in propter quid et quia, prout ex parte medii sumitur, est adæquata.*

Divisio demonstrationis ex parte *medii, in propter quid et quia*, est adæquata, hoc est explet totum quod dividitur. Divisio enim quæ fit per membra immediate opposita, quæ nullum medium admittunt, adæquat et explet totum divisum. Porro hæc divisio efficitur per membra immediate opposita: nam demonstratio *propter quid*, afferendo rationem immediatam rei, ostendit *quid res sit*, demonstratio autem *quia* rem ostendit, non quidem afferendo rationem immediatam et propriam rei, sed aliquid aliud, ostendens *quod res sit.* Ergo hæc duo membra totam divisionem demonstrationis apodicticæ exhauriunt. At dicet aliquis : Nonne sunt membra divisionis demonstrationis apodicticæ, demonstratio, quæ *a priori* dicitur, et quæ *a posteriori, quæ directa, indirecta, et circularis*?

Respondeo : Omnes hæ demonstrationes in demonstrationem *propter quid*, vel *quia* revocantur. Re quidem vera, Demonstratio A PRIORI *dicitur illa, quæ fit per causas*; tunc si causæ sint proximæ et immediatæ, eadem est ipsa cum demonstratione *propter quid*; si remotæ, eadem cum demonstratione *quia*.

Demonstratio A POSTERIORI *dicitur illa, quæ per effectus ostendit causam esse*; qui effectus sane, non præbent rationem cognoscendi causam proxime et formaliter in propria quidditate, sed solum quod sit. Revocatur ergo hæc demonstratio in demonstrationem *quia* (1).

Demonstratio DIRECTA dicitur illa, *quæ ab ipsius rei demonstrandæ rationibus et causis arcessitur*; et proinde, si rationes illæ proximæ sint et immediatæ, ad demonstrationem *propter quid* redigitur; sin remotæ, ad demonstrationem *quia*.

Demonstratio INDIRECTA dicitur illa, *cujus vis probandi tota repetitur ab opposito*. Supponitur enim rem non esse prout dicitur, tunc ab ejus negatione ostenditur sequi aliquid, quod veritati est manifesto oppositum; et quia a negatione falsitatis, non potest sequi aliquid oppositum veritati, idcirco concluditur, verum esse quod dicebatur. Hæc demonstratio, ut liquet, quippe quæ remotissima ac tota negativa, sub ordine demonstrationum *quia* est recensenda.

Tandem demonstratio CIRCULARIS, quæ et *regressiva* dicitur, est illa, cujus vis probandi tota continetur in eo, quod mens ex effectibus existentia causæ prius probata, tum a cognitione causæ ad cognitionem effectuum redeat, hanc per illam perficiendo. — Hic modus demonstrandi, dummodo progressio et regressio non sit uniformis, hoc est, non fiat sub eadem

(1) Propter intelligentiam harum vocum, quæ vulgo in philosophia adhibentur, *a priori* nempe et a *posteriori*, nota, eas hic non sumi secundum prioritatem vel posterioritatem *logicam*, sed *ontologicam*. Aliquid enim dicitur prius et posterius secundum ordinem logicum, spectata cognitione nostra, prout prius vel posterius a nobis cognoscitur. Secundum ordinem vero ontologicum, spectata ordinatione rerum in natura, prout nempe una res est prior altera vel posterior. Sic ergo *a priori* dicitur demonstratio, quæ fit per causas, quia causæ sunt aliquid prius in natura; *a posteriori*, quæ fit per effectus, quia effectus sunt aliquid in natura posterius.

omnino ratione, quod esset vitiosum, mimine est contemnendus. Sic ex creatura existentiam Dei creatoris cognoscimus; ipsa cognita, nitimur naturam ejus per analogiam explorare; tunc mens, cognitione Dei informata et illuminata, ad cognitionem creaturarum redit; quam proinde novo ac perfectiori lumine perfundit. — Hæc demonstratio, ut est manifestum, fit per causam remotam, eaque proinde sub demonstratione *quia* collocatur.

Verum est ergo omnes demonstrationes sub alterutro illorum membrorum collocari debere, sub demonstratione nempe *propter quid* aut *quia*. Quamobrem hæc duo membra totam demonstrationis divisionem exhauriunt.

IV. *Qualis debeat esse conclusio apodictica, et qualis assensus, qui ei præbetur.*

Ex his, quæ de demonstratione hucusque diximus, facile colligi potest, qualis debeat esse conclusio apodictica, et qualis assensus, qui ei præbetur.

Conclusio itaque apodictica non potest esse in materia contingenti; infertur enim a præmissis, quæ sunt certæ, evidentes, universales, necessariæ, et æternæ; ergo certa debet ipsa esse, evidens, universalis, necessaria, et æterna.

« Manifestum est, ait Aristoteles, si propositiones sint universales, ex quibus syllogismus constat, quod necesse sit, etiam conclusionem talis demonstrationis esse æternam, et illius quæ simpliciter dicitur demonstrationis. Non est ergo demonstratio corruptibilium, neque scientia eorumdem simpliciter (1). »

Assensus vero conclusioni apodicticæ præbendus, debet esse certus, firmus nempe ac immutabilis; conclusioni enim, quæ certo, evidenter ac necessario, a principiis certis, evidentibus et necessariis eruitur, talis debetur assensus.

(1) Analytica post. lib. I, cap. VIII, pag. 129, edit. Didot, vol. I.

Nihilominus aliquod discrimen est hic faciendum; nam si præmissæ, ex quibus conclusio deducitur, sint *analyticæ*, quarum nempe prædicatum est de ratione subjecti, tunc et ipsa conclusio analytica erit, cujus prædicatum proinde erit de ratione subjecti. Ex. c. *Quidquid ex partibus conflatur, est divisibile* (prop. analyt.); *atqui corpus ex partibus conflatur* (prop. analyt.); *ergo corpus est divisibile* (conclusio analyt.). Quamobrem huic conclusioni, cum ipsa sit absolute, simpliciter, ex omni parte necessaria, ita nempe, ut nullo modo fieri queat, quod res per ipsam expressa aliter se habeat, absolute ac sine conditione intellectus assentire debet.

Si vero præmissæ sint syntheticæ, quarum nempe prædicatum non est de ratione subjecti, tunc et ipsa conclusio erit synthetica; ut, *Omnia corpora quæ circa solem moventur, illuminantur ab ipso* (propos. synth.); *atqui terra circa solem movetur* (prop. synth.); *ergo terra illuminatur a sole* (conclus. synthet.). Quocirca huic conclusioni, cum ipsa non sit ex omni parte et absolute necessaria, oppositum enim absolute non repugnat (1), intellectus immutabiliter quidem, sed cum aliqua restrictione assentire debet, æstimans nempe, *ex ordinario naturæ cursu* hoc provenire, non autem *absolute* ac *essentialiter*.

Demum, si una ex præmissis sit analytica, alia vero synthetica, conclusio tunc et ipsa erit synthetica, debet enim conclusio sequi debiliorem partem; ut, *Nullum animal potest vivere sine cibo* (prop. synth.); *atqui omnis homo est animal* (prop. analyt.); *ergo nullus homo potest vivere sine cibo* (concl. synth.). Quapropter de assensu, quem intellectus præbere debet huic conclusioni, idem dicendum est, quod de assensu circa conclusionem illatam per demonstrationem

(1) Non enim est aliqua repugnantia, quod terra ab aliquo alio corpore possit illuminari.

syntheticam dictum est.— Attamen a veritate forte non discederet, qui affirmaret, conclusioni illatæ per demonstrationem analytico-syntheticam deberi assensum paulo firmiorem eo, qui conclusioni deductæ per demonstrationem syntheticam debetur; præmissæ enim e quibus eruitur, majori pollent virtute; sed nolo modo de hac re quæstionem facere.

Atque hæc de conclusione apodictica in præsenti sufficiunt; de ipsa iterum postea, proprio loco in quarto libro dicetur (1).

(1) Interim præstat hic aliquid summatim dicere de natura medii, a quo eruitur conclusio apodictica, de modo inveniendi illud, nec non de fontibus, e quibus potest hauriri. — Medium pro demonstratione conclusionis apodicticæ instituenda, est quædam ratio, per quam *evidenter* comperitur, prædicatum aliquod necessario debere de subjecto aliquo affirmari, vel de ipso negari. — Haudquaquam autem est necessarium tradere modum inquirendi hujusmodi rationem pro omnibus modis et figuris syllogismi; satis est enim, si pro duobus modis primæ figuræ duntaxat inquiratur, BARBARA nempe, et CELARENT. Reliqui namque modi vel sunt imperfecti, qui ad perfectos rediguntur, vel, si sint perfecti, ut DARII et FERIO, conclusionem habent particularem, quæ apodictica esse nequit. — Quinam est igitur modus inquirendi medium pro demonstratione in BARBARA et in CELARENT? Respondeo : Si de *barbara* agatur, medium demonstrationis debet esse ratio quædam, quæ respectu prædicati propositionis, de qua est quæstio, comparari debet ut *terminus antecedens* (quo posito nempe, inferri potest convenientia prædicati cum ipso); respectu vero subjecti ut *terminus consequens* (qui nempe sequitur ex positione alterius). Si vero de CELARENT agatur, medium demonstrationis, respectu prædicati debet esse *terminus extraneus* (qui nempe prædicato non convenit), respectu subjecti vero *terminus consequens*. Hæc regula, si bene recolantur quæ in antecessum sunt dicta, non est difficilis intellectu.

Loci autem, e quibus erui possunt media demonstrandæ conclusionis apodicticæ, alii sunt logici, alii metaphysici. Loci logici, qui vulgo recensentur, hi sunt : *a genere*, *a specie*, *a differentia*, *a proprio*, *ab accidente*, *a differentia*, *a definitione*, *a divisione*. — Principia, in quibus hi loci fundantur, sunt hujusmodi : *Quidquid affirmatur vel*

V. *De vi demonstrationis circa assensum et quietem intellectus in vero; nec non circa dispositionem, quam ipsa efficit in mente.*

Tria modo hic addere volo; unum respicit vim demonstrationis, quæ tanta est, ut, præmissis positis, intellectum non tam suadeat, quam rapiat, eumque ad assentiendum conclusioni cogat. Habet quippe conclusio apodictica, ut dictum est, necessariam ac evidentem connexionem cum præmissis, quibus proinde receptis, nequit intellectus conclusionem ab eis illatam non recipere.

Alterum respicit quietem intellectus in vero; intellectus enim veritati adinventæ per demonstrationem, immobiliter ac constanter adhæret, ac in ea quiescit; scit enim ipse perfectionem possibilem cognoscendi verum *in præsenti statu*, se

negatur de genere, affirmatur vel negatur de specie sub ipso contenta; ut, quod omnibus hominibus est commune, etiam iis qui sapientes sunt, est commune. — *Sublato genere, tollitur et species;* ut, quod non est substantia, non est animal. — *Speciebus omnibus sublatis, tollitur et genus;* ut, quod non est subsistens corporeum, neque subsistens incorporeum, non est substantia. — *De quo affirmatur vel negatur differentia essentialis, potest et species affirmari vel negari.* — Item *de quo affirmatur vel negatur proprietas* (prout dicit passionem aliquam ad aliquam speciem exclusive pertinentem), *potest affirmari vel negari species;* ut, cogitatio non est aliquid coloratum, nec divisibile per partes, ergo non est aliquid corporeum. — *De quibuscumque affirmatur vel negatur definitum, affirmatur pariter vel negatur definitio;* ut pauci sunt humiles, quia pauci sunt, qui continent animum, ne deordinate tendat ad alta.

Hæc de locis logicis, loci vero metaphysici sunt, qui sequuntur : *A causa, ab effectu, a subjecto,* in quo accidens est, *a termino,* ad quem aliquid per se ordinatur, *a toto, a partibus, ab oppositis.* Hi loci, seu argumentorum sedes, nonnisi ex dicendis in ontologia, rite cognosci possunt. — Cæterum præstat hic notare non tam per artem logicam media argumentandi reperiri, quam per peritiam ejus scientiæ, in qua argumentatio est instituenda.

assequutum fuisse. Attamen non perfecte ac complete quiescit; non enim veritate abstracta et partiali, capacitas infinita humani intellectus simpliciter, ex omni parte impleri potest; sed tunc perfecte ac undequaque quiescet humanus intellectus, quando per gratiam Salvatoris Jesu, lumine divino impletus, veritatem ipsam divinam videbit, sicuti est.

Tertium quod additur, respicit dispositionem seu habitudinem, quam demonstratio relinquit in mente, dispositionem nempe et habitudinem, per quam animus promptus efficitur ac expeditus ad res aliquas certo evidenterque cognoscendas per causas. — Hæc dispositio seu habitudo, quæ est demonstrationis effectus, *scientia* nominatur. Definitur ipsa : *Cognitio certa et evidens, quæ per demonstrationem acquiritur.*

CAPUT VI.

DE CONCLUSIONE DIALECTICA.

I. *Quid sit conclusio dialectica, et in quo a conclusione apodictica differat, declaratur.*

Natura conclusionis apodicticæ perspecta, rectus ordo postulat, ut de natura conclusionis dialecticæ modo tractetur.

Conclusio dialectica illa nuncupatur, quæ ex probabilibus infertur, ex iis nempe, quæ, cum neque ex se neque aliunde satis intelligantur, cum aliqua formidine oppositi percipiuntur. Conclusio itaque dialectica non est certa nec evidens; ab ipsa formido oppositi nequaquam tota removetur : sed quia quædam notæ veri ipsi insunt, ex quo etiam similitudinem cum vero habere dicitur, digna est proinde, quod a mente probetur.

Conclusio dialectica igitur definiri potest : *Est propositio, quæ ex probabilibus concluditur.*

Ipsa a conclusione apodictica in eo differt, quod ista propter evidentiam et certitudinem, omnem formidinem oppositi ab animo removeat; illa autem non, sed plus minusve, juxta varios probabilitatis gradus, aliqualem formidinem semper relinquat in animo. Haudquaquam enim conclusio dialectica ad convincendum intellectum est nata, sed ad suadendum duntaxat (1).

II. *Fontes e quibus notæ probabilitatis hauriuntur, sunt analogia, hypothesis et auctoritas.*

Etsi conclusio dialectica, ut dictum est, caret nota veritatis evidenti; aliquam tamen notam probabilitatis habeat prorsus est necessarium, alioquin ipsa non posset movere intellectum ad assensum. — Unde vero notæ istæ probabilitatis conclusionis dialecticæ sumuntur? A rethoribus plures loci vulgo recensentur (2), e quibus probabilitatis notæ eruuntur; sed omnes ad tres locos redigi possunt, ad ANALOGIAM nempe, ad HYPOTHESIM, ad AUCTORITATEM. Etenim probabile

(1) Tota præsens vita per probabilitatem maxime ducitur. Relationes omnes hominum in familia et in republica viventium, probabilitate fundantur. Qui serit, qui navigat, qui militat, qui uxorem ducit, et qui leges condit, nonnisi intuitu probabilis eventus operatur.

(2) «Perfecta est omnis argumentorum (dialecticorum) inveniendorum præceptio, ait Tullius, ut, quum profectus sis a definitione, a partitione, a notatione (tum notatio, quum ex vi verbi argumentum aliquod elicitur), a conjugatis (conjugata dicuntur, quæ sunt ex verbis generis ejusdem. Ejusdem autem generis verba sunt, quæ orta ab uno varie commutantur, ut sapiens, sapienter, sapientia. Hujusmodi est argumentum : Si respublica vere ordinata sit, omnia in ipsa secundum justas leges ordinantur), a genere, a forma, a similitudine, a differentia, a contrariis, ab adjunctis, a consequentibus, ab antecedentibus, a repugnantibus, a causis, ab effectis, a comparatione majorum, minorum, parium, a testimonio (testimonium autem nunc dicimus omne, quod ab aliqua re externa sumitur ad faciendam fidem), nulla præterea sedes argumenti quærenda sit.» — *Topica*, cap. 2, 3, 18, 19.

dicitur, quod est simile veri (1); id autem ut veri simile concluditur, quod alicui rei convenire infertur, vel quia rei, quæ similis est illi, convenire comperitur; et hoc fit per *analogiam* (2) : vel quia, ipso posito, apte explicatur id, cujus causa de se manet occulta, et hoc fit per *hypothesim* (3) : vel demum, quia conforme est testimonio aliorum, et hoc fit per auctoritatem eorum, qui ingenio, prudentia, studio atque doctrina sunt præditi, quorum vita constans et probata apud homines habetur (4). — Compertum est igitur e tribus loculis

(1) « Ut homunculus unus e multis, probabilia conjectura sequens. Ultra enim quo progrediar, quam ut *veri similia* videam, non habeo. » Tullius, qq. Tuscul. lib. I, c. 9. — Cfr. Aug. c. acad. lib. III, c. 15, n. 34.

(2) Cum duæ res habent similitudinem inter se, non quidem in una et item altera proprietate, sed in pluribus, ita scilicet, ut fere ejusdem speciei esse videantur, tunc quod uni convenire cognoscitur, alteri, quæ est ei similis, convenire infertur, juxta analogiæ principium : *Res similes inter se*, IN EO, IN QUO SUNT SIMILES, *iisdem subjiciuntur legibus.* — Argumentari probabiliter per analogiam familiare est medicis, physicis, ac iis, qui rempublicam gerunt, quorum sagacitas exerceri maxime debet comparando præsentia cum præteritis, ac exquirendo quid, cum circumstantiæ essent similes et causæ eædem, præterito tempore evenerit. Item analogia utimur in Theologia, præsertim in tractatu de Angelis, atque incredulorum temeritatem contra nostræ religionis mysteria sane retundimus, ostendendo eis, et in natura esse mysteria.

(3) Hypothesis seu suppositio, est quædam mentis excogitatio, qua supposita, apte potest aliquid explicari, cujus causa ignoratur. Hypothesis nominatur *logica*, si fiat pro explanatione sensus alicujus auctoris; *physica*, si fiat pro explicando quonam modo aliqui effectus, quorum causa ignoratur, in natura contingant; sic circa naturam lucis variæ sunt hypotheses; *moralis* denique, si fiat ad cogitationes ac interiora hominum consilia divinanda.

(4) Ab auctoritate, tanquam a re externa, sumitur argumentum præsertim ad probanda ea facta, quæ loco vel tempore a nobis sunt remota; quæ auctoritas quandoque tanta potest esse, ut fidem omnino certam

conclusionem dialecticam in lucem posse erui, ab analogia, ab hypothesi, ab auctoritate. — Ex analogia et hypothesi ducitur probabilitas quæ *intrinseca* dicitur, ex auctoritate vero probabilitas, quæ *extrinseca*.

III. *Quomodo dirigi debeat assensus intellectus circa conclusionem dialecticam.*

Nunc de modo, quo dirigi debeat intellectus, cum assentit conclusioni dialecticæ, dicere oportet. — Verum ex dictis advertendum est, quod quemadmodum lux in meridie clara et plena apparet, in primo autem diluculo, pallida et subobscura trepidat; ita quoque veritas plena et clara apparet in conclusione apodictica, subobscura et pallida trepidat in conclusione dialectica. Ex quo fit, quod veritate conclusionis apodicticæ comperta, ejus opposita certo evidenterque ut falsa rejicitur; contra, probabilitate conclusionis dialecticæ comperta, ejus

efficiat in animo; quis enim dubitat de existentia Romae vel Lutetiæ Parisiorum, tametsi civitates illas nunquam viderit? — Non solum autem auctoritas humana (de hac auctoritate in præsenti loquimur) est fundamentum probabilitatis pro cognoscendis factis tempore vel loco a nobis dissitis; sed etiam suadet et animum flectit ad id, quod homo prudens et sincere doctus de re aliqua opinatur. Omnes enim homines, non solum ignari, sed etiam docti doctissimorum virorum auctoritate quasi naturali directione ducuntur, atque ab eorum dictis et scriptis auctoritatem plerumque petunt ad faciendam fidem. «Est propositio dialectica, ait Aristoteles, interrogatio probabilis aut omnibus, aut plurimis, aut doctis; et ex his aut omnibus, aut plurimis, aut celeberrimis, a communi opinione non abhorrens.» Top. lib. I, c. 8, pag. 178. — Quamvis igitur aliorum auctoritas pluris sit æstimanda in factis narrandis, quam in doctrinis tradendis; tamen et in doctrinis tradendis ipsa quoque valet, dummodo sit peritorum. Non recte ergo docet Lockius, aliorum opinionem non debere haberi ut verum probabilitatis fundamentum. — De l'entend. humain, l. 4, c. 15, § 6.

opposita certo evidenterque ut falsa nequit rejici; manifestatur enim per ipsam non aliquid firmum et constans, quod convelli non potest; sed aliquid, de quo in utramque partem disputari potest. — Ex his autem habes regulam, contra quam sive ex studio partis sive ex nimia assentatione propriæ sententiæ plures peccant, nimirum : *Nunquam conclusioni dialecticæ præbendus est assensus firmus et absolutus, sed imperfectus semper, cum aliqua formidine oppositi.*

Verum debetne intellectus omnibus conclusionibus dialecticis eodem modo assentire? Respondeo : Conclusio dialectica varios gradus probabilitatis admittit, vel enim est tenuiter probabilis, quando nempe probabilitas rationum quæ afferuntur pro ipsa, non satis clare apparet; vel est vere ac solide probabilis, quando nempe probabilitas rationum manifesto apparet. Si conclusio dialectica sit tenuiter probabilis, tunc intellectus quasi e medio recedens in assensum ipsius potest propendere, non tamen assentire. Hæc propensio intellectus ad assentiendum, nominari potest SUSPICIO. — Sin conclusio dialectica sit vere ac solide probabilis, tunc intellectus potest ei assentire cum aliqua tamen formidine, proveniente ex cognitione imperfecta veritatis, quippe non plene affulget. Hujusmodi assensus mentis vocatur OPINIO, quæ definitur : *Assensus formidolosus animi ob motivum fallibile, quo fundatur.*

Rursus conclusio dialectica, si comparetur ad suam oppositam, et nitatur motivis æque probabilibus, est æque probabilis; animus tunc in utramque partem motus, hærere debet, h. e. neutri assentiens, pendulus inter utramque manere; quæ quidem assentiendi suspensio appellatur DUBITATIO. — Si vero motivis probabilioribus innitatur, tunc animus assensu minus formidoloso debet ei adhærere; et hujusmodi assensus dicitur OPINIO PROBABILIOR : dum oppositam econtra, motivis minus probabilibus innixam, relinquere debet : vocatur ipsa OPINIO MINUS PROBABILIS. — Demum, si motivo gravissimo conclusio dialectica innitatur, tunc animus

assensu fere constanti ac vix formidoloso ei adhærere debet; qui assensus nuncupatur OPINIO PROBABILISSIMA : dum oppositam econtra, motivis tenuiter probabilibus fundatam, quæ OPINIO TENUITER PROBABILIS, vel SUSPICIO, vel CONJECTURA nominatur, relinquere debet.

At hic operis pretium est declarare, quonam modo hi diversi gradus probabilitatis possint discerni. In primis itaque, decernere *in particulari* determinatas regulas pro diversis gradibus probabilitatis definiendis, res est nimis minuta, a veteribus merito omissa : de vario gradu probabilitatis enim in particulari plus quadam naturali sollertia, sagacitate, ipsoque rerum usu, quam logicis præceptionibus dijudicare solemus. Decernere autem de hac re quasdam regulas *in generali* non est difficile : satis est enim, si considerentur fontes, e quibus conclusio dialectica eruitur. Tres autem, ut superius diximus, sunt fontes conclusionis dialecticæ, *analogia*, *hypothesis*, et *auctoritas*. Quo major itaque vel minor erit analogia inter rem, cui aliqua proprietas convenit, et rem, cui eadem proprietas ob similitudinem tribuitur, eo quoque major vel minor erit probabilitas conclusionis per analogiam illatæ.

Item, quo major vel minor erit coaptatio hypothesis cum re, pro qua explicanda excogitatur, eo major etiam vel minor erit suspicio probabilitatis conclusionis hoc modo illatæ; *suspicio probabilitatis* dico; non enim quicquam aliud efficere potest *simplex* hypothesis, quæ cum re declaranda bene cohæret, quam *suspicionem aliquam*, *quod res forte ita sit, prout esse cogitatur* (1).

Demum, quo major vel minor erit auctoritas, cujus ope aliquæ præmissæ per fidem admissæ statuuntur, e quibus conclusio dialectica infertur, eo quoque major vel minor erit

(1) De simplici hypothesi hic loquimur, de ea scilicet quæ aliqualem vim probandi habet ex sola coaptatione cum re, pro qua explicanda fuit excogitata. Quod si per experientiam et observationem ipsa comprobetur, tunc veram opinionem efficere potest, quandoque etiam certitudinem, ut patet præsertim in physica.

probabilitas. Vis autem auctoritatis ponderatur ex ingenio, studio, doctrina, probitate eorum, quorum auctoritate utimur, nec non a numero asserentium, quisque enim facile admittit, quod a communi opinione non abhorret; non autem ex opulentia, vel ex potentia, vel ex favore populari, hoc enim ab Ecclesiastico merito reprehenditur : *Dives loquutus est, et omnes tacuerunt, et verbum illius usque ad nubes perducent. Pauper loquutus est, et dicunt : Quis est hic* (1)?

Atque hæc de conclusione dialectica seu probabili sufficiunt; non enim opus est de hac re plura dicere.

CAPUT VII.

DE CONCLUSIONE SOPHISTICA VEL ERRONEA.

I. *Quid sit conclusio sophistica vel erronea, et quænam sint causæ ipsius, declaratur.*

Quemadmodum sunt aliqui, qui corpus bene constitutum reipsa habent, aliqui vero per fucum ac exteriorem ornatum apparenter tantum; quemadmodum est in natura verum argentum et verum aurum, et est secundum speciem veri duntaxat, ut stannum et aurichalcum : ita quoque ex parte humani intellectus sunt conclusiones quæ reipsa sunt veræ, aliæ autem, quæ ut veræ apparent, sed non sunt. — Conclusio, quæ ut vera apparet, sed reipsa non est, dicitur conclusio sophistica vel erronea; recte definiri potest : *Est judicium mentis sub aliqua specie veritatis illatum, a veritate rei absonum.*

(1) Ecclesiastic. cap. 13, vv. 28 et 29.

Conclusio sophistica vel erronea aut ex defectu materiæ provenit, quando nempe ex præmissis infertur, quæ veræ esse videntur, sed non sunt; aut ex defectu nexus, quia scilicet ex præmissis, quæ veræ sunt vel esse apparent, sequi videtur, reipsa tamen non sequitur.

Quod homo autem falsa materia utatur, vel non legitime concludendo inferat, hoc contingit aut ex indole naturaliter inepta ad ratiocinandum, aut ex sensibus externis, aut ab imaginatione, aut a sensu intimo, hæc namque non rite adhibentur, aut ab auctoritate quæ fallit vel fallitur, aut a præoccupatione et distractione mentis, aut ex præoccupatione et aversione affectus, maxime vero ex sermone. « Quum enim, ut recte docet Aristoteles, non liceat ipsas res per se in disserendo afferre, sed quum loco rerum utamur nominibus ut signis; id quod de nominibus valet, etiam de rebus valere putamus, quemadmodum in calculis accidit rationes subducentibus. Non est autem in his eadem ratio : nomina enim sunt finita, et orationum multitudo; res vero numero infinitæ sunt : igitur necesse est, eandem orationem unumque nomen plura significare. Quemadmodum igitur illic rationes subducere nescientes a peritis falluntur, eodem modo quoque in disputationibus verborum, vim ignorantes, facile paralogismis decipiuntur, quum ipsi disputantes, tum disputantes alios audientes (1). » — At de his omnibus satis abundanter, superius diximus (p. 96, 121 et sqq.).

Verum conclusio ex præallatis causis erronea, quasi ex quadam naturali infirmitate et imperitia hominis provenit : est autem quædam conclusio, quæ proprie sophistica dicitur, quæque de industria intenditur ab aliquibus. Sunt enim qui de veritate nihil solliciti, certandi ac vincendi studio, vel etiam favorem popularem captandi, sub speciosis quibusdam sophismatibus, captionibus nempe atque fallaciis, falsas suas doc-

(1) De sophisticis elenchis, cap. I, edit. Didot, vol. I, pag. 276.

trinas suadere et propagare conantur. Hujusmodi sunt sophistæ veteris et recentioris ætatis (1); de quorum versutiis atque fallaciis, ut facile detegi possint, aliquid hic breviter est dicendum.

II. *De fallaciis secundum dictionem.*

Fallaciæ itaque sophistarum quædam sunt particulares; harum detectio ad unamquamque scientiam pertinet, cujus materiam inficiunt. Quædam vero sunt communes; harum proinde detectio ad logicam spectat. Sunt autem hujusmodi fallaciæ triplicis generis, *formæ, vocis, et rerum.* Ad fallacias *formæ* vitandas nihil hic dicere occurrit, superius enim aperte traditur modus discernendi terminorum et propositionum dispositionem legitimam ab illegitima.

De fallaciis ergo vocis et rerum in hoc capite est tractandum; sed primo quidem de fallaciis vocis.

Fallacia vocum est earum abusus atque usurpatio in sensu fallaci. Sex fallaciæ vocis ab Aristotele numerantur : *Homonymia, amphibolia, compositio, divisio, accentus, et figura dictionis.*

Homonymia seu *æquivocatio* fit, dum aliquis eadem voce in argumento utitur secundum sensum diversum, quem ipsa habet. Ex. c. Canis *latrat; aliquod sydus est* canis; *ergo aliquod sydus latrat;* aut : ridens *est rationale; pratum* ridet; *ergo pratum est rationale.*

(1) « Sophista est, ait Plato, qui in sermonibus disputantem ipsum cogit repugnantia dicere sibi, qui et ironicæ partis est ab imitatore opinante veniens, phantastici item generis ab imaginaria facultate profluens, non divinæ sed humanæ effectionis determinata progenies, ex eorumque numero, qui verbis, quasi quibusdam præstigiis, mirum in modum decipiunt auditores » (*Sophista,* in calce dialogi — edit. Didot, v. 1, p. 202). — Pressius Aristoteles : « Est sophistica, quæ videtur esse sapientia, neque tamen est; et sophista est is, qui lucrum captat a sapientia, quæ videtur esse, nec est. » — (De sophist. elenchis, cap. I).

Amphibolia seu *amphibologia* fit, dum aliquis elocutione ancipitem sensum habente, secundum unum sensum in præmissis, secundum alterum in conclusione utitur. — « Fit porro deceptio per paralogismos ex *homonymia et oratione ambigua*, quia non possumus distinguere multipliciter dictum. Nonnulla enim distinguere non facile est; velut *unum*, et *ens*, et *idem* (1). »

Compositio : Hæc fallacia contingit, cum quis arguendo, a sensu diviso ad sensum compositum concludit, et econverso. Ex. c. *Paulus sedens habet potentiam ambulandi; ergo potest sedendo simul ambulare.*

Divisio : Hæc fallacia fit, cum quis, ex eo quod duo conjunctim esse nequeunt, infert nec divisim esse posse : Ex. c. *Loqui et tacere simul esse nequeunt in eodem*; *ergo loquens non potest tacere.*

Accentus : Hæc fallacia, omnino insulsa, a diversitate accentus sumitur, qui diversum sensum affert voci. Ex. c. *Qui* occidit *moritur*; *sed gladius* occidit ; *ergo gladius moritur*. — « Paralogismi ex compositione et divisione nascuntur, quia nihil putamus interesse inter conjunctam et divisam orationem, sicut in plurimis accidit. Similiter vero etiam in paralogismis dictis ex accentu (2). »

Figura dictionis fit, cum fallacia ducitur ex similitudine vocis, vel ex similitudine significationis cum alia voce. — « Paralogismi ex figura dictionis oriuntur propter similitudinem dictionis; difficile enim est discernere, quæ eodem modo, et quæ diverso modo dicuntur (3).

Hæ sunt fallaciæ quæ in verbis, syllabis, ac singulis litteris continentur; quod quidem arguendi genus totum ridiculum est ac puerile.

III. *De fallaciis extra dictionem, quæ nempe a rebus ipsis ducuntur.*

Fallaciæ autem, quæ a rebus ipsis, extra dictionem du-

(1) Arist. De sophist. elench. cap. VII.
(2) Arist. ibid. — (3) Ibid.

cuntur, septem ab eodem Aristotele recensentur : Est fallacia *ex accidente, a simpliciter ad secundum quid, et econverso, ex ignoratione elenchi, ex consequenti, a petitione principii, a non causa, quæ ut causa ponitur, ex pluribus interrogationibus.*

Ex accidente : Fallacia ista contingit, quando aliquid tribuitur uni ex eo, quod convenit alteri, cum quo est per accidens (h. e. præter rei definitionem atque essentiam) unum ; fit ipsa mutando suppositionem medii. Ex. c. *Homo est species ; Petrus est homo*; *ergo Petrus est species.* — « Paralogismi ex accidente fallunt, quia non possumus distinguere idem (secundum accidens ; duo nempe vel plura, quæ de eodem subjecto prædicantur : ut est esse album et dulce, quod de eodem subjecto prædicari potest) et diversum (secundum rem), et unum et multa ; nec quibus prædicatis omnia eadem ac rei accidunt (1). » — Recentiores per sophisma *accidentis* intelligunt etiam, cum aliquid infertur quasi per se essentialiter alicui inesse, ex eo quod per accidens, h. e. casu aliquo, tribuitur ei. Sic si ex eo, quod aliqui medici sunt materialistæ, inferas omnes medicos esse materialistas, quasi medicina de se in materialismum duceret.

A simpliciter ad secundum quid, et econverso : Accidit fallacia ista cum ab eo quod est verum *simpliciter*, remota nempe omni circumstantia, arguitur *ad secundum quid*, prout non amplius in eadem amplitudine sumitur. Vel econverso, ex eo quod convenit alicui secundum aliquam determinatam conditionem, eidem tribuitur absolute, omni particulari conditione remota. Ut patet, deceptio sita est in eo, quod fit transitus ab amplo (sine conditione) ad non amplum (prout est sub aliqua conditione), vel a non amplo ad amplum. Ex. c. *Lex Mosis antiquata est*; *ergo et decalogus antiquatus est.* — Decipit cavillus iste, quia difficile imperiti vident transitum a non amplo ad amplum, et contra.

(1) Arist. ibid.

Ex ignoratione elenchi : Elenchus (ἔλεγχος, latine *accusatio* redargutio) est *syllogismus*, juxta Aristotelem, *cum contradictione conclusionis* ; tum ergo est ignoratio elenchi, quando quis ignorat conclusionem, cui contradicit ; aliis verbis, quando quis non attingens statum quæstionis, aliquid aliud redarguit, quod non est in quæstione. Qua fallacia decipiuntur imperiti, qui *quasi procul distantes contemplantur*, dum putant opposita esse, quæ dicuntur, cum reipsa non sint. — Plura sunt sophismata hujus generis : ex ignorantia elenchi enim quærunt increduli : Quomodo Deus ex femina nasci potuit? et quomodo Jonas tribus diebus et tribus noctibus in ventre ceti manere potuit, etc.? Nam non secundum divinitatem Christus ex femina natus est, neque naturali modo Jonas mansit, quin digereretur, in ventre ceti, sed ex virtute Dei præter cursum naturæ agentis.

Ex consequenti : Hæc fallacia est, si quis arguat convertendo quæ non convertuntur. Ex. c. *Si homo currit, movetur; atqui non currit; ergo non movetur.*

A petitione principii : Fallacia ista accidit cum quis utitur tanquam principio, quod est in quæstione ; aliis verbis, supponit ut verum id, de quo quæritur. Hæc fallacia nominari solet *demonstratio in orbem*. Ex. c. *Si quis probet spiritualitatem animæ humanæ, quia aliquid simplex est et per e subsistens.*

A non causa, quæ ut causa ponitur : Fit hæc fallacia assignando aliquid tanquam causam alicujus effectus, quod reipsa non est causa. Ad hoc spectat illud : *Post hoc, ergo propter hoc*. Ex. c. *Quod excitat seditiones est malum; atqui manifestationes solemnes cultus Romani excitant seditiones; ergo sunt malæ*. Non sunt causa seditionis manifestationes illæ, sed odium malitiosum impiorum contra illas.

Ex pluribus interrogationibus : Hæc fallacia contingit quando interrogationes ita disponuntur, ut, qualibet data, capiaris. Ex. c. *Desiistine furari?* In qua interrogatione duæ continentur : Num furatus es? Num adhuc furaris? — Qua-

propter si adversarius respondeat : *Desii*; statim infertur : *Ergo furatus es* — Sin : *Non desii*; tunc : *Ergo furaris.* — De aristoteleis fallaciis satis.

III. *Recentior sophistica, ejusque præcipua origo breviter exponitur.*

Præter allatas fallacias, nostræ ætatis sophistæ aliis utuntur; de quibus aliquid hic dicere, ne ab eorum astutia capiamur, est omnino necessarium. Sunt igitur sophismata ista :

1° Sophisma INDUCTIONIS, cum quis ex particularibus non sufficienter enumeratis, vel leges ac effata universalia deducit, vel ea repræsentat ut absolute necessaria; quum tamen, quæ ab inductione pura inferuntur, nonnisi ordinem actualem factorum respicere possint.

2° Sophisma ANALOGIÆ, cum quis ex aliquali duntaxat similitudine inter duo comperta, quidquid uni convenit, et alteri convenire infert.

3° Sophisma HYPOTHESIS, cum quis ex præsuppositione aliquorum, quæ nulla solida experientia possunt probari, quæque plerumque cum ratione pugnant, deducit conclusiones, quæ proprio præconcepto systemati favent. Hujusmodi sunt materialistarum hypotheses : *Materia est æterna* — *Motus est æternus* — *Omnia fiunt ex jugi transformatione materiæ et motus*, etc. — Huic addi potest sophisma TRIPODIS, ex *divinatione* nempe, quod res ita forte contigerit.

4° Sophisma AUCTORITATIS, cum quis infert ab auctoritate non vera, sed apparenti, confirmationem alicujus doctrinæ. Est autem auctoritas non vera, quæ est plebis, vel hominis ingeniosi, vel opulenti, vel potentis, sed in re de qua quæritur non periti.

5° Sophisma LOCUTIONIS, quæ tota fucata, dulcedine sua animos rapit, vel ubertate sententiarum elevat : ut sic ab ipsa decepti, tanquam ex facie externa, judicent imbecilles verum esse, quod sophistæ asserunt : *jacet enim sensus*, recte inquit Quintilianus, *ubi laudantur verba.*

6° Sophisma ERUDITIONIS, cum quis copiam eruditionis ostendit ad pompam et apparatum, ut sic facilius suæ auctoritati credatur.

7° Sophisma FULGORIS, quando aliquibus verbis generalibus, brevi ac forti sententia, falsum ut verum asseritur, vel econverso; relinquendo sic tanquam probatam sententiam, quæ est sophistica, vel uti explosam, quæ est vera; cum tamen de ipsa nihil fuerit revera probatum.

8° Sophisma SEXTARII, quando ea duntaxat de re dicuntur, quæ propriam sententiam non adversantur; cætera vero, quæ proprium possent turbare intentum, radula raduntur.

9° Sophisma DISTRACTIONIS, quando vera et falsa, certa et incerta, varia ac disparata inter se, diffusa ac tortuosa oratione simul miscentur; ex quo animus distractus virtute minuitur, confusus inde efficitur et impar ad judicandum : ac sensim sine sensu a falsitate capitur, ejusque veneno inficitur.

10° In disputationibus vero, sophistæ, qui certandi et vincendi studio disserunt, modo adversarium provocant, ut probet oppositum asserti, ut sic ab inscitia ipsius, in favorem suum concludere possint; quod sophisma AD IGNORANTIAM vocatur. — Modo ad *indebitam* auctoritatem provocant, cui nonnisi invitus resistitur; quod sophisma AD VERECUNDIAM dicitur. — Modo a dictis adversarii doctrinas multitudini odiosas, vel cum veritate pugnantes *apparenter* inferunt; quod sophisma AD ODIUM nominatur. — Modo cogunt adversarium ad omnia definienda, ad omnia probanda, ad idem sæpe repetendum, ad solœcismum, ad barbaram scilicet orationem, ad tautologias seu nugationes; quod sophisma AD IRRISIONEM dici potest.

Hæc sunt sophistarum recentioris nostræ ætatis præstigiæ; quarum si origo modo quæratur, ea sane est assignanda, quia scilicet ex præconceptis systematibus, nullum discrimen agnoscunt ipsi inter verum et falsum, sicut nec inter bonum et malum; nec proinde est ipsis ulla sollicitudo veri.

Et vere quidem : Scepticus negat posse fieri discretionem

veri et falsi. Idealista asserit totam cognitionem constitui per formas subjectivas, quibus nihil reale respondet. Pantheista asserens omnia esse unum, identitatem contrariorum admittit, docetque idem in natura esse simul et non esse (1). Materialista omnia ex necessaria determinatione materiæ fieri autumans, quidquid homo cogitat, non esse nisi aliquam naturalem ac necessariam determinationem materiæ censet. Atheus demum, æternam, immutabilem ac divinam formam veritatis negans, negat consequenter quicquam esse immutabiliter verum. Quibus systematibus semel receptis, non datur amplius locus distinctioni veri et falsi, boni et mali; sed omnia pari ratione, ut æque vera, et ut æque bona, debent admitti.

CAPUT VIII.

DE VARIIS STATIBUS INTELLECTUS RESPECTU COGNITIONIS VERITATIS.

—

I. *Intellectus hominis respectu cognitionis veritatis, vel scit, vel opinatur, vel suspicatur, vel dubitat, vel ignorat.*

Haud est difficile ex dictis colligere diversos status mentis respectu cognitionis veritatis. Etenim si quis ratiocinando conclusionem apodicticam inferat, tunc ipse SCIT. In quo quidem statu, intellectus sine ulla oscitantia aut oppositi formidine objecto, cum evidentia cognito, constanter ac firmiter adhæret. — Si vero ratiocinando conclusionem probabilem inferat, tunc OPINATUR. In quo quidem statu cum quadam

(1) Cfr. Gratry, *Les sophistes et la critique*, l. I, ch. 2. Ubi dictum Hegelii refert : »Il n'y a pas une seule de leurs propositions (loquitur de Sophistis Græciæ) que je n'admette dans ma logique.«

oppositi formidine in objectum, sive per fidem humanam ex aliorum testimonio, sive examine quorumdam motivorum apprehensum, oscitanter flectitur intellectus. — Quod si quis ratiocinando conclusionem inferat levissimo momento fundatam, tunc SUSPICATUR. In quo quidem statu, intellectus fit quidem propensus ad assentiendum, non tamen vere assentit. — Rursus, si quis ratiocinando inferat conclusionem probabilem, ita tamen, quod ejus oppositam ut æque probabilem agnoscat, tunc ipse DUBITAT. In quo quidem statu inter utramque sententiam, intellectus hæret suspensus, ac in neutram partem contradictionis adducitur. —Si demum quis neque immediate, neque mediate per ratiocinium, nullum judicium de re aliqua sibi formare possit, tunc IGNORAT. In quo quidem statu mens de re, quam quærit, cognitione caret : totali quidem, si nihil omnino de objecto cognoscat; partiali vero, si aliquid (1).

II. *Quædam normæ ad eruditam inscitiam pertinentes, breviter traduntur.*

Intellectus propter finitudinem suæ virtutis, insuper ob statum imperfectum præsentis vitæ, multa, uti per experientiam constat, ignorat. Etenim de Deo nonnisi imperfectissimam habemus cognitionem; essentias rerum creatarum et modum, secundum quem res fiunt in natura, ut in plurimis, non attingimus; quandoque de una re plures quidem hypotheses possibiles excogitamus, sed quænam ex ipsis sit vera, dicere nequimus; demum, conclusiones quandoque ratiocinando colligimus, quæ inter se comparatæ pugnare videntur, et tamen modum illas componendi non invenimus.

Quod res cum ita sint, hæ regulæ pro humana ignorantia statuantur oportet : 1ª Si res neque per sensus externos, neque

(1) Hinc ignorantia dividi solet in totalem et partialem. — Ab ignorantia partiali *dubium negativum*, suspensio nempe mentis, vere non differt ; quippe est dubium ex neutra parte habens motiva assentiendi.

N... LIBRARY

per sensum intimum, neque per lucem intellectivam immediate cognoscatur, neque mediate a principiis inferri possit, siquidem in ipsis non continetur; tunc mens ab omni inquisitione cessare debet, ac in propria ignorantia quiescere :

Nescire velle, quæ Magister optimus
Docere non vult, erudita inscitia est. — Scaligerus.

2ª Si pro aliquibus factis explicandis plures sint præsto hypotheses, quarum nulla ut vera de facto apparet; tunc potest quidem mens utiliter sese circa illas exercere, prudenter tamen assensum suum a qualibet earum cohibeat.

3ª Denique, si aliquæ extent conclusiones, quæ ratiocinando a principiis inferuntur, quæ tamen, dum una cum alia comparatur, nequeunt inter se componi, tunc præ oculis hæ regulæ habeantur : 1ª Si conclusiones illæ aperte repugnent inter se, ita ut manifesto appareat, quod positio unius sit negatio alterius, tunc ex duabus illis conclusionibus, ea retineatur, quæ firmioribus argumentis innititur, altera vero relinquatur. — 2ª Sin utraque plane evidenterque probetur ut vera; modus tamen, quo conciliari possint inter se, non appareat, tunc utraque debet admitti, ac quisque sincere confiteri debet, impares esse vires intellectus ad assequendum modum, quo duæ illæ conclusiones, tanquam veræ jam evidenter probatæ, conciliari possint inter se.

Verum hic aliquis dicere posset : At quid agendum, si ambæ conclusiones pari evidentia a principiis certis deducerentur, ac pari omnino evidentia earum repugnantia esset manifesta? Respondeo : Nego hoc posse contingere. Hac in re duæ propositiones tanquam omnino certæ proferri possunt, quas nemo unquam per aliquod factum ut falsas arguere poterit : *Quotiescumque duæ conclusiones apodicticæ pari evidentia a principiis inferuntur, si inter se repugnare videantur, illa pugna nunquam manifestatur tanta evidentia, quanta ipsæ conclusiones illatæ manifestantur.* — Item : *Duæ conclusiones manifesto pugnantes inter se, nunquam inferuntur a principiis, quæ parem evidentiam et certitudinem habeant,*

nec proinde ipsæ inter se comparatæ, æquali evidentia et certitudine pollent.

Si quisque, candidus ac sincerus amator veritatis, hanc suam ignorantiam recognosceret, tot contentiones concertationesque, quæ sine ullo felici exitu agitantur, inter homines non arderent; sed quilibet parvo patrimonio adinventæ veritatis contentus, quoad reliqua tranquillus, beatam revelationem expectans, in erudita quadam inscitia quiesceret :

— Illic postquam se lumine vero
Implevit, stellasque vagas miratur et astra
Fixa polis, vidit quanta sub nocte jaceret
Nostra dies. — *Lucanus.*

CONCLUSIO.

Hæc de tertia sectione, in qua de natura ratiocinii, de legibus, de divisione, de figuris ac variis formis ipsius, nec non de triplici genere conclusionum, quæ inferri possunt, ac de diversis statibus, in quibus mens, completo ratiocinio, constituitur, tractatum est. Quorum omnium cognitio pro bona directione mentis omnino est necessaria.

Hæc sectio autem totum librum secundum, qui est DE MODO CONCLUSIONIS INFERENDÆ, absolvit. Ex quo id cari adolescentuli intelligere velint, arduam ac spinosam esse viam, quæ ad philosophiam ducit; eam neminem, nisi alacri, forti, ac generoso animo, ab amabilitate veri allectum et excitatum, percurrere posse. Hanc viam igitur strenue tenere studeant; curent ipsi *clare*, *distincte*, *integre* res primo percipere, secundum veritatem judicare, legitime inferre. Claritas, distinctio, et integritas perceptionis ad veritatem judicii mentem rite disponit : veritas autem judicii ad legitimam ac veram conclusionem : conclusio demum, totum quod virtualiter continetur in principiis, evolvit et explicat; in ipsa motus mentis tanquam in fructu propriæ activitatis ultimo quiescit.

LOGICÆ

LIBER TERTIUS.

DE MODO RECOGNOSCENDÆ CONCLUSIONIS ILLATÆ.

—

PROOEMIUM.

Etsi ad dirigendam mentem in cognitionem veritatis, quæ hucusque sunt dicta, sufficiunt : tamen, ut exquisita quadam ratione, *prævia critica facultatis cognoscendi*, ad inquisitionem veri accedere possimus, modum recognoscendæ conclusionis illatæ, in hoc libro tradere est propositum. Conclusione enim jam illata, quæri potest : Connexio ipsius cum præmissis estne legitima? — Præmissæ, ex quibus ipsa infertur, suntne veræ? — De modo ergo recognoscendi connexionem conclusionis cum præmissis, et de modo recognoscendæ veritatis præmissarum, ex quibus conclusio eruitur, in hoc libro dicendum est, ut sic recentiorum criticorum temeritas, nos redarguentium, quod sine prævio examine facultatis cognoscendi discurramus, compescatur.

SECTIO PRIMA.

—

CAPUT UNICUM.

DE MODO RECOGNOSCENDÆ CONNEXIONIS CONCLUSIONIS ILLATÆ CUM PRÆMISSIS.

—

I. *De modo et ordine, quo conclusio illata examinari debet sub lumine principiorum.*

Motus rationis tum perfecte absolvitur, cum, ut ita dicam, circulum describens, incipiendo a principiis devenit in conclusionem, et iterum a conclusione ad principia redit. Per priorem motum eruit intellectus in lucem, quod involutum et absconditum erat in principiis; per alterum ipsam conclusionem sub claro lumine principiorum examinat. Sic ergo intellectus tum modo vere philosophico recognoscit connexionem conclusionis cum præmissis, cum ad principia redit.

Recognoscere enim connexionem conclusionis cum præmissis, non est aliud quicquam, nisi rationem sibi reddere, quod a primis cognitionis seminibus conclusio reipsa gignatur.

Verum, quinam modus et ordo est in hoc examine servandus? Respondeo : 1° Considerando conclusionem illatam, debet intellectus exquirere, num quod explicite in ipsa asseritur, implicite contineatur in præmissis. Concludere enim non est aliud, nisi aperire et manifestare quod clausum erat et absconditum in præmissis.

2° Considerando præmissas, debet intellectus expendere, utrum ipsæ immediate per se, sine ratiocinio percipiantur, an mediante ratiocinio. Nam si immediate per se percipiantur,

tunc mens nequit ulterius in examine progredi, probationem quærendo; sed conscia operis sui adimpleti, in conclusione recognita, utpote cum principiis connexa, quiescere debet. — Quod si præmissæ immediate et per se non percipiantur, tunc et ipsæ, quemadmodum de conclusione dictum est, in alias præmissas debent revocari, donec ad illa ultima deveniamus, de quibus nequit rationem quæri, siquidem immediate per se constant.

3° Intellectus denique, ad illa ultima elementa accedens, debet perspicere, num connexio conclusionis et principiorum sit necessaria et evidens, an veri similis tantum, an etiam apparens sine realitate. Nam si primum comperiat, *firmiter tunc ac certo debet assentire*; si alterum, *opinative*; si tertium, *conclusionem ut falsam debet rejicere*.

II. *Quænam sint principia, ad quæ ultimo conclusio apodictica revocari debet, declaratur.*

Conclusio apodictica inferri potest a præmissis vel analyticis, vel syntheticis (pag. 309, 310). Si conclusio apodictica a præmissis analyticis deducatur, tunc principia, in quæ ultimo revocatur, debent esse analytica, h. e. per se nota. Nam vel ipsæ præmissæ, sunt per se notæ, et tunc habent rationem principii analytici; vel, si sint illatæ, in aliqua principia analytica seu per se nota, ad quæ et ipsa conclusio ab ipsis originaliter genita, redigi debent. Quapropter ultima ratio examinis conclusionis apodicticæ a præmissis analyticis illatæ, *sunt principia, quæ sine ope experientiæ, per ipsam lucem intellectivam immediate, ope analysis percipiuntur.*

Conclusio apodictica, si a præmissis syntheticis inferatur, tunc ad facta singularia (per sensum intimum apprehensa si interna, per sensus externos vero si extra in natura corporali existentia) ultimo revocari debet. Siquidem præmissæ, e quibus ipsa infertur, non alia ratione comperiuntur, quam per inductionem, per enumerationem nempe factorum sin-

gularium. — Ultima ratio itaque examinis conclusionis apodicticæ a præmissis syntheticis illatæ, *sunt facta per sensus externos, vel per sensum intimum apprehensa, quæ complete aut saltem sufficienter* (1) *fuerint enumerata, ita nempe, ut ex eorum enumeratione possit intellectus colligere legem universalem ac constantem naturæ.*

Postremo, si conclusio apodictica a præmissis, quarum una est analytica alia synthetica, inferatur, tunc duplex illa jamjam relata ratio examinis, juxta naturam singulæ præmissæ, est adhibenda.

Sic ergo, de conclusione apodictica loquendo, ad sensus externos, ad sensum internum, ad lucem intellectivam ultimo deveniamus oportet : quia principia synthetica a factorum enumeratione sumuntur, quæ fit per experientiam externam vel internam ; principia vero analytica a resolutione conceptuum universalium, quæ fit per inspectionem et aspectum mentis.

Quod de conclusione apodictica hic diximus, idem fere, proportione servata, de conclusione *dialectica* dicendum est. Siquidem ipsa in aliqua similitudine cum vero tota innititur : hæc similitudo veri autem vel per sensus externos, vel per

(1) Enumeratio completa singularium factorum constituit inductionem *completam*, quæ per se probat. Ex. c. Si quis vellet ostendere, *sensibile externum percipi a sensibus externis sub conditione spatii et temporis (hic et nunc)*, posset uti inductione completa hoc modo : Visus auditus, olfactus, gustus, tactus percipiunt proprium objectum, ut est *hic et nunc*. Ergo sensibile externum a sensibus externis percipitur, sub conditione spatii et temporis. — Hæc inductio ab Aristotele nominatur *argumentatio sine medio* : idipsum enim quod est subjectum conclusionis, habet in ipsa, diverso modo expressum, rationem medii. Quare ab Aristotele ponitur ut argumentatio a syllogismo diversa. Hoc tamen de inductione incompleta dici nequit : hæc enim, sufficienter singulis enumeratis, principio rationis ei admoto, ad instar syllogismi concludit (p. 292).

sensum intimum, vel per solam lucem intellectivam, vel etiam per auctoritatem hominis manifestatur. *Hominis* dico, quia si conclusio discurrendo in auctoritatem Dei revelantis revocari posset, jam non dialectica, sed apodictica esset conclusio : eaque ad theologiam proprie pertineret, et non ad philosophiam. — Sed non oportet in hac sectione diutius immorari; nam, si ex dictis in antecessum intelligatur via deveniendi a principiis ad conclusiones, facile erit intelligere viam redeundi a conclusionibus ad princpia.

SECTIO SECUNDA.

DE MODO RECOGNOSCENDÆ VERITATIS PRÆMISSARUM.

CAPUT I.

QUÆSTIO DE MEDIO, SEU DE CRITERIO, QUO HOMO UTI POTEST PRO VERITATE PRÆMISSARUM RECOGNOSCENDA PROPONITUR, AC DIVERSA HOMINUM DE HAC RE COMMENTA RECITANTUR ET CONFUTANTUR.

I. *Elementa, quæ præmissas constituunt, et ex quibus primo formantur ratiocinia, recoluntur.*

Initio hujus capitis elementa illa, ex quibus primo formantur ratiocinia, recolere oportet; de ipsis enim, pro recognoscenda veritate conclusionis illatæ, tota examinatio debet esse. Siquidem, si hæc prima elementa recognoscantur uti veritati rei conformia, conclusiones tunc ab ipsis illatæ, dummodo de earum legitima illatione constet, tanquam veræ sunt recipiendæ : contra, tanquam falsæ respuendæ. — Quænam sunt igitur elementa illa, quæ præmissas constituunt, et ex quibus primo formantur ratiocinia ?

Horum elementorum, ut ex dictis recoli potest, quædam ad simplicem apprehensionem, quæ est prima operatio mentis, pertinent; quædam vero ad judicium, quod est secunda operatio mentis.

Quæ ad primam operationem pertinent, sunt conceptus *entis*, *unius*, *veri*, *boni*, qui conceptus *transcendentales* dicuntur, quippe omnibus aliis notionibus præintelligguntur ;

sunt notiones illæ supremæ et universales, *substantiæ*, *quantitatis*, *qualitatis*, *relationis*, etc., cum reliquis universalibus notionibus, quæ sub ipsis, tanquam sub supremis generibus, collocantur.

Quæ vero ad secundam operationem pertinent, sunt judicia analytica, quæ per resolutionem unius simplicis notionis formantur : ut, *Impossibile est idem, secundum idem, esse simul et non esse.* — *Bonum est faciendum, malum fugiendum.* — *Non est effectus sine causa*, etc. — Sunt judicia synthetica (p. 260), ex duabus notionibus, quarum una est extra rationem alterius, constituta : ut, *Paulus est albus* — *Ego sum tristis*, etc. (1).

Præter hæc autem judicia, quemadmodum contra Kantium ponentem principia synthetica a priori, superius probatum est (pag. 262), non dantur alia judicia genere diversa.

Ex his omnibus ergo liquet, quænam sint illa elementa, quæ præmissas constituunt, et ex quibus, tanquam ex præexistenti cognitione omnis demonstratio formatur.

II. *Quæstio de medio examinandi cognitionem proponitur, ac difficultas, a qua ipsa oritur, declaratur.*

Nunc vero de medio dicendum est, secundum quod possit institui critica de adæquatione cognitionis, ratiocinio præexistentis, cum veritate rei. Quæritur enim : *Quænam est ratio interna, secundum quam ego, cognoscens*, puta, *quid sit* CAUSA, ET QUOD IMPOSSIBILE SIT UNAM EANDEMQUE REM, SECUNDUM IDEM, ESSE SIMUL ET NON ESSE, *recognosco cognitionem meam veritati rei esse conformem?* aut brevius : *Quænam est ratio, ad quam*

(1) Judicia ista singularia, quæ mediante sensu externo vel interno formantur, quamvis ad demonstrationem, quæ ex necessariis perficitur, proxime ac formaliter non pertineant, pertinent tamen remote et materialiter : ex ipsis enim sufficienter enumeratis, eliciuntur per inductionem principia demonstrationi inservientia.

appellando omnis disputatio de adæquatione cognitionis et rei ultimo perficitur? quippe per medium hic intelligitur *ratio interna, ad quam intellectus ultimo appellando, recognoscit cognitionem suam esse, vel non esse veritati rei conformem.*

Ratio dubitandi, a qua proposita quæstio nascitur, hæc est: In qualibet cognitione oportet distinguere *objectum cognitum*, *subjectum*, a quo elicitur operatio cognitionis, et *formalis manifestatio*, per quam objectum, existens in natura, intus in animo repræsentatur. Dum enim actum cognitionis exerceo, *ego sum qui cognosco; qui aliquid cognosco*, puta, circulum; et hæc cognitio quidem nequit esse, quin *manifestationem* circuli, veluti quoddam vitale verbum, per quod mihimetipsi dico *quid sit circulus*, mente geram. Quomodo enim operatio mentis, quæ vitalis est ac immanens, attingere posset objectum, si objectum per aliquam sui repræsentationem atque manifestationem intus non adesset animo? Per actum cognitionis nonne animus sibi renuntiat aliquid? Illa vero renuntiatio nonne manifestatio aliqua est? — Est igitur res manifesta, quæ uti communis animi notio merito habetur, cognitionem constitui per aliquam interiorem, vitalem manifestationem, in mente existentem.

Inde vero movetur quæstio : nam si cognitio fiat per manifestationem seu repræsentationem idealem objecti in animo, ac mens nequeat ab animo egredi, et sua virtute nec contrectare, nec involvere objectum, nec in ipso, prout existit in natura, consistere possit; quonam medio tunc dignosci poterit, num manifestatio illa idealis objecti, in animo existens, conformis sit veritati rei?

In primis pro solutione hujus quæstionis diligenter notandum est, quod cum homo nequeat suam cognitionem, quæ est immanens, cum objecto, ut in natura extra animum existit, comparare; sequitur, hoc medium recognitionis non ex parte objecti posse esse, sed ex parte subjecti, h. e. ex parte cognoscentis; illudque debere esse internum, ad cognitionem ipsam *formaliter*, h. e. intrinsecus pertinens. Etsi enim ve-

ritas cognoscenda, sit in natura, actu in se existens vel in suo principio, sine ulla dependentia ab homine cognoscente; tamen quod ipsa manifestetur in cognoscente, et ab eo cognoscatur, hoc a virtute cognoscentis necessario pendet. — Hac veritate sic statuta, quæritur : Quænam est ratio ista interior in cognoscente, secundum quam examinatur, an elementa, quorum cognitio ratiocinationi præsupponitur, ab animo fideliter ac vere, prout sunt, relata fuerint et manifestata ?

III. *Circa quæstionem de medio dignoscendi, an manifestatio idealis objecti in animo existens, veritati rei sit conformis, varia hominum commenta proponuntur.*

Varia sunt hujus quæstionis hominum commenta : Primum *idealistico-scepticum* nominari potest, vel, ut vulgo dicitur, *scepticismus* (1). Docet hoc systema, quod, etsi homo proprias

(1) Σκεπτικός, latine, *subtiliter disquirens :* a verbo σκέπτομαι, latine, *considerare, recogitare, speculari*, quod proprie hic significat actum mentis considerantis quidem, sed nihil de re pronunciantis. — Varias scepticismi formas *historice* definire res est difficilis ac admodum implicata. — Si a priori vero de ipsis quæratur, quot nempe fingi possint; tunc quæstio sic declarari potest : Scepticismus totus *consistit in retentione assensus animi circa verum ;* ergo tot sunt formæ possibiles scepticismi, quot sunt modi, quibus aliquis retinere potest assensum animi circa verum. Porro assensus animi circa verum cohiberi potest 1º *totaliter*, ita nempe ut de nulla re, nec de propria quidem ignorantia vel dubitatione, quicquam definiatur, judicetur, affirmetur vel negetur, ac nulli sententiæ adhærendo pendulus in omnibus animus servetur. — Talis est scepticismus *absolutus*, qui et ἀφασία dicitur, h. e. *stupor mentis et impotentia quædam ad aliquid loquendum.* Pyrrhoni ab aliquibus tribuitur, ac novæ academiæ, (cfr. Cic. Acad. qq. lib. 1º, c. 12). — 2º *Partialiter*, et hoc quidem multis modis : Circa ea, quæ sunt extra animum, non autem circa ea quæ sunt in animo. — Circa corporalia extra animum, non autem circa spiritualia, neque circa affectiones interiores animi. — Vel contra, circa spiritualia extra animum,

ideas, ceterasque interiores animi affectiones asserere possit; tamen ab asserendo, quod ipsæ sint veritati rei conformes, cohibere omnino et ab omni lapsu continere debet suam temeritatem : non enim est homini præsto certa regula dignoscendi adæquationem cognitionis et rei.

Alterum commentum, quod *idealistico-dogmaticum* potest nominari, per tres species distribuitur; nam aliqui, qui *idealistæ* proprie dicuntur, ideas, sensationes, ceterasque interiores affectiones esse quidem in animo, eis tamen nihil a parte rei respondere decernunt. — Alii, omnibus affectionibus animi ac ideis admissis, notionibus spiritualium tantum, quæ sola mente concipiuntur, aliquid reale respondere arbitrantur. Hæc est species idealismi, quam Berkeley propugnavit(1). Quidam demum, sensationibus aliquid reale respondere affirmant; ideis vero universalibus, quæ mente tantummodo, sine ope experientiæ comprehenduntur, si objectis per sensus oblatis non applicentur, nulla realitas respondet; sunt enim de se *vanæ formæ*, ac *meræ apparentiæ*, sine veritate. Hujusmodi est idealismus Kantianus (2).

non autem circa corporalia, neque circa animi affectiones. — Partialiter demum cohiberi potest assensus animi, ne alicui, ut certo et fixo, adhæreamus, sed solum ut probabili per conjecturam. Hoc postremum genus scepticismi oratoribus, qui a via recta disserendi timidi refugiunt, ac veluti per amœnas ambulationes palari amant, plurimum arridet; item et politicis falsis, qui, ad finem propositum obtinendum, quibuscumque mediis, moralitate eorum nullatenus attenta, libere uti cupiunt.

(1) Inter scepticos a nonnullis falso numeratur, non enim dubitando, sed dogmatizando asserit : « L'existence des corps, extérieure à l'esprit qui en a la perception, est... impossible, et contradictoire dans les termes. » — Cfr. *Principes des connaissances humaines*, sect. 18.

(2) « Sans la sensibilité aucun objet ne nous serait donné, et sans l'entendement aucun ne serait pensé. Des pensées sans matière ou sans objet *(donné par la sensibilité)* sont vaines, des intuitions *(sensibles)* sans concepts sont aveugles. Il est donc également indispensable, et de rendre ses concepts sensibles (c'est-à-dire de leur donner un objet en

Hæc sunt hominum commenta, qui, admissis apparentiis interioribus, quæ fiunt in animo, de criterio dignoscendi verum extra animum, vel nihil pronunciare volunt, ut sunt *sceptici*; vel positive negant ullum dari criterium, ut sunt *idealistæ absoluti*; vel si admittant aliquod criterium pro rebus extra animam, illud pro spiritualibus ponunt, non autem pro corporalibus, vel econverso : ut sunt *idealistæ dimidiati*.

Sunt autem alia hominum commenta, asserentium quidem dari criterium seu medium dignoscendæ veritatis, sed ipsi in eo assignando decipiuntur. — Quidam enim illud in aliqua ratione externa reponunt, *in auctoritate nempe Dei revelantis*, ut placet Huetio (1); vel *in auctoritate generis humani*, ut Lamennesio (2); vel in objectiva et immediata manifestatione rationum æternarum in Deo existentium, ut opinantur Ontologistæ.

intuition), et de rendre intelligibles ses intuitions (en les soumettant à des concepts). ... L'entendement ne peut rien percevoir *(de réel)*, et le sens rien penser *(d'intelligible)*. La connaissance ne résulte que de leur union » Kant — *Critique de la raison pure — Seconde partie, logique transcendentale. Introduction, I. De la logique en général*, n. 82.

(1) « L'homme, ait Huetius, est naturellement dépourvu des moyens nécessaires pour connaître très clairement et très certainement la vérité... La FOI supplée au défaut de la raison.» *De la faiblesse de l'esprit humain*, liv. II, chap. 1 et 2. — In libro primo, capite 15o, nn. 2 et 3, scepticismum rationis his verbis commendat : «L'entendement humain... évitera bien plus sûrement les chûtes et les erreurs, s'il demeure *dans son ignorance, et dans le doute* qui accompagne l'ignorance, que si par de *vaines* tentatives il veut franchir les obstacles, et qu'au lieu de Junon, il n'embrasse qu'une nuée....» et postea subdit : « Les Académiciens et les Sceptiques... véritablement sont les seuls qui méritent le nom de Philosophes, si nous nous attachons à la véritable signification de ce nom.»

(2) « Il est de fait, ait Lamennesius, que souvent les sens nous trompent, que le sentiment intérieur nous trompe, que la raison nous trompe, et que nous n'avons en nous aucun moyen de reconnaître quand

Alii vero in aliqua ratione interna regulam veritatis reponunt : eorum tamen sententia non est eadem. Quidam enim illam collocant *in fide naturali*, seu *in instinctu cæco naturæ*, ut placet Reid (1), vel in quodam *sensu et affectu animi*, ut placet Jacobi aliisque, vel *in inclinatione et indigentia quadam naturali* seu *necessitate agendi*. Hæc allata media, omnia redigi possunt in *fidem naturalem*.— Quidam vero omnium esse demonstrationes arbitrantes, normam cognoscendi verum *demonstrationem* esse statuunt (2). Alii criterium veri docent esse ID IPSUM FECISSE, ut sentit Vico (3), scilicet *in eo, quod intellectus manifestationem veri effecerit*. Alii denique normam veritatis constituunt *in penetratione et identitate subjecti et objecti*, ut Schelling, Hegel, aliique contendunt. Hæc sunt fere omnia criteria, quæ in operibus philosophorum leguntur : eaque singillatim, breviter tamen, sunt hic refutanda, dummodo disquisitio ista molestiam non ingerat animis.

IV. *Scepticismus absolutus nec confutari nec excuti potest : vulgaris vero, qui aliquid affirmat vel negat, excuti quidem, refutari tamen proprie non potest : modus illum excutiendi proponitur.*

Scepticismus, qui, ut dictum est, in retentione assensus circa rerum veritatem consistit, si logice totus evolveretur,

nous nous sommes trompés, aucune règle infallible du vrai... Le consentement commun, *sensus communis*, est pour nous le sceau de la vérité ; il n'y en a point d'autre.» *Essai sur l'indifférence*, chap. 13. — Quid vero sit *sensus* (quam vocem loco vocis *consensus* perperam ponit) *communis*, ibidem declarat dicens : «Il n'est que l'autorité du grand nombre.» Et in cap. 14o «La plus grande autorité que nous puissions concevoir est *l'autorité du genre humain ;* par conséquent elle renferme le plus *haut degré* de certitude où il nous soit donné de parvenir.»

(1) «La perception, ait Reid, renferme deux éléments ; d'une part la conception ou la notion de l'objet, de l'autre la CROYANCE à son existence actuelle. Essai II, ch. 20.

(2) Arist. Analyt. post. lib. I, c. III.

(3) Vico, De antiquissima italorum sapientia — cap. I, § 1 et 3.

humana ratio neque aliquid scire, neque opinari, nec de propria dubitatione vel ignorantia aliquid affirmare vel negare posset, sed muta manere deberet, sine possibilitate aliquid proferendi. Etenim mens, si universali regula, secundum quam cognoscitur verum, destitueretur, oculis corporeis similis effecta, qui solari luce privantur, nullam vim quicquam manifestandi amplius haberet. — Hujusmodi vero scepticismus non potest confutari; siquidem ad facultatem omnem cognoscendi ut planta se habet. « Ridiculum est, recte ait Aristoteles, quærere rationem ad eum, qui nullius habet rationem, quatenus nullam habet rationem : similis namque plantæ talis est, prout talis est (1).»

Verum, quia nemo, ipsa bonitate naturæ repugnante, ad talem scepticismum unquam est lapsus; sed qui sceptici dicti sunt, aliquid *implicite* semper affirmarunt vel negarunt : idcirco horum indolentia vel imaginatio bene excuti potest. *Excuti*, inquam, non autem *refutari*, nullum enim argumentum legitime adhiberi potest ad convincendum negantem id, quod est omnium evidentissimum, quodque ratiocinationi omni præsupponitur (2), nempe, *posse a ratione aliquod verum cum certitudine percipi et comprehendi.*

Modus igitur vulgarem hunc scepticismum excutiendi talis est : 1° Ostendere oportet, illegitimum prorsus esse processum, quo sceptici utuntur ad probandum, *omnem assensum animi in speculativis esse cohibendum.* Equidem philosophiæ munus est declarare et explicare ea, quæ sunt in natura,

(1) Metaph. lib. III, cap. IV. — edit. Didot, vol. II, pag. 504.

(2) «Qui persuadere vellent, ait Tullius, esse aliquid, quod comprehendi et percipi posset, inscienter facere dicebant philosophi, et ii quidem non mediocres; propterea quod nihil esset clarius ἐνάργεια, ut Græci : (perspicuitatem, aut evidentiam nos, si placet, nominemus). Sed tamen orationem nullam putabant illustriorem ipsa evidentia reperiri posse, nec ea, quæ tam clara essent, definienda censebant.» — Acad. qq. lib. II, cap. 6.

non autem ea perimere vel torquere. Jam vero, hoc factum naturae, a quo nemo se evellere potest, nempe : *Humana ratio aliquid certo comprehendit et percipit*, quod mens explicare deberet et declarare, sceptici perimunt omnino per suam sententiam *de retinendo in omnibus animi assensu*. Ergo falsus ac prorsus illegitimus est scepticorum processus; torquent enim ac perimunt naturam, quam explicare deberent.

2° Ostendere oportet, quod reipsa sceptici aliqua admittunt ut certa; et proinde, dum omnem assensum animi cohibendum esse asserunt, sibi repugnant. — Sciunt enim ipsi se esse et cogitare; sciunt quid sit verum, alioquin non possent dicere mentem non cognoscere verum; sciunt omnia caecis obscuritatibus esse involuta, et nihil esse certi, quod aut sensibus, aut intellectu percipi possit, hoc enim ipsi docent; sciunt rationes, quas ipsi, ad ingerendam animo dubitationem de omnibus, afferunt; utilitatem quoque hujus retentionis assensus approbant, ad tranquillitatem nempe animi ac beatam vitam. Ergo aliquid certi percipi posse ab intellectu hominis, etsi verbo tenus inficientur sceptici, revera tamen admittunt. Ergo sceptici dogmatismum, secundum certa ac determinata principia progredientem, reipsa profitentur. Aliquid ergo repugnans proferunt ipsi, dum docent esse dubitandum de omnibus.

Iis, qui scepticismum profitentur, vere non datur medium; aut enim in absolutam et universalem rationis mutitatem se redigere debent, contra quam sua forti ac ineluctabili vi tota natura hominis pugnat; aut confiteri coguntur, aliquid certi a ratione posse percipi et comprehendi. — Sed de hac vulgari et ignava philosophia satis.

V. *Idealismus sive absolutus, sive partialis, Berkeley vel Kantii, proprie non potest refutari; potest tamen excuti : probatur autem criticismus Kantianus in apertam incidere repugnantiam.*

Idealismus sive absolutus, qui et *egoismus* a nonnullis vocatur, sive partialis quoad corpora, qualis ponitur a Berkeley, sive quoad ideas puras, qualis a Kantio, *non potest*

proprie refutari, sed, quemadmodum de scepticismo dictum est, aspectum animi excitando, *excuti duntaxat*. Nam quanam via probari posset hoc factum primigenium cognitionis, omni ratiocinio præsupponendum, quod ab idealistis negatur, nimirum : *Sensus et intellectus sunt facultates animi, quarum natura est repræsentare verum?* Idealismus ergo sive absolutus sive partialis, proprie nequit confutari.

Potest autem hoc modo excuti : 1° Quia falsus omnino est processus, quem idealistæ tenent : dum enim, *præsupposita aptitudine animi ad cognoscendum verum*, explicare ac declarare deberent medium, *secundum quod facultates sensus et intellectus veritatem rei repræsentare dignoscitur* ; ipsi hoc factum naturale et originale, de aptitudine animi ad cognoscendum verum, hanc legem primigeniam sensus et intellectus, ab omnibus sine controversia præsupponendam, perimunt omnino.

2° Quia idealistæ, dum admittunt apparentias illas interiores, tum ex parte sensuum tum ex parte intellectus, et realitatem ipsis respondentem admittant necesse est. Idem enim illud lumen, quod supra se rediens apparentias subjectivas ostendit, ostendit simul directe ipsis realitatem respondere. Ergo si pro uno creditur illi lumini, cur pro altero non creditur?

Verum placet hic Emmanuel Kantium, patrem recentiorum sophistarum, peculiari modo impugnare : Criticam instituit sophista iste Germanus de ratione pura, *de facultate nempe rationali universe sumpta, respectu cognitionum omnium universalium, ad quas, ab omni experientia libera, potest ipsa anniti* (1); conclusio vero, in quam devenit, hæc est : *Ratio*

(1) «Par la *critique de la raison pure* je n'entends pas... une critique des livres et systèmes, ait Kantius, mais celle de la raison comme faculté en général, par rapport à toutes les connaissances auxquelles elle peut aspirer, *indépendamment de toute expérience*, par conséquent la solution de la question de la possibilité ou de l'impossibilité d'une métaphysique en général, et la détermination de ses sources.» — *Préface de*

pura, præcisa experientia, nullum habet valorem objectivum: omnes proinde conceptus universales, metaphysici, ad rationem puram pertinentes, ex se, remota experientia sensuum, non sunt nisi quædam vanæ formæ, quibus extra mentem nulla realitas respondet (1).

Quæratur modo a Kantio : Hæc tua conclusio : *Ratio pura, præcisa experientia, nullum habet valorem objectivum*, nonne uti veram objective probas? Certe. — Et si uti veram objective probas, quanam ratione colligis illam? Nonne eam, cum sensus de ratione pura nequeant criticam instituere, per ipsam rationem puram colligis? Ita. — At quomodo tunc per rationem puram, de se nullum valorem objectivum habentem, conclusionem tamen valorem objectivum habentem infers? Nonne hoc aperte repugnat? Nonne tuum opus : *Critica rationis puræ*, labe ista vitiatum, totum sophisticum evadit?

Ex his patet, totam criticam Kantii seipsam destruere : nam per rationem puram, quæ, sua sententia, nullum valorem objectivum habet, aliquid objectivum infert, ea nempe omnia, quæ de ratione pura discurrendo colligit. — Hujusmodi sunt homines isti, quos ætas nostra uti philosophiæ parentes veneratur!

VI. *Non potest divina revelatio, neque auctoritas generis humani, neque ipsa objectiva et immediata manifestatio rationum æternarum in Deo, esse regula suprema, secundum quam veritas cognitionis examinatur.*

Opinionibus eorum, qui vel totaliter vel ex parte tantum cognoscendi facultate hominem destituunt, rejectis, nunc eæ

la première édition. — Quapropter, hoc Kantius intendit examinare et recognoscere vim propriam rationis, suorumque conceptuum valorem.

(1) «Des concepts (purs), ait Kantius, sans intuition (sensible) correspondante, ne peuvent donner une connaissance, § 81 — ne représentent aucun objet... § 211... sont vains. Et quoiqu'il y ait pensée, rien cependant n'est réellement connu par cette pensée ; on aurait seulement joué avec des représentations.» § 224 — *Critique de la raison pure*, vol. I, 3me édit. en français, par Tissot.

sententiæ refutandæ sunt, quæ, etsi criterium aliquod dignoscendi verum esse probent, in ipso tamen assignando falluntur.

1° Primo itaque concedendum est omnino, *divinam revelationem esse criterium auxiliare veritatis naturalis examinandæ* : siquidem quidquid divinæ revelationi opponitur, tametsi rationi consentaneum esse appareret, tamen ut falsum rejiciendum est. Item, divina revelatio ea, quæ sunt rationis, nobiliori ac firmiori lumine perfundens, naturalem philosophiam roborat et confirmat. — Contra Huetium autem dicendum est, *divinam revelationem non esse unicum ac proprium criterium rationis :* alioquin inter naturalem philosophiam et fidem nullum amplius extaret discrimen ; quod quidem asserere est falsissimum. — Præterea, constituere divinam revelationem ultimum criterium rationis, omnino repugnat : ipsa enim per auditum suscipitur et per intellectum; auditus excipit verba, intellectus vero eorum significationem intelligit. Compertum est autem non esse divinam revelationem criterium dignoscendi, num verus fuerit auditus, et num intellectus germanam significationem verborum intellexerit. Ergo præter divinam revelationem, quæ est criterium externum, aliquod aliud criterium internum ponatur oportet. — Denique, non potest intellectus excipere divinam revelationem tanquam criterium dignoscendæ veritatis, nisi prius percipiat eam revera uti criterium posse haberi. Hoc autem intellectus naturaliter non percipit per ipsam divinam revelationem, quæ est aliquid externum, sed per proprium nativum lumen. Ergo falso divina revelatio ut unicum ac proprium criterium rationis asseritur.

2° Item concedendum est omnino, *consensum humani generis in aliqua re asserenda habere rationem quasi criterii* : etenim, si circa factum aliquod historicum versetur, tunc ut moraliter certum illud exhibet ; non enim est moraliter possibile, quod omnes fallant, vel fallantur; sin circa aliquam doctrinam, tunc pari ratione omnium conspiratio in eandem sententiam, uti judicium naturæ haberi debet. — Contra Lamennesium autem dico, *consensum generis humani non esse unicum et*

principale criterium omnis veritatis dignoscendæ : nam auditu suscipitur, intellectu discernitur. Præterea, si criterium humanæ cognitionis solus constitueretur, omnis scientia tunc de medio tolleretur ; est enim evidentia principiorum, quæ proprie efficit scientiam. Sententia itaque Lamennesii est prorsus rejicienda, eaque merito proscripta fuit a summo Pontifice Gregorio XVI, uti *fallax ac plane improbandum systema* (1).

3° Denique, criterium veri, quod juxta ontologistas sunt rationes æternæ in mente divina existentes, improbatur. Rationes enim illæ æternæ, utpote in Deo existentes, sunt extra mentem hominis ; nequeunt ergo constituere criterium internum, primum et ultimum, quod se teneat ex parte hominis. Insuper, nequit mens, uti proprio loco ostendetur, naturaliter intueri rationes æternas in mente divina existentes Ergo criterium ontologistarum est rejiciendum.

VII. *Non fides naturalis, aut cæcus instinctus, non indigentia et inclinatio naturæ, non sensus et affectus animi, non demonstratio, non idipsum, quod cognoscimus effecisse, non denique penetratio et identitas subjecti et objecti, potest esse suprema regula, secundum quam examinari debet veritas cognitionis.*

1° Nunc vero reprobandæ sunt omnes sententiæ illæ, quæ medium examinandæ adæquationis intellectus et rei, vel *in fide naturali* collocant, vel *in instinctu cæco naturæ*, vel *in indigentia et inclinatione naturæ*, vel *in quodam interiori animi sensu et affectu*. Siquidem hujusmodi sententiæ, quæ *suggestionem et inspirationem naturæ* uti regulam veritatis constituunt, germanam rationem scientiæ, quæ per evidentiam efficitur, subvertunt ; quippe hujusmodi regula, cum per se non sit lucida, aliis, quæ secundum ipsam judicantur, lumen non præbet. — Latam insuper, præsertim si fiat sermo de *animi sensu et affectu*, errandi viam aperiunt : siquidem hæ animi suggestiones inspirationesque, universe sumptæ, in

(1) Ep. encycl. — *Singulari Nos* etc. die 25a Junii, an. 1834.

plurimis subjectivæ sunt, indefinitæ, mutabiles, a diversa constitutione et dispositione subjecti provenientes, quæ non facile discerni possunt ab iis, quæ a natura originem habentes, ut notæ quædam secundariæ veritatis merito habentur.

Denique, nego in suggestione, ac indigentia naturæ posse proprie constitui regulam generalem dignoscendæ veritatis. Etenim si circa prima principia rationis ipsa versetur, (vere namque experimur inclinationem et indigentiam naturalem assentiendi huic principio : *Non est effectus sine causa*), tunc inclinatio et indigentia ista ab *evidentia* principii provenit, et proinde non tam est nota veritatis dignoscendæ, quam effectus veritatis cognitæ.

Si vero circa quædam objecta versetur, quorum veritas non evidenter apparet, tunc hujusmodi suggestio et inspiratio ex se proprie non manifestat verum, sed prout subjicitur rationi. Nam intellectus, si constantem ac universalem eam esse perspicit, tunc ratiocinando colligit, legem originalem naturæ eam esse, per quam intentiones ejusdem naturæ manifestantur. Quamobrem, tales inspirationes et indigentiæ naturales, etsi sint materia ratiocinii, nequeunt tamen ipsæ adhiberi tanquam universalis ac primaria regula dignoscendi verum; ut enim verum manifestare possint, superiori ac universaliori criterio subjici debent.

2° Neganda pariter est alia sententia, ab Aristotele memorata, quæ asserit, *supremam regulam veritatis cognitionis examinandæ esse demonstrationem*. Si res enim ita esset, tunc et ipsa demonstratio alia demonstratione indigeret; ac ita porro infinita poneretur progressio, quod est absurdum. — Insuper, per certam experientiam scimus, intellectum hominis ratiocinando incipere a quibusdam primis, immediatis, indemonstrabilibus, quorum nempe cognitio ab actu anterioris cognitionis non dependet. Nequeunt ergo ipsa per demonstrationem recognosci.

3° Nec cum veritate dici potest veri criterium, ut ait Vico, esse *vera, quæ cognoscimus, fecisse*. Etsi enim mens nihil possit intelligere, quin aliquid efficiat, intelligit namque

formando verbum, h. e. intelligibilem expressionem ejus quod intelligit : etsi quo efficientia ista intellectus a sensibus externis fuerit minus dependens, sicut contingit in mathematicis, ac in iis, quæ a materia, a forma nimirum sensibili, sunt maxime abstracta, eo cognitio clarior sit atque distinctior ; non potest tamen dici criterium veri esse *vera, quæ cognoscimus, fecisse.* Re quidem vera, ratio criterii, de quo quæritur, in eo proprie contineri debet, quod sit quædam ratio ultima et interna, et quod secundum ipsam intelligibilis ac immediata habitudo seu connexio cognitionis et realitatis cognitæ manifestetur. Porro criterium a philosopho Neapolitano propositum, non est quædam *ratio ultima* ; subjicitur enim, cum sit factum internum, ipsi testimonio sensus intimi : unde interroganti : Quomodo cognoscis, quod mens *vera quæ cognoscit, faciat ?* non alio modo responderi potest, nisi : *Sic per sensum internum percipio.* — Rursus, hoc criterium tametsi exprimat habitudinem effectus et causæ inter intellectum et verbum productum ; non tamen exprimit immediatam ac intelligibilem habitudinem seu connexionem cognitionis et realitatis cognitæ. Criterium ergo a Vico excogitatum prorsus est rejiciendum.

4° Item rejicienda est, ut omnino absurda, alia sententia, quæ tradit, criterium veri collocari debere *in penetratione et identitate objecti cum subjecto cognoscente.* Quæ *penetratio* et *identitas* ad mentem auctorum hujus sententiæ, non eo sensu accipienda est, quod objectum debeat esse in mente per repræsentationem sui, et quod mens intelligendo debeat fieri *idealiter* quodammodo ipsa res intellecta, quod et nos cum schola docemus ; sed quod objectum *secundum se* debeat esse in mente, ut aliquid idem cum ipsa, ita ut mens nihil, quod sit extra, cognoscat. — Hæc sententia eo solum rejicienda est, quod naturam torquet et truncat : hæc enim est natura cognitionis hominis, ut, cum aliquid cognoscimus, illud reipsa, si excipias quæ per sensum intimum cognoscuntur, cogamur impulsu evidenti naturæ dicere esse extra nos. — Ceterum hæc sententia incidit in idealismum purum, vel in idealismum

pantheisticum, qualis est ille recentiorum Germanorum, de quo suo loco dicetur.

De falsis hominum commentis circa supremam regulam, secundum quam examinari debet adæquatio intellectus et rei, in qua adæquatione veritas consistit, satis dissertum est : nunc autem vera sententia proponatur et probetur oportet.

CAPUT II.

VERA SENTENTIA DE MEDIO RECOGNOSCENDÆ VERITATIS PROPONITUR, EAQUE PROBATUR.

I. *Ante propositionem et probationem veræ sententiæ, tria documenta notatu digna statuuntur.*

Antequam vera sententia proponatur et probetur, tria sunt accurate animadvertenda : Primo, verus philosophus is est, qui, ut candidus ac sincerus minister, naturam interpretatur, qui nempe nihil naturæ detrahit, nihil naturæ superaddit, sed quæ in ipsa observat, vel quæ ab observatis ratiocinando infert, fideliter ut vera proponit.

Deinde, principium et auctor proximus et immediatus omnis naturalis cognitionis est intellectus; quocirca nihil verius nihil certius potest esse hac propositione : *Intellectus hominis potest aliquid certo comprehendere et percipere*; enunciat enim ipsa factum primigenium humanæ cognitionis, quod si in discrimen vocaretur, tota in *nihilismum* evanesceret ratio hominis. Qui ergo hanc legem, omnino fundamentalem, probare conantur, nonnisi ignari ad probationem accedunt, ac extra philosophiæ campum sine principio, sine fine, sine lege vagantur. Natura quippe nobis exhibet hanc legem, non ut aliquid, de cujus veritate sit quærendum, sed ut aliquid,

quod in capite omnis cognitionis, uti certissimum ac verissimum est præsupponendum.

Tertio, quoniam intellectus aliquod verum cum certitudine percipere potest et comprehendere, minime dubitandum est, aliquam supremam regulam extare pro examine adæquationis intellectus et rei; de hac regula proinde non debet, nec potest per ratiocinium quæri, sed ipsa, sicut potentia cognoscendi verum, præsupposita, *qualis sit* per attentam animi observationem definire oportet.

Hæc est hujus regulæ investigandæ vera methodus, quam qui non servant, vel in apertam incidunt repugnantiam, si existentiam hujus regulæ negent; vel principium petunt, si eam probare conentur; vel, si nec repugnare sibi velint, nec petere principium, in absoluta rationis mutitate, seu in nihilismo rationis, natura repugnante, se constituere coguntur.

II. *Ratio interior in cognoscente, secundum quam dignoscitur, an elementa, quorum cognitio ratiocinationi præsupponitur, fuerint ab animo fideliter ac vere relata atque manifestata, est perspicua illa ac evidens manifestatio objecti, secundum quam objectum formaliter manifestatur in animo et repræsentatur.*

Explosis falsis philosophorum commentis circa criterium examinandæ veritatis cognitionis, vera sententia modo est proponenda, atque probanda. — Quærebatur ergo : *Quænam est ratio illa interior in cognoscente, secundum quam examinatur, an elementa, quorum cognitio ratiocinationi præsupponitur, ab animo fideliter vereque relata fuerint atque manifestata?* Aliis verbis : *Cum cognitio non sit ipsa realitas, sed repræsentatio realitatis in animo existens, secundum quamnam normam judicandum est, cognitionem esse vere cum realitate* REPRÆSENTATIVE *conjunctam?*

Ante responsionem recolere oportet, quod superius diximus, nequaquam de existentia hujus normæ esse quærendum, sed, naturali evidentia impellente, sine controversia, eam ut rem omnino certam esse præsupponendam. Huic sententiæ qui resistere nititur, cogitur asserere intellectum nullam habere

potentiam cognoscendi verum : consequenter totam humanam cognitionem perimit. — Existentia igitur hujus normæ præsupposita, sic respondeo :

1° Si elementa ratiocinii sint notiones simplices et universales, vel etiam judicia per se nota, quæ et analytica dicuntur; tunc lux (1) illa interior, quæ est propria intellectus in actu, sub qua immediate elementa illa manifestantur et percipiuntur, est certa ac secura regula, secundum quam ab animo ea fuisse vere fideliterque manifestata certo dignoscitur. Etenim lux ista non est aliud quicquam, quam perspicua manifestatio notionum universalium, ac principiorum analyticorum, *secundum quam* hæc formaliter repræsentantur et cognoscuntur ab animo (2) ; *ob quam* animus firmiter ac necessario adhæret eis, ac in ipsis quiescit; *qua demum primo remota*, omnis via ea manifestandi, repræsentandi, dignoscendi tollitur. Quando ergo quis quærit : Quænam est norma, secundum quam dignoscitur, hanc manifestationem et locutionem mentalem, his verbis expressam : *Totum est majus sua parte*, reipsa adæquationem habere cum veritate rei ? Respondendum est : Norma dignoscendi, quod hæc manifestatio et locutio mentalis, his verbis expressa : *Totum est majus sua parte*, reipsa adæquationem habeat cum veritate rei, est perspicua et clara manifestatio totius et partis, ac habitudinis utriusque inter se, idipsum repræsentans in mente, quod totum et pars secundum suam entitatem est in re (3).

(1) Nomen *lucis* « primo quidem, ait S. Thomas, est institutum ad significandum id, quod facit manifestationem in sensu visus : postmodum autem extensum est ad significandum omne illud, quod facit manifestationem secundum quamcumque cognitionem. » 1a P. q. 67, a. 1.

(2) Aliis verbis, lux ista, ad intellectum pertinens, est ipsum objectum, prout est terminus intrinsecus et formalis intellectus, est ipsa locutio interior, per quam mens aliquid simpliciter apprehendit, vel immediate judicat. « Ipsum intelligibile *(verbum mentis, idea, locutio interior)*, ait S. Thomas, vocatur lumen vel lux. » 1a P. q. 12, a. 5.

(3) Propositæ quæstioni respondent aliqui : Hoc principium, *To-*

2° Si elementa ratiocinii sint facta singularia (1), quæ in animo fiunt, tunc lux illa interior, sub qua animus experitur et percipit se diversimode affectum amore vel odio, lætitia vel tristitia, etc., quæ lux est propria sensus intimi, uti certa et secura regula haberi debet, secundum quam certo examinatur, num animus fideliter vereque ea facta retulerit ac manifestaverit. De hac luce enim, propria sensus intimi, respectu factorum internorum, eadem dici debent, quæ de luce intellectiva, respectu notionum universalium et principiorum analyticorum, dicta sunt. Quamobrem si quæratur : Quænam est norma, secundum quam dignoscitur, hanc manifestationem et locutionem mentalem, his verbis expressam : *Ego cogito*, reipsa adæquationem habere cum veritate rei? Respondendum est : Perspicua et clara manifestatio sensus intimi, per quem affectionem illam interiorem, cogitationem nempe, experior, est norma dignoscendi, quod hæc manifestatio et locutio mentalis, his verbis expressa : *Ego cogito*, reipsa adæquationem habeat cum veritate rei.

3° Si elementa ratiocinii sint facta singularia, quæ extra animum in natura corporali *hic et nunc* existunt ; tunc lux illa interior, quæ est propria sensuum externorum, sub qua experimur et percipimus lucem ac diversos colores corporum, sonus, etc., est certa ac secura regula, secundum quam dignoscitur, animum fideliter ea facta retulisse ac manifestasse. Secundum hanc lucem enim, quæ nihil est aliud, quam

tum etc., habet adæquationem cum veritate rei, quia ratio *majoris* respectu *partis* continetur in toto. Hæc responsio etsi vera sit, non est tamen ad rem ; non enim in præsenti quæritur *de ratione rei in se* ; verum de norma dignoscendi, num mens in repræsentando, adæquationem habeat cum veritate rei.

(1) Facta singularia sunt elementa ratiocinii remota : siquidem ex ipsis, complete vel sufficienter enumeratis, formantur, uti in antecessum dictum est, principia universalia synthetica, quæ ratiocinio proxime deserviunt.

evidens et perspicua manifestatio factorum, prout hic et nunc in natura corporali existunt, et in organa agunt, hæc facta formaliter repræsentantur in animo, et animus, ab ipsa impulsus, eis assentit. — Exercitium hujus lucis si removeretur ab homine, nulla naturalis via, ut patet in cæcis et in surdis, ei suppeteret, manifestandi, repræsentandi, et dignoscendi ea, quæ in natura corporea fiunt.

Quando itaque actus ille intellectus, superior ac vere philosophus, qui quasi judex in superiori parte animæ sedet, criticam de cognitione, prævia ratiocinio, instituit, tribus mediis internis, quibus animus cum realitate *repræsentative* conjungitur, uti debet, luce scilicet intellectus, luce sensus intimi, luce sensuum externorum. Sunt hæ tres luces veluti tres faculæ, quæ si extinguerentur, omni facultate intelligendi, demonstrandi, opinandi, dubitandi, errandi, ignorandi, destitueretur homo, ut truncus inde et stipes in omnimoda et absoluta mutitate constitueretur. Si vero earum lumen excutiatur riteque adhibeatur, tota interior cognitio, non secus ac circumstantia ista objecta luce diei, earum fulgore illuminatur; ac ita animus certitudinem vere philosophicam, mediantibus ipsis, potest de rebus assequi.

CAPUT III.

DE LUCE INTELLECTUS, SENSUS INTIMI, ET SENSUUM EXTERNORUM.

I. *Declaratur natura lucis intellectus, sensus intimi, et sensuum externorum.*

Norma itaque criticæ instituendæ est lux illa interior, quæ est propria vel intellectus, vel sensus intimi, vel sensuum externorum, secundum quam objecta manifestantur cum *evidentia;* quæ vox *modum quemdam perspicuum ac promi-*

nentem manifestandi significat, secundum quem objectum claro et aperto modo facultati animæ se perspiciendum porrigit. — Quæritur igitur in hoc capite de *natura* et *efficacia* horum trium luminum. Et primo quidem de eorum natura.

Natura lucis intellectus, sensus intimi, et sensuum externorum potest spectari in generali, secundum id, quod hæc tria lumina commune habent inter se, et in particulari, secundum quod distinguuntur.

1° Ad hanc triplicem lucem in communi spectatam, pertinet esse quandam vim vitalem, lucidam, interiorem, manentem in cognoscente, et ipsum formaliter perficientem. Ut enim per intimam experientiam constat, hæc triplex lux triplicem illum aspectum animæ constituit, secundum quem anima penes se manens, vel quæ in natura corporali hic et nunc sunt præsentia, vel quæ fiunt in ipsa diversimode affecta, vel æternas ac universales formas rerum intuetur.

2° Luci sensuum externorum et intellectus commune est referre ac manifestare aliquid diversum ab ipsa. Etenim, etsi interiori et ineluctabili experimento percipiamus, facta singularia, cognita per sensus externos, pendere a luce sensuum externorum; formas universales, cognitas per intellectum, pendere a luce intellectus, ut manifestentur et repræsententur in animo; tamen eodem interiori et ineluctabili experimento sentimus, quod res manifestata per sensus externos, sit aliquid independens ac diversum a luce interiori ipsorum. Quis enim videns *solem* vel *lunam*, non sentit simul *solem* et *lunam* esse aliquid diversum ab evidentia visus, quod, tametsi a visu non perciperetur, per se permanet? Item, interiori et ineluctabili experimento sentimus, quod rationes illæ abstractæ et universales, manifestatæ per lucem intellectus, sint aliquid independens a manifestatione illa interiori, quæ est in nobis. Quis enim non sentit hujusmodi veritates : *Bis duo sunt quatuor — Mansuetudo est amabilis — Avaritia est odibilis*, etc., immutabiles permanere, etiamsi nullus extaret humanus intellectus, qui eas cognosceret?

Luci igitur sensuum externorum et intellectus commune est referre ac manifestare aliquid diversum ab ipsa. Excipitur autem lux sensus intimi, qui, ut patet, est ipsamet vitalis affectio animæ, ut *cogitatio*, *voluptas*, *dolor*, etc., quæ ipsa se refert per se.

Ex his autem considerare oportet naturam lucis hujus interioris, quæ se tenet ex parte sensuum externorum, et intellectus. Habet enim hæc lux, ut ita dicam, duas facies : unam, quatenus est in anima, quam informat ac perficit; alteram, quatenus rem extra animam, actu repræsentat ac refert : quare, diversimode spectata, aliquid *subjectivum* est et *objectivum*. Est autem maxime *aliquid objectivum* : quia signum naturale est et manifestatio, quæ ad repræsentandum objectum potissime ordinatur; ac ita quidem, ut primam faciem, secundum quam perficit animam, videatur quodammodo abscondere, ut sic lucida tota appareat ex parte objecti.

3° Denique, hæc tria lumina sunt aliquid ita primum in manifestando, ut de iis, quæ ab ipsis immediate ac evidenter manifestantur, nequeamus ulteriorem quærere rationem, sed in manifestatione uniuscujusque luminis, tanquam in aliquo primo, immobili et ultimo testimonio, a quo appellari non potest, quiescendum est. Quod quidem per experientiam aperte constat; experimur enim in nobis quandam vivam, interiorem, lucidam efficaciam, secundum quam animus determinatur necessario ad manifestanda in se, ad cognoscenda et asserenda, sive quæ hic et nunc in natura corporali existunt, sive quæ in ipso fiunt, sive rationes rerum sempiternas. In tribus istis luminibus ergo consistunt primæ ac ultimæ regulæ veritatis, non quatenus veritas existit in se, sic enim sine ulla dependentia a cognitione nostra veritas existit; sed quatenus manifestatur in cognoscente, ab ipso cognoscitur et asseritur.

Hæc de natura lucis interioris animæ in communi; verum si in particulari spectetur, juxta diversitatem objectorum manifestatorum distributa; tunc est proprium lucis intellectivæ

manifestare universalia et abstracta, ac reliqua omnia, quæ sempiternam habent veritatem. Est proprium lucis sensus intimi, manifestare facta contingentia in anima. Est proprium demum lucis sensuum externorum, manifestare facta contingentia in natura corporali *hic* et *nunc* existentia et in organa sensuum exteriorum *actu agentia*. Sed de hac re in primo libro jam dictum est.

Ultimo, circa ordinationem hujus triplicis lucis advertendum est, quod lux sensus intimi et sensuum externorum, quoad usum et directionem, lumini intellectus subjiciantur : lumen autem intellectus nulli subjicitur. Quoad *usum* quidem, sensus enim externi et sensus intimus sunt veluti ministri et nuncii, qui afferunt materiam intellectui, ex qua notiones universales et principia universalia ipse eruit. — Quoad *directionem* vero, est enim intellectus judicare et discernere, num hujusmodi facultates circa proprium objectum fuerint rite applicatæ. — Intellectus autem ut oculus interior, quasi in arce collocatus, quæ infra, quæ circa, quæ supra hominem sunt, comprehendit, ad interiora usque rerum pertingens.

II. *Declaratur efficacia lucis interioris, secundum quam discernitur verum, quod immediate manifestatur per sensus externos, per sensum intimum, per intelligentiam.*

Modo de efficacia hujus triplicis lucis oportet dicere, de uniuscujusque nempe *infallibilitate* in manifestando, nec non *de vi* impellendi animum ad assensum.

Et primo quidem ab infallibilitate incipiendo, dico : *Lux interior, propria operationis cujuslibet sensus externi*(1), *dum-*

(1) Quinque sunt sensus externi, *visus*, *auditus*, *olfactus*, *gustus*, *tactus* : quælibet vero horum sensuum operatio lucem secum affert, sub qua suum objectum manifestat ; sine hac luce enim non potest esse manifestatio, sine manifestatione autem operatio sensuum externorum objectum suum animo renunciare non potest. — Objectum autem sensus

modo conditiones omnes requisitæ serventur, infallibilis est, eaque proinde qualitates sensibiles corporum tales refert, quales reipsa sunt. — Conditiones autem requisitæ sunt hujusmodi, quod circa proprium primarium objectum lux ista versetur, ut visus circa lucem et colores, auditus circa sonos, tactus circa asperum vel molle, etc.; quod organa sensus, quæ et sensoria dicuntur, ut oculus, auris, etc., sint sana et bene valeant; quod objecta in requisita distantia sint locata; quod medium, per quod impressio objecti quasi per vehiculum ad organum transfertur, sit naturale; quod omnia removeantur, quæ obstant et impediunt; demum, quod diligens adhibeatur exercitatio (1). — Omnibus igitur hisce conditionibus adimpletis, recte tunc lux ista sensuum externorum adhibetur; quæ, cum ex sua natura ad hujusmodi sensibiles qualitates, *colorem* nempe, *sonum*, *calorem* vel *frigus*, *etc.*, manifestandas sit primo ac per se ordinata, uti experimur, infallibiliter proinde eas manifestat : *opus enim naturæ sincere operantis est opus Dei, qui nec falli potest nec fallere.*

Item *lux sensus intimi*, sub qua vivæ illæ affectiones, quæ in animo fiunt, experimentaliter sentiuntur et manifestantur, ut cum quis percipit se esse, se sentire hoc vel illud, se intelligere, se velle hoc vel illud, etc., *infallibiliter proprium objectum manifestat.* In concreto enim hæc lux sunt ipsæ eædem affectiones animæ, quæ nequeunt se al ter referre ab eo quod sunt.

Denique, *lux intellectiva, quascumque notiones universales,*

externi aliud est *primarium* et *proprium*, quod primo nempe et per se a sensu repræsentatur, aliud *secundarium* et *commune*, quod ratione objecti primarii attingitur (pag. 74 et 75, n.).

(1) « Adhibita exercitatione et arte, ut oculi pictura teneantur, et aures cantibus, quis est, ait Tullius, quin cernat, quanta vis sit in sensibus? Quam multa vident pictores in umbris, et in eminentia, quæ nos non videmus? Quam multa, quæ nos fugiunt in cantu, exaudiunt in eo genere exercitati?» Lib. II, Acad., cap. 6.

quæcumque principia per se nota, clare et aperte manifestans, est infallibilis. Id enim quod hæc lux sic repræsentat, est aliquid, sive actu sive potentia, reale. « Unum aliquid opinatur, ait Plato, quisquis opinatur (1), » unde quod nihil est, repræsentari et cogitari non potest. — Insuper, quod repræsentatur, est aliquid unum, simplex, indivisibile, quod non potest aliter esse ab eo quod est (cf. pag. 95, n.). Non datur ergo modus errandi simplici visioni intellectus, aut enim lux ejus nihil repræsentat, aut, si repræsentat, continuo verum est quod repræsentat.

Nunc ad efficaciam hujus triplicis lucis accedendo, dico, eam vi sua invincibiliter ad assensum animum impellere. Quando enim sensus externi rite adhibiti, secundum suam lucem clare referunt *diem esse*, vel *strepitum corporis labentis*, etc. : quando sensus intimus secundum suam lucem clare refert *interiorem animi dolorem*, vel *timorem*, vel *sensationem*, vel *cogitationem*, vel *voluntatem*, etc. : quando intelligentia secundum suam lucem ostendit *quid sit ens, quid unum, impossibile est idem secundum idem simul esse et non esse*, etc., animus tunc plenitudine hujus lucis comprehensus, in assensum tanta vi rapitur, ut frustra quis conaretur suam cohibere assensionem. Nam ipso lucido instinctu naturæ pulsi sentimus, 1° Quod nihil tribus istis luminibus nobis naturaliter possit esse certius ; sentimus siquidem ea esse principia omnis naturalis certitudinis. 2° Quod quodlibet eorum necessario præsupponi debeat in eo ordine cognitionis, cui præest, quia secundum ipsa et per ipsa omnis naturalis rerum manifestatio efficitur in animo. 3° Quod denique qui hæc lumina impugnare annituntur, non studeant. ut veros philosophos decet, naturam cognoscere et explicare ; sed insano ac temerario ausu torqueant et violent.

(1) Civitas, lib. V, edit. Didot, vol. II, pag. 103.

III. *De triplici genere certitudinis, quæ a triplici illo lumine cognitionis oritur; nec non de eo quod sequeretur, si quis uni vel alteri lumini, vel tribus simul nollet acquiescere.*

Ex his autem intelligi debet, juxta hanc triplicem lucem hucusque declaratam, triplex genus certitudinis oriri. Per lucem enim, quæ est propria sensuum externorum, oritur certitudo, quæ *physica* nuncupatur; per eam, quæ est propria sensus intimi, certitudo, quæ, si sapientibus placeat, dici potest *psychologica*; per eam denique, quæ est propria intelligentiæ, certitudo, quæ vocatur *metaphysica*.

Per certitudinem physicam et psychologicam animus adhæret factis singularibus, contingentibus, quæ aliter possunt esse, vel propositionibus universalibus, quæ ab hisce factis per inductionem ratiocinando colliguntur; quæ etsi legem necessariam naturæ exprimant, ea tamen non est *absoluta*, cujus scilicet oppositum cogitare repugnantiam involvat.

Per certitudinem vero metaphysicam animus veritati absolutæ, universali, immutabili et æternæ adhæret; ac ita adhæret, ut cogitari nequeat, rem aliter posse esse ab eo, quod manifestatur. Lux enim, a qua certitudo ista oritur, clare intus affulget et docet, rem ita esse, aliter omnino esse non posse. Et vere quidem, quis potest cogitare *aliquid secundum idem posse esse simul et non esse*, aut, *quod possit esse causa sine effectu*, aut, *quod totum minus sit sua parte*, etc.? «Ea quæ naturaliter rationi sunt insita, ait S. Thomas, verissima esse constat, intantum ut nec ea esse falsa sit possibile cogitare(1).»

Item, ex dictis in antecessum intelligi debet, quomodo tota cognitio cessaret, si quis acquiescere nollet uni vel alteri lumini, vel tribus simul. Siquidem lumine sensuum externorum erepto, de iis quæ fiunt in natura corporali, nulla amplius

(1) *Contra Gentes*, lib. I, c. 7.

posset esse cognitio. — Rursus erepto lumine sensus intimi, nec de propria quidem existentia, aut cogitatione, aut sensatione ulla posset esse notitia; quippe lumen fundamentale est, quo sublato, nulla facultas, ad cognitionem quod attinet, suam operationem posset exercere; quomodo enim operatio quicquam referre posset animo, nisi aliquo modo animus ab ipsa se sentiret affectum? — Denique, erepto lumine intelligentiæ, nulla intellectiva cognitio amplius posset esse : humana scientia, quæ de universalibus est ac sempiternis, tota penitus periret. Et vere quidem per lumen intelligentiæ universalia cognoscuntur et prima principia analytica. Hoc lumine igitur remoto, tota cognitio ista evanesceret : cum ipsa vero omne judicium mentis et ratiocinium. — *Omne judicium evanesceret*, quia quodlibet judicium intellectus, ut in libro primo ostensum est, sub lumine alicujus notionis universalis efficitur; insuper præsupponit ipsum illud primum principium analyticum, *Impossibile est idem, secundum idem, esse simul et non esse*, sine quo nulla potest fieri affirmatio vel negatio. — *Omne ratiocinium evanesceret*; non enim est ratiocinium, si non sint judicia, a quibus pendet. — Vere itaque, remoto lumine intelligentiæ, quæcumque intellectiva cognitio, et omnis scientia necessario cum ipso removeretur.

Ergo hi, qui negant sinceritatem, fidelitatem, veritatem, hujus triplicis lucis in manifestatione rerum, « hæc ipsa eripiunt, ait Tullius, vel instrumenta, vel ornamenta vitæ : vel potius etiam totam vitam evertunt funditus, ipsumque animal orbant animo : ut difficile sit de temeritate eorum, perinde ut causa postulat, dicere (1). » — Hactenus in hac secunda sectione de tribus luminibus, ad quorum claritatem elementa ratiocinii sunt revocanda.

(1) Acad. qq. lib. II, cap. 10.

SECTIO TERTIA.

OBJECTA MOTA CONTRA EA, QUÆ IN SECUNDA SECTIONE FUERUNT CONSTITUTA, REFELLUNTUR.

CAPUT I.

ADVERSARIORUM ARGUMENTA CONTRA TRIA LUMINA COGNITIONIS IN COMMUNI, CONTRA LUMEN SENSUUM EXTERNORUM, ET SENSUS INTIMI IN PARTICULARI, PROPONUNTUR AC DISSOLVUNTUR.

I. *Proponuntur et diluuntur argumenta contra tria lumina cognitionis in communi.*

Declaratis tribus criteriis, quæ, ut dictum est, sunt media(1), seu lumina interiora, *sub quibus* res omnes naturaliter manifestantur in animo, et ab ipso per reflexionem recognoscuntur; modo in hac sectione adversariorum argumenta oportet diluere. Qua in re sane, nisi humana infirmitas tam leviter ab hominum fallaciis caperetur, non admodum esset laborandum : possent enim argumenta illa hoc uno refelli, quod principiis naturæ, quæ universæ cognitioni præesse debent, quæque ex se sunt certissima, opponantur.

(1) Triplex medium a schola in cognitione distinguitur, medium IN QUO, quod se tenet ex parte objecti, ut *speculum*; SUB QUO, quod se tenet ex parte cognoscentis, ut *lumen*; PER QUOD, ut est medium demonstrationis in syllogismo. — D. Thom. 1a P. q. 12a, a. 5, ad 2um, et q. 94a, a. 1, ad 3um. — Hic, ut patet, fit sermo de *medio sub quo*.

Primo igitur in communi, contra tria lumina a nobis constituta, argumenta tum scepticorum, tum aliorum, qui alia criteria stabilire volunt, proponuntur et confutantur.

Objic. 1°. Si aliqua essent criteria seu regulæ pro dignoscenda veritate, ipsa probatione indigerent; probatio vero alia probatione, ac ita porro quædam indefinita progressio deberet esse. Hoc est absurdum. Ergo nulla dantur criteria dignoscendæ veritatis.

R. *Distinguo majorem* : Indigerent probatione si non essent per se lucida ac evidentia, *concedo*; si lucida per se et evidentia, *nego*. Tria lumina a nobis constituta, uti per interiorem experientiam patet, sunt de se lucida et evidentia, quæ, sicut lux solis, aspici debent, ut videantur, et non probari. — Consideret hoc quisque, sive quando exercet visum corporalem, sive quando sentit se esse et cogitare, sive etiam quando prima principia rationis intuetur. *Concedendo* ergo *minorem, nego consequentiam*.

Objic. 2°. Si aliquod extaret criterium dignoscendi veritatem rei, deberet tunc animus posse comparare suam cognitionem cum re quam cognoscit, prout est in natura. Atqui nequit animus comparare suam cognitionem cum re quam cognoscit, prout extra animum existit in natura, siquidem cognitio est operatio immanens, quæ objectum, prout est extra animum, proprie non attingit. Ergo nullum extat criterium dignoscendi veritatem rei.

R. *Distinguo majorem* : Deberet tunc animus, etc., si hoc esset medium possibile, stabilitum a natura, *concedo*; si a natura sit aliud medium datum, *nego*. — Res potest vel immediate in seipsa cognosci, et hoc modo affectiones interiores animæ in seipsis, immediate per se cognoscuntur : vel potest cognosci in sua similitudine, seu, quod idem est, in signo naturali, cujus natura, ut supra diximus, tota ad repræsentandum est ordinata; et hoc modo res extra animam existentes cognoscuntur a nobis, quatenus nempe est aliquid in anima determinans necessario ac infallibiliter virtutem ejus ad

repræsentandum actu id, quod in natura extra animum existit. *Concedendo* ergo *minorem*, nego *consequentiam*.

Inst. At, quæret aliquis, si per repræsentationem in animo existentem cognitio fiat, quando aspicio *Petrum ambulantem*, et infero : *Ergo Petrus reipsa ambulat*, — quando video *bis duo esse quatuor*, et infero : *Ergo bis duo reipsa sunt quatuor*, in quo transitus iste de objecto prout est per repræsentationem in animo, ad objectum prout est in se, proprie nititur (1)?

Ante responsionem nota : Cognitio quæ fertur ad objectum, non considerando id per quod repræsentatur objectum, nominatur *directa*. Cognitio autem, quæ redit supra se examinando repræsentationem, per quam cognoscitur objectum, proprie dicitur *reflexa*.

Quibus intellectis, dico primo : *In cognitione directa proprie non datur transitus de objecto in animo, ad objectum prout est in se*. Si enim talis transitus esset in cognitione directa, deberet ipsa duos terminos respicere, unum ex parte cognoscentis (repræsentationem nempe objecti in animo), alterum ex parte rei (scilicet objectum). Atqui cognitio directa unum terminum tantum respicit, scilicet objectum; nam quisque facile experitur, quando primo facultates cognitionis exercet, non repræsentationem objecti in animo existentem, ipsum videre, sed objectum. Sic solemus dicere : *Video campos floridos*, — *Video totum esse majus*

(1) « Nous avons en nous, ait Kantius, des représentations dont nous pouvons aussi avoir conscience. Mais si étendue et si fidèle que cette conscience puisse être, les représentations ne sont cependant que des représentations, c'est-à dire des déterminations intérieures de l'esprit dans tel ou tel rapport de temps. D'où vient donc que nous faisons de ces représentations un objet, ou, qu'indépendamment de leur réalité objective comme modifications, nous leur attribuons encore je ne sais quelle réalité objective ? » *Critique de la raison pure*. — *Logique transcend.* — *Analytique des principes*. — *Seconde analogie*, n. 285.

sua parte : num apprehendimus *campos floridos*, vel *totum et partem, ac utriusque habitudinem*, ut aliquid in anima? Nonne evidentissime apprehendimus ea a parte rei, extra animum? — Compertum est ergo in cognitione directa non dari transitum de repræsentatione objecti in animo, ad objectum in re; sed unum immediate ac directe attingi, videlicet ipsum objectum. « Species intellecta (verbum mentis), ait D. Thom., secundario est id quod intelligitur : sed id quod intelligitur primo, est res cujus species intelligibilis est similitudo (1). »

Hujus autem ratio est : quia etsi cognitio directa et ipsa fiat per repræsentationem in animo existentem; tamen repræsentatio ista constituitur terminus *immediatus* et *proximus* actus mentalis, non quatenus est aliqua interior modificatio animæ, sed quatenus actu exercet munus repræsentandi et manifestandi. Etenim repræsentatio ista tota est ordinata ad manifestandum objectum, ac quodammodo est ipsum objectum; non secundum esse naturale, prout objectum est in se, sed secundum esse cognitionis seu manifestationis (2).

Dico secundo : *In cognitione reflexa, quæ ad intellectum solum pertinet, datur intelligibilis transitus.* Sunt enim in hac cognitione revera duo termini, siquidem per ipsam cognoscitur repræsentatio objecti, ut est in animo; rursus ex ipsa percipitur objectum, ut est in re; asseritur simul, vere objectum repræsentatum per ipsam, id esse in re, quod est in mente. Qui transitus in lumine seu manifestatione interiori totus innititur. Hoc lumen enim viva quadam ac evidenti ratione, ineluctabili vi per se lucens, et, ut vox quædam interior, veritatem loquens, denuntiat rem talem esse in re, qualis ab ipso manifestatur in animo. Et hæc sunt satis (3).

(1) 1a P. q. 85, ar. 2o.

(2) Cfr. Div. Thom. quodl. VIII, a. 4.

(3) De hac re lato calamo scripsimus in libro : *Examen de Ontologismo*, cap. V, § 4.

Objic. 3°. Non potest homo probare dari criterium dignoscendæ veritatis, si id, quod existentiæ hujus criterii prorsus opponitur, rejicere nequeat. Atqui homo nequit rejicere id, quod existentiæ hujus criterii opponitur, siquidem nulla est repugnantia fingendi, Deum tales animi facultates constituisse, ut tanquam verum referant, quod non est verum. Ergo non potest homo probare dari criterium dignoscendæ veritatis.

R. *Concedo majorem*; *nego minorem*, *ejusque probationem*; *nego consequentiam*. Repugnat enim *absolute*, quod Deus constituat talem intellectum, ut in simplici apprehensione, vel in judiciis analyticis et immediatis decipiatur; quia non potest mens intelligere, si non repræsentet; repræsentatio autem necessario est de ente et proinde de vero, quod enim nihil est, non potest repræsentari. Ergo non potest mens intelligere nisi ens et verum. Cum intellectione autem veri et entis (si simplex sit et indivisibilis, qualis est intellectio simplicis notionis), vel judicii analytici et immediati, nequit commisceri falsitas, quia, ratione suæ simplicitatis, est ut est, aut nullo modo est. Item, non potest fieri, quod Deus constituat sensum intimum fallacem, quia nonnisi seipsum refert. Ad sensus demum externos quod attinet, revera possunt ipsi corrumpi ac esse fallaces; repugnat tamen divinæ bonitati, quod fallaces ex propria natura constituantur : eorum fallacia autem accidentalis, quæ a Deo permittitur, ab intellectu facile, ut in antecessum dictum est, deprehendi potest.

Objic. 4°. Quamvis criteria discernendæ veritatis dentur, eorum tamen usus nullus est; magna est enim rerum obscuritas, angusti sunt sensus, imbecilli animi, brevia curricula vitæ, et, ut Democritus ait, in profundo veritas est demersa, omnia opinionibus tenentur et institutis, nihil veritati relinquitur. Conditio proinde hominis cum sit hujusmodi, quomodo potest homo aliquid certi cognoscere, percipere, et scire? Nonne in impotentia quadam revera est constitutus ad

aliquid certum et fixum comprehendendum? Quamobrem veri esse aliquid non est negandum, illud percipi posse et comprehendi est omnino negandum (1).

R. Profecto grandis est imbecillitas humani ingenii, misera conditio ejus; caveat tamen quisque, ne quibusdam generalibus considerationibus irretitus decipiatur; ut enim per experientiam constat, plura sunt quæ per evidentiam ab homine cognoscuntur, sive immediate, sive mediate propter evidentem connexionem cum iis, quæ immediate et evidenter percipiuntur.

Objic. 5°. Verum, concesso dari criterium dignoscendæ veritatis; nihilominus illud non est triplex, sed unicum, scilicet, *sensus intimus*, seu *conscientia*. Siquidem per seasum intimum experimur operationem tum intellectus, tum sensuum externorum.

R. *Nego* sensum intimum esse unicum criterium; ad probationem autem : *Siquidem per ipsum*, etc., *distinguo* : Per ipsum experimur operationem interiorem, ut est *factum internum, concedo;* quatenus hoc factum internum, operatio nimirum intellectiva et sensitiva, manifestat objectum externum, *nego*. — Solutio patet ex dictis.

Objic. 6°. Saltem auctoritas generis humani statui debet, uti supremum criterium dignoscendæ veritatis; ad ipsam enim ratio individualis uniuscujusque hominis ultimo revocatur ad discernendum, an cum veritate cogitet. Ergo præcipuæ regulæ dignoscendæ veritatis, non sunt illa tria lumina.

R. *Nego antecedens* : auctoritas enim generis humani, etsi sit criterium externum pro factis historicis cognoscendis maximum; ac ipsa in iis, quæ per rationem non satis evidenter comprobantur, et in examine, utrum recte necne sensus externi fuerint adhibiti, minime sit comtemnenda;

(1) Impotentia ista aliquid certi comprehendendi ἀκαταληψία penes veteres vocatur.

tamen, ut in anteactis ostensum fuit, evidentia tum intellectus, tum sensus intimi, auctoritatem generis humani omnino antecellere ponatur oportet.

II. *Solvuntur difficultates, quæ moventur contra lucem sensuum externorum.*

Hucusque explosa fuerunt, quæ adversarii contra triplicem illam lucem in communi possunt objicere; modo sunt refellenda argumenta illa, quæ contra sensus externos et sensum intimum speciatim moventur. Et primo quidem, quæ contra sensus externos :

Objic. 1°. Non est proprium sensus externi agnoscere veritatem, sed intellectus; ergo lux seu evidentia sensuum externorum nequit esse criterium veritatis.

R. *Distinguo antecedens* : Si sermo fiat de veritate formali, quæ est adæquatio intellectus et rei, *concedo;* si de veritate transcendentali, prout veritas convertitur cum ente, *nego.* Sensus enim vere cognoscunt phænomena rerum corporalium, seu qualitates sensibiles, quæ aliquid in natura reipsa sunt. Distinguendum est etiam consequens : Sensus externi nequeunt esse criterium veritatis *principaliter*, *concedo*; *ministerialiter*, *nego.* Sensus enim externi, cum non redeant per reflexionem supra se, nequeunt proinde per propriam lucem recognoscere adæquationem sui cum qualitatibus sensibilibus; nihilominus intellectus utendo luce sensuum externorum judicat, num cognitio, quam habet de qualitatibus sensibilibus, revera adæquationem habeat cum ipsis.

Objic. 2°. Fallacissimi sunt sensus, uti experientia comperitur. Ergo nequeunt esse criterium veritatis.

R. *Dist. ant.* Si sensus non rite adhibeantur sunt *fallacissimi*, *concedo;* si rite, *nego.* — Profecto non omne quod videtur, tale dicendum est esse, quale videtur; sed antea examinandum est sedulo, si sensus et sani sint et bene valentes, et nihil sit, quod obstet vel impediat.

Objic. 3°. Sæpe, in somno vel in delirio, sensus externi ut verum renuntiant, quod non est verum. Ergo eorum lux nequit esse veritatis criterium.

R. *Concedo* antec.; *nego* consequens et consequentiam. Nam in somno et in delirio sensus externi non rite adhibentur, ut patet. Etsi enim aliqua subjectiva repræsentatio qualitatum sensibilium fiat in animo, dum quis somniat vel delirat: tamen ipsæ non sunt ab objecto, quod præsens est et sensorium movet, sed ab internis impressionibus vel morbidis excitamentis. — Si somniantes vel delirantes reflectere possent ad absentiam illius impressionis sive motus, qui a præsentia et actione externi objecti provenit, statim ab errore suo liberarentur.

Objic. 4°. Sed si lux sensuum exteri rum foret regula veritatis, cur animus, quando sincere operationem intellectivam exercere debet, seipsum in se recipiat oportet, abstrahens se ab omnibus iis, quæ visu, vel auditu percipiuntur?

R. Animus non debet se abstrahere a sensibus, quando circa hæc sensibilia operationem intellectivam exercet; sed solum quando eam exercet circa universalia, a sensibus abstracta, vel circa spiritualia. Lux vero sensuum externorum ponitur uti criterium pro sensibilibus cognoscendis, non autem pro iis quæ a sensibus sunt remota.

Objic. 5°. Lux sensuum externorum nonnisi sensationes refert. Atqui inter sensationes et qualitates sensibiles rerum nulla est adæquatio; sensationes enim sunt modi quidam et affectiones animæ. Ergo inter lucem sensuum externorum, quæ solum sensationes refert, et qualitates sensibiles nulla potest esse adæquatio. Lux igitur ista nequit poni ut norma qualitatum sensibilium agnoscendarum.

R. *Dist.* majorem : Lux sensuum externorum nonnisi sensationes refert, prout sensationes actu exercent munus repræsentandi *qualitates sensibiles, conc.*; ut sunt *modi animæ, nego*; sic enim a luce sensus intimi sensationes manifestantur. Tenendum est igitur, sensationes essentialiter esse repræsentativas

alicujus sensibilis qualitatis; sic sensatio, quæ est visio, lucidum coloratum manifestat, quæ est auditio, sonum. Quare lux illa, sub qua hujusmodi sensationes proprium objectum manifestant, est regula certa dignoscendi veritatem qualitatum sensibilium, dummodo sensus integri fuerint et incorrupti. Monendum est autem, de qualitatum sensibilium natura judicare non pertinere ad sensum, sed ad intellectum.

Hæc sunt objecta, quæ contra lucem sensuum externorum moveri possunt; consulto autem omisimus quædam alia argumenta, aut enim non habent hic suum locum, aut ex dictis a quolibet facile solvi possunt. — Non ergo hoc loco expectandum est, ut « de remo inflexo, aut de collo columbæ respondeam : non enim is sum, ut ait Tullius, qui, quidquid videtur, tale dicam esse, quale videatur; Epicurus hoc viderit et multa alia : meo autem judicio ita est maxima in sensibus veritas, si et sani sunt et valentes, et omnia removentur, quæ obstant et impediunt. Itaque et lumen mutari sæpe volumus, et situs earum rerum, quas intuemur aut contrahimus, aut diducimus : multaque facimus usque eo, dum adspectus ipse fidem faciat sui judicii (1). »

III. *Solvuntur difficultates, quæ contra lucem sensus intimi moventur.*

Objic. 1°. Lux sensus intimi non est certa et infallibilis regula dignoscendæ veritatis factorum internorum; quia plura fiunt in animo, quæ ab ea non manifestantur; plura quoque obscure atque confuse, non clare ac distincte repræsentantur ab ipsa. Ergo lux sensus intimi etc.

R. *Concedo antec.*; *nego consequentiam et consequens.* Non negamus plura fieri in animo, quæ interiori sensu non experimur, saltem non ita, ut possimus dicere reipsa in nobis fieri. Multæ enim impressiones ab inferioribus et supe-

(1) Academ. qq. L. II, cap. 7.

rioribus agentibus proveniunt, quæ inobservatæ transeunt; insuper, quædam revera intus experimur fieri, modo tamen admodum obscuro atque confuso; non enim homines facile distinguere possunt sensationem et intellectionem, appetitum voluntatis vel sensus, utrum odio an amore justitiæ ad vindictam accendantur, etc.

Ex his autem inferri nequit, lucem sensus intimi non esse certam ac infallibilem regulam dignoscendæ veritatis factorum internorum : nam in iis, quæ lux sensus intimi obscuro et confuso modo manifestat, semper est aliquid, quod clare manifestatur; si, ex. e. non manifestetur, utrum interior affectio sit appetitus sensitivus an intellectivus, manifestatur tamen in genere esse aliquem appetitum, saltem aliquam interiorem impressionem animæ. — Ceterum cum de luce sensus intimi pro usu scientiarum loquamur, de ea luce fit sermo, quæ plena refulget per attentam conversionem animi ad sua interiora.

Objic. 2°. Plures homines in amentiam lapsi, angelos se esse sentiunt, vel vitreos, vel duces exercituum. Ergo lux sensus intimi non est, uti dicebatur, prorsus infallibilis.

R. Admittenda sunt sane illa facta; neganda est autem consequentia et consequens. Ratio est, quia in amentibus, qui se vitreos esse sentiunt, etc., duo sunt distinguenda : 1° affectio illa interior, secundum quam vitreos se esse sentiunt : 2° realitas esse vitrei. Circa affectionem illam interiorem ipsi non falluntur, ut patet; et hæc est objectum *proprium* sensus intimi : circa realitatem vero esse vitrei falluntur; sed error iste non est sensus intimi, sed intellectus, qui ab affectione mere subjectiva et interna, realitatem objectivam infert.

Duo ergo velint adolescentuli advertere circa usum lucis sensus intimi : 1° Ut illa non utantur, nisi pro discernendis factis subjectivis, quibus afficitur animus; quippe hæc facta duntaxat sunt objectum hujus lucis. 2° Ut id tantum de his factis asserant, quod clare et aperte ab hac luce monstratur.

CAPUT II.

ARGUMENTA, QUÆ VALOREM LUCIS INTELLECTIVÆ IMPUGNANT, DISSOLVUNTUR.

I. *Recensentur motiva principalia, quibus valor objectivus lucis intellectivæ a nonnullis impugnatur.*

Argumentis, quæ contra lucem cognitionis universe sumptam, nec non contra lucem sensuum externorum et sensus intimi moventur, refutatis; nunc modo speciali rejicienda sunt argumenta, quibus nonnulli probare conantur, lucem intellectivam nullum valorem objectivum de se habere, h. e. *non esse proprium lucis intellectivæ per se manifestare realitatem extra animum, quæ in ipsa rei natura ponitur.*

Hæc sententia non iisdem argumentis a sophistis probatur. 1° Quidam enim aiunt lucem istam intellectivam esse vim quandam corpoream et mutabilem, esse, uti inquiunt recentiores materialistæ, quandam phosphoream secretionem cerebri, vim proinde variam pro varia complexione uniuscujusque intelligentis, quod Parmenides apud Aristotelem (1) his versibus exprimit :

Namque ut membrorum est mollis complexio cuique,
Sic intellectus mortalibus adstat.

Hinc materialistæ ex præconcepto suo systemate docent, notiones universales et quascumque ideas, quæ uti rationes supra sensum abstractas mentis conspectui sese objiciunt, esse quædam vana simulacra ac mera animi figmenta, quæ nullam

(1) Metaphys. lib. III, cap. 5, edit. Didot, vol. II, pag. 509.

realitatem extra animum manifestant; et proinde cum Democrito aut nihil esse verum aiunt, aut nobis ignotum.

Non est hic locus hujus stolidæ sententiæ refutandæ, satis est si modo dicatur, lucem mentis esse vim simplicem et spiritualem, supra ordinem corporalium, quoniam incorporalia repræsentat; de ordine sempiternorum, quoniam rationes rerum sempiternas et immutabiles repræsentat. Præterea, experimur nos lucem istam semper eodem modo objecta sua repræsentare, ac ita quidem, ut simul testetur, ea non posse aliter se habere. Huic testimonio autem omnibus credendum est, ac in ipso quilibet, nisi insanire velit, quiescere debet.

2° Quidam vero negant lucem intellectivam habere valorem objectivum, ob difficultatem transitus a subjecto ad objectum; non enim intelligunt, quomodo lux illa intellectualis, quæ est aliquid subjectivum, in animo formaliter existens, manifestare possit aliquid objectivum, quod est extra animum. Sed de hac difficultate, quia superius jam sit dissoluta (p. 375), non oportet iterum tractare.

3° Demum, ratio fundamentalis, ob quam alii (ut Kantius et qui eum sequuntur) asserunt, lucem intellectivam non habere valorem objectivum, est, quia ipsa ex se manifestat quidem aliquid reale in animo existens, non tamen aliquid manifestat, quod extra animum actu in natura existit. Etenim lux ista, aiunt ipsi, nonnisi rationes abstractas et universales, ut rationem universalem *entis*, *unitatis*, *bonitatis*, *pulchritudinis*, *substantiæ*, *qualitatis*, *causæ*, *effectus*, etc., manifestat. Atqui hæ rationes de se non sunt aliquid reale actu existens extra animum, sed in animo, in statu nempe conceptus et repræsentationis duntaxat, tanquam formæ, conditiones, leges subjectivæ humani intellectus, quibus per se nulla respondet realitas objectiva, quæ sit extra animum. Lux ergo intellectualis non manifestat ex se aliquid reale, extra animum actu in natura existens, sed in animo. Efficacia ejus proinde tota in se clausa, lusum quodammodo gerens cum quibusdam formis et apparentiis, quæ fines cognoscentis non

transgrediuntur, nullum valorem objectivum habet; id enim, aiunt ipsi, dicitur habere valorem objectivum, quod repræsentat aliquid actu extra animum in natura existens.

II. *Cum lux intellectualis proprie universalia manifestet, ad valorem objectivum ejus propugnandum, de natura universalium tractetur oportet, ostendendo, eorum rationem non totam, ut falso docet Kantius, in aliquo subjectivo contineri.*

Nequit perfecte attingi solutio hujus tertii argumenti, quod veluti fundamentum a recentioribus criticis rationis adducitur, nisi prius de natura universalium dicatur. Etenim, si esse universalium totum in aliquo subjectivo contineatur, tum reipsa nullum valorem objectivum habet lux intellectiva: ipsa nonnisi interiores formas et apparentias animi manifestat. Contra vero, si esse universalium quid objectivi contineat, tum efficaciam habet objectivam. Quare de natura universalium diligenter, accurate, dilucide simul ac breviter dicere oportet, si prius tamen duo intellectu necessaria prænotentur.

Nota igitur primo : Ens aliud *rationis* dicitur, aliud *reale*. Ens rationis vocatur modus quidam in re intellecta, quatenus intellecta, qui apprehensionem rationis sequitur, quin in re vel in animo aliquid ponat; ut *distinctio entis in unum, verum, et bonum*, vel *respectus prædicati et subjecti inter notiones*, etc. Ens reale appellatur id, quod aliquid in se est, ac aliquid in re ponit; ut ratio significata in hac voce *lapis*, *sol*, *luna*, etc.

Nota secundo : In conceptu universali tria sunt distinguenda, 1° Idea seu conceptus, qui in animo existens aliquid repræsentat ei. — 2° Res repræsentata per ideam; res enim significata in hac voce *homo*, non est simplex *flatus vocis*, ut inepte sentiebant Nominalistæ(1), sed aliquid, quod rebus, de

(1) « Illi utique, ait Anselmus, nostri temporis dialectici, imo dialectice hæretici, qui nonnisi *flatus vocis* putant esse universales substantias. » — De Fide Trinitatis, cap. II.

quibus prædicatur, vere inest; alioquin, cum prædicatur *homo* de *Petro*, nonnisi vox prædicaretur de ipso, quod est absurdum. — 3° Modus, quo res repræsentata manifestatur : ipsa enim manifestatur vel abstracta tantum ab actuali existentia et a cæteris conditionibus, quæ sunt propriæ rei singularis et individuæ : vel etiam addito respectu prædicationis ad plura singularia individua (1). Hæc tria sic per exemplum declarantur : *Concipio substantiam*, in hoc conceptu qui est in anima, reperitur quædam idealis manifestatio, alioquin non ostenderetur mihi, *quid sit substantia*; reperitur aliquid quod manifestatur, nempe *ratio substantiæ* (id quod est per se); reperitur autem non in concreto, singularis et actu existens, sed abstracta, secundum sua predicata essentialia : huic rationi respectus prædicationis ad plura potest addi; potest enim prædicari de auro, de planta, ac de omni re per se subsistente. His præsuppositis,

Dico primo : *Idea seu conceptus, ut est manifestatio existens in anima, est ens reale; subjectivum tamen, se tenens scilicet ex parte cognoscentis*. Idea enim est veluti terminus activitatis intellectualis hominis, est quoddam lumen spirituale animam illuminans. Ergo est ens reale. — Est forma vere et realiter perficiens animam, ac in ipsa manens. Ergo est aliquid subjectivum.

(1) Natura præcisa et abstracta per operationem mentis a singularibus, nominatur *universale metaphysicum;* est proprium enim metaphysicæ considerare naturas abstractas ab ea conditione, quam habent in natura : vel etiam *directum* dicitur, quia directe sine reflexione attingitur. Natura autem sic abstracta, si addatur respectus prædicationis ad plura, puta, ad ignem, plantam, leonem, hominem, etc., nuncupatur *universale logicum*, quia respectus ille rationis est : vel etiam *reflexum*, quia ex consideratione reflexa nascitur. — Universale metaphysicum definitur : *Est natura, quæ objicitur menti ut a singularibus abstracta*, vel, *Unum abstractum a multis*. Universale vero logicum : *Est unum respiciens multa*. — Item modus abstractionis unius a multis, *universalitas metaphysica*, modus respectus unius ad multa *universalitas logica*, vel *intentio universalitatis* nominatur.

Dico secundo : *Modus ille universalitatis tum metaphysicæ, per abstractionem naturæ a pluribus, tum logicæ, per respectum naturæ sic abstractæ ad plura, non est ens reale, sed rationis.* Abstractio enim naturæ a pluribus, præcisionem dicit, non autem positionem alicujus in re. Ergo in se nihil est. — Respectus autem, secundum quem res concepta refertur ad plura singularia, totus nascitur ex mente comparante rem conceptam cum singularibus. Ergo est aliquid rationis. Nam etsi respectus iste aliquod fundamentum habeat a parte rei, quia scilicet res concepta, numero multiplicata, reipsa in pluribus potest reperiri ; non tamen *formaliter* est a parte rei, quasi res una essentialiter et eadem numero, quibusdam formis seu determinationibus sibi advenientibus, plura individua constitueret, uti ajebant Realistæ (1). Nam fieri non potest, quod in rebus individuis et singularibus existat una et eadem numero natura pluribus realiter communis, quia totum quod in ipsis est, est individuum et singulare.

Dico tertio : *Res repræsentata in conceptu universali, etsi possit existere,* quidquid enim a mente concipitur ut ens in se, potest existere ; *quandoque vero reipsa existat : non tamen exigit veritas conceptus universalis, quod res concepta actu semper existat ;* conceptus namque universalis ab existentia actuali abstrahit. Quod per experientiam patet : plura enim, præsertim in mathematicis, concipimus, quæ nullo modo neque extra animum, neque in animo cognoscentis, secundum entitatem suam actu realiter existunt.

Dico quarto contra Kantium ac veteres Conceptualistas (2) :

(1) Realistæ, quorum caput erat Guillelmus de Champeaux, opinabantur, ut refert Abælardus, universalia rem esse eamdem essentialiter, totam simul, quorum quidem nulla esset in essentia diversitas, sed sola multitudine accidentium varietas.

(2) Conceptualismus, ab Abælardo sæculo undecimo contra Guillelmum de Champeaux excogitatus, tradit, rationes repræsentatas per conceptus universales nullam realitatem objectivam continere, ac

Tametsi conceptus universales ex se non exigant, quod res per ipsos repræsentatæ REALITATEM OBJECTIVAM EXISTENTIÆ *habeant* (1); *ex se tamen exigunt omnino, quod res per ipsos repræsentatæ*, REALITATEM OBJECTIVAM ESSENTIÆ (2) *habeant*. Aliis verbis : *Rationes repræsentatæ per conceptus universales, objiciuntur intellectui ut formæ quædam, quæ licet secundum se neque in natura extra animum, neque in animo ex parte cognoscentis actu existant; sunt tamen rationes ideales* (h. e. rationes repræsentatæ in mente), *quæ per se et ex se necessario ad res extra mentem referuntur; quæ consequenter per se et ex se valorem objectivum habent.*

Quod rationes repræsentatæ per conceptus universales sint rationes ideales, per se patet; reipsa enim repræsentantur in mente, alioquin non conciperentur a mente. —Quod autem sint rationes ideales, *quæ per se et ex se necessario ad res extra mentem referantur*, tribus argumentis probatur : 1° Ratio repræsentata per conceptum universalem, sese objicit intellectui nostro ut quamdam optimam speciem et quasi figuram exemplarem et typicam, docentem nos, *non qualis unaquæque res de facto sit*, SED QUALIS DEBEAT ESSE, SI EXISTAT.

Ad hanc speciem intuemur nos, uti experimur, cum de perfectione rerum judicamus : Bonum enim vel malum, pulchrum vel deforme dicimus esse aliquid, secundum quod accedere vel recedere videtur ad speciem universalem *bonitatis* et

esse puros conceptus exprimentes convenientiam ex pluribus individuis collectam, in sola mente existentem. — Cfr. Cousin, Fragments, t. 2o. — *Abélard*. Cfr. quoque *commentarium Abælardi supra Porphyrium*, cujus aliqua excerpta e MS. Ambrosiano in lucem edidit cl. Rosmini.

(1) Id dicitur habere *realitatem objectivam* EXISTENTIÆ, quod actu existit in natura extra animum.

(2) Id dicitur *realitatem objectivam* ESSENTIÆ habere, quod etsi extra animum actu in natura non existat, existit tamen ut ratio idealis, hoc est, ut ratio repræsentata in mente, quæ per se ad res extra mentem refertur.

pulchritudinis, animo insitam. Ergo ratio repræsentata per conceptum universalem per se et ex se essentialem relationem habet, sicuti exemplar ad exemplatum, ad res extra mentem.

2° Ratio repræsentata per conceptum universalem, sese objicit intellectui nostro ut aliquid, quod potest in se existere; alioquin non conciperetur ut ens, sed ut nihil. Posse autem existere in se, necessario refertur ad existentiam extra conceptum. Ergo ratio repræsentata per conceptum universalem, ex se et per se necessario refertur ad res extra conceptum. Quod confirmatur : non enim conceptus universales possent prædicari de rebus existentibus extra animum, sicuti reipsa prædicantur, nisi ex se et per se haberent aliquid, per quod possent referri per relationem adæquationis, ad res existentes extra animum.

3° Uti dictum est, ratio repræsentata per conceptum universalem necessario sese objicit intellectui nostro ut aliquid, quod potest existere. Quod potest existere necessario sese objicit intellectui nostro ut aliquid, quod pendet ab eo, a quo potest effici. Quod pendet ab eo, a quo potest effici, necessario sese objicit intellectui nostro ut aliquid, quod virtualiter continetur in illo, sicut effectus in virtute causæ. Quod virtualiter continetur in aliquo, sicut effectus in virtute causæ, necessario sese objicit intellectui nostro ut aliquid, quod refertur ad id, in quo continetur. Ergo ratio repræsentata per conceptum universalem necessario sese objicit intellectui ut aliquid, quod per se et ex se refertur ad id, in quo primo continetur sicut effectus in sua causa, ad id nempe, quod est extra mentem ut prima realitas actu existens, et fundamentum primum omnis possibilitatis, ad Deum.

Ex quo argumento colligi debet, rationes repræsentatas per conceptus universales, necessario referri ad Deum, et in eo fundamentaliter ac virtualiter contineri, ut rationes quasdam, quæ ab ipso possunt participare esse et effici. Rationes igitur istæ non sunt *nisi modi repræsentati in animo, ad instar*

quorum divina essentia potest participari a rebus. Et hoc diligenter est notandum.

Ex tribus igitur rationibus allatis certo comperitur, quod rationes illæ ideales, in conceptibus universalibus repræsentatæ, per se et ex se necessario ad res extra mentem referantur. Ex quo ulterius colligitur, rationes ideales in conceptibus universalibus manifestatæ, non esse quid vanum ac mere subjectivum, quibus nulla realitas ex parte rei respondet, ut falso cum totius metaphysicæ ruina traditur a Kantio. Nam licet actu ex se absolute non existant extra animum, ad ea tamen, quæ sunt extra animum, ex se et per se referuntur, Ergo sunt aliquid *objectivum*. Objectivum enim vere dicitur *omne id, cujus ratio concipitur ut aliquid extra animum, sive actu existat, sive non*.

III. *Solvitur tertio difficultas sub numero priori hujus capitis posita, ac tria alia objecta proponuntur et diluuntur.*

Intellecta natura universalium, haud difficile est solvere argumentum tertium, sub numero priori hujus capitis positum, contra valorem objectivum lucis intellectualis.— Certe, conceptus, per quem res abstracta et universalis objicitur menti, aliquid reale est et subjectivum; modus vero abstractionis vel universalitatis, sub quo res manifestatur per conceptum universalem, non est aliquid reale, sed rationis et in ratione; natura demum abstracta et universalis, significata per conceptum universalem, etsi *ex se* non sit realis realitate existentiæ, quia, ut diximus, secundum se neque in cognoscente, neque extra in natura physice existit; est tamen realis realitate essentiæ.

Realitas autem ista essentiæ ad ordinem objectivum vere pertinet, quia ad res extra animum ex se et per se refertur, vel ut EXEMPLAR RERUM, vel ut QUIDDITAS INTELLIGIBILIS, vel ut POSSIBILITAS EXISTENDI, vel ut MODUS REPRÆSENTATUS IN MENTE, SECUNDUM QUEM DIVINA ESSENTIA POTEST A REBUS PARTICIPARI.

Falso ergo lux intellectualis, cujus proprium est universalia manifestare, destituitur valore objectivo, h. e. vi manifestandi ea, quæ sunt extra animum.

Kantius ac reliqui omnes, qui valorem objectivum lucis intellectualis impugnant, ex eo decipiuntur, quod præter esse *logicum*, seu, ut recentiores loquuntur, *formale*, et præter esse *physicum*, seu esse *actualis existentiæ*, nolint ipsi agnoscere *esse objectivum metaphysicum*, seu *realitatem essentiæ*, quam tamen omnes, luce intellectiva naturaliter impellente, admittere coguntur. Etsi enim rationes istæ universales a cognoscente, ut in ipso manifestentur, pendeant; objiciuntur tamen cognoscenti, 1° *ut aliquid in se, a cognoscente distinctum*, ut patet in ratione objectiva *circuli*, vel *trianguli*, vel *sanctitatis*, vel *pulchritudinis*, vel *justitiæ*, etc.; siquidem nemo mente utens dicere posset, hujusmodi rationes objectas esse aliquid animi cogitantis duntaxat.

2° Rationes istæ universales objiciuntur ut *aliquid, quod semper idem est, immutabile et æternum* : videt namque mens, quod tametsi nullus intellectus creatus existeret, nec ulla res creata; tamen ratio universalis *effectus, circuli, honestatis, temperantiæ*, etc., eadem semper maneret : mutatur enim intellectus in concipiendis rationibus istis; rationes vero ipsæ conceptæ, quoad prædicata sua essentialia, sine ortu sine interitione objiciuntur intellectui. Nunquid rationes objectæ, vocibus istis sic expressæ : *Bis tria sunt sex — Anguli trianguli æquales sunt duobus rectis — Non est effectus sine causa*, etc., aliquando cœperunt esse veræ? Nunquid earum veritas aliquando desitura erit?

3° Rationes istæ universales objiciuntur cognoscenti ut *aliquid supra intellectum, a quo intellectus in cognoscendo pendet* ; quoniam intellectus creatus rationibus illis sese accommodare et subdere debet, ut verus sit. Non autem hæc ita se haberent, si ratio repræsentata per conceptus universales, non esset realitas quædam objectiva, aliquid nempe, quod ut extra animum existens repræsentatur.

Intelligatur nunc ex dictis punctum quæstionis inter nos et Kantium, quod in hoc totum continetur : *Daturne realitas objectiva ab actuali existentia abstracta* (1) ? Aliis verbis : *Conceptus universales suntne subjectivæ conceptiones tantum ac vanæ apparentiæ, an ipsis aliquod objectum respondet, quod ad ea, quæ sunt extra animam, revera refertur, per quod judicare de rebus vere possumus, et ex ipso de iisdem rebus ratiocinari* (2).»

Hoc præcipuo argumento plene soluto, tria alia argumenta contra veritatem conceptuum universalium modo solvenda remanent. Primum est : Omnis vera cognitio, cui aliquod objectum respondet, a sensibus ortum habet (3). Atqui cogni-

(1) Totus scopus Kantii in sua *critica rationis puræ* est impugnare realitatem metaphysicam. Enunciat enim ipse ut conclusionem suæ criticæ «que nous ne pouvons jamais dépasser par la connaissance les *bornes de l'expérience possible*, ce qui est cependant l'affaire essentielle de la métaphysique... qui consiste exclusivement dans la connaissance rationelle spéculative, et qui s'élève au-dessus de l'expérience par le moyen des seuls concepts.» Préface, 3me édition en français.— Cfr. préf. de la première édition. — Hinc alibi (méthodologie transcendentale, chap. II, *Canon de la raison pure*, n. 937) concludit : «Il est humiliant pour la raison humaine *qu'elle ne produise rien dans son usage pur*, et qu'elle ait de plus besoin d'une discipline afin de réprimer ses extravagances et d'éviter les prestiges qui en résultent pour elle.»

(2) Quia ratiocinium necessario præsupponit ideas universales, principiis enim universalibus vis illativa innititur : idcirco, si ideæ universales *nullum valorem objectivum habeant*, legitime tunc a Kantio et a recentioribus positivistis infertur, nec elementum a priori (voce ista significant id quod est supra sensum, præter experientiam factorum), nec ratiocinium ullum habere valorem objectivum.

(3) Ex hoc principio sic intellecto, quasi a sensibus penderet totus valor objectivus intellectivæ cognitionis, metaphysica ut quid vanum hodie rejicitur. Ipsum sic falso proponitur ab Hume : «Nos idées ne sont que des copies de nos impressions, ou, en d'autres termes, qu'il nous est impossible de penser une chose, que nous n'ayons pas auparavant sentie par

tio universalium non oritur a sensibus, quia non acquiritur per experientiam. Ergo cognitio universalium non est vera cognitio, cui aliquod objectum respondeat.

R. Dist. *majorem* : A sensibus ortum habet, tanquam a causa totali et principali nego; tanquam a causa partiali et quasi materiali, *concedo*. — Dist. *minorem* : Cognitio universalium non oritur a sensibus, tanquam a causa principali et totali *concedo*; ut a causa partiali et quasi materiali, *nego*.

Conceptus universales producuntur ab activitate intellectus tanquam a causa principali, præsentibus tamen phantasmatibus, ad quæ conceptus illi aliquam relationem et commensurationem habent. Sed de hac re alibi.

Alterum argumentum est : Omnes doctores scholastici tradunt necessariam esse experientiam sensuum pro veritate cognitionis. Ergo quæcumque cognitio, non pendens ab experientia, qualis est cognitio universalium, vana est cognitio, ac mera apparentia sine objecto.

Respondeo : Omnes doctores scholæ requirunt experientiam sensuum, 1° Tanquam causam *quasi materialem* nostræ cognitionis intellectualis, ut dictum est. 2° Tanquam manuductionem et disciplinam in iis, quæ per intellectum non

nos sens externes ou notre conscience.» Ab eodem principio criticam suam rationis puræ Kantius incipit : «Nul doute, ait ipse, que toutes nos connaissances ne commencent par l'expérience.» Introduction. — In quam propositionem duo notat clarus Rosmini : 1o Tota philosophia critica incipit a principio sine probatione et sine critica recepto, quod tamen a multis, etiam rite intellectum, negatur; 2o A Kantio ita exponitur, ut in ipso, quod intendit probare, jam totum continetur. «Egli è pur questo, ait vir præclarus, un' errore frequentissimo de' filosofi : cominciano col piantare una proposizione che sembra evidente e che implicitamente contiene la loro teoria, e questa proposizione si dispensano dal provarla : poscia deducono da essa la loro teoria, e la dichiarano bella e provata, chè è dedotta da un principio che hanno supposto e fatto passare come ammesso. — Nuovo Saggio sull' origine delle idee, vol. I, sess. 4_a, cap. 3, ar. 1o. n.

statim immediate cognoscuntur; facile enim intellectus hominis a recto tramite rationis divertere posset, si infirmitas ejus per experientiam non juvaretur; maxime, docet schola, non est fidendum quibusdam subitaneis aspectibus mentis, ejusque suggestionibus, quæ calculo experientiæ nondum expensa fuerint. 3° Tanquam materiam, ad quam cognitio universalium applicita, dicta cognitio et clarius et distinctius in re concreta potest quodammodo recognosci.

Ceterum, Doctores scholæ agnoscere quod lux intellectualis valorem objectivum per se habeat, ex eo certissime comperitur, quod aperte doceant, lucem intellectualem circa ea, quæ immediate et evidenter manifestat, non posse errare, et quod sint principia puræ rationis, quorum veritas sola luce intellectiva immediate per se innotescit. « Lux, ait Angelicus, in qua, contemplamur *veritatem*, est intellectus agens (1). » Nulla est igitur difficultas.

Tertium argumentum est : Si conceptus universales veritatem objectivam reipsa exprimerent, nonnisi quid unum et determinate verum circa idem ab ipsis inferri posset. Atqui ex conceptibus universalibus circa idem, non semper infertur quid unum et determinate verum ; inferuntur enim inter se opposita, antinomiæ scilicet, puta, *quod mundus habuerit initium* (thesis) ; *quod mundus non habuerit initium* (antithesis) ; — *Quod omnis substantia composita componatur ex partibus, quæ sunt simplices* (thesis) ; *quod nullum sit compositum, ex partibus simplicibus conflatum* (antithesis) — etc., ac ita per plura discurrendo, comperitur, in ordine rationis puræ, omni rationi rationem aliam æqualem obstare. Ergo conceptus universales veritatem objectivam vere non exprimunt.

R. Distinguo *majorem*, nonnisi quid unum et determinate verum ab eis inferri posset, absolute loquendo, *concedo* ; habito respectu ad statum imperfectum rationis nostræ, *sub-*

(1) Qq. dd. q. de spirituali creatura, ar. 10.

distinguo, quando mens rem clare evidenterque cognoscit, ac recte infert, *concedo*; secus *nego*. Item distinguo *minorem*; si mens clare evidenterque concipit ac recte infert, *nego*; secus pro aliquibus, ob imperfectam rei conceptionem, vel illationem non legitimam, *concedo*, et explico :

Absolute loquendo a vero nonnisi verum sequi potest; attenta vero infirmitate nostræ rationis, fieri potest, ut ex quibusdam veris ob imperfectam perceptionem rei, vel deductionem non legitimam, inferatur falsum. Nemini enim, præsertim circa quædam subtiliora et obscuriora, mirum esse debet, quod mens hominis infirma, in aliquas oppositiones incidat, a quibus plene se liberare non potest. Stultum est ergo et ineptum ob quasdam oppositiones, quæ in materia difficili et obscura, inter conclusiones a conceptibus universalibus deductas occurrunt, quæque fere omnes, ut suo loco dicetur, non sunt nisi apparentes, deducere proinde, quod conceptibus universalibus nullum objectum reale respondeat.

Verum, in his argumentis non oportet diutius immorari; quæcumque enim contra veracitatem lucis intellectualis afferuntur, ex hoc ipso, ut sæpe numero jam innuimus, tanquam falsa sunt respuenda, quia sunt contra illam.

CONCLUSIO HUJUS LIBRI.

Itaque qui ad perfectam possessionem scientiæ ejusque fastigium pervenire sincere cupiunt, id intendant oportet, SCIRE SE SCIRE. Scire autem se scire nemo potest, si suam scientiam non revocet in prima elementa ratiocinii, exquirendo, num ex ipsis nota conclusio reipsa gignatur : si et ipsa prima ratiocinii elementa, pro eorum diversitate, ad illam triplicem lucem non revocet, sub qua primo manifestata fuerunt : ad LUCEM nempe INTELLECTUALEM pro notionibus universalibus ac primis principiis analyticis; ad LUCEM SENSUS INTIMI pro factis internis conscientiæ; ad LUCEM demum SENSUUM EXTERNORUM pro

factis externis, in natura corporea contingentibus. — Assuescant igitur jam nunc boni adolescentuli usui hujus triplicis lucis; meminerint tamen ipsi usum ejus esse fallibilem : uberiorem autem ac nobiliorem lucem nobis præsto esse, lumen nempe FIDEI illuminans omnem hominem venientem in mundum.

LOGICÆ

LIBER QUARTUS.

DE METHODO.

—

PROOEMIUM.

De cognitione intellectiva in genere, de simplici apprehensione, de judicio, de ratiocinio, de modo recognoscendæ veritatis jam dictum est; nunc ultimo, in hoc quarto libro disserere oportet de METHODO. Haud enim satis est pro modo bene cogitandi noscere naturam cognitionis, regulas rite percipiendi, judicandi, ratiocinandi, secundum quas tres istæ operationes mentis diriguntur, modum denique recognoscendi veritatem jam cognitam; nisi regulæ quoque noscantur pro rite disponenda serie nostrarum cogitationum. Nam, his regulis omissis, non potest quis veritatem, de qua quærit, clare, facile, expedite invenire, vel addiscere, vel docere, vel propugnare. Expedit igitur de methodo dicere.

Tota materia vero, quæ in hoc libro tractatur, per tres sectiones hoc modo distribuitur : Prima est *de methodo in genere*; altera *de methodo sibi comparandi veritatem*; tertia *de methodo aliis suadendi veritatem.*

SECTIO PRIMA.

DE METHODO IN GENERE.

CAPUT I.

DE NATURA AC DIVISIONE METHODI.

I. *Declaratur quid significetur per methodum.*

Methodus vox græca est (μέθοδος), latine, *via, ratio, dispositio* docendi, agendi. Utimur hic voce ista ad significandam *viam seu rationem rite ac ordinate procedendi in scientiis.* Quæ significatio vocis ut intelligatur, nota : Non una, sed pluribus operationibus mentis homo veritatem assequitur; lux enim spiritualis intellectus est sicut lux corporea oculorum, gradatim ipsa oritur, ab imperfecto ad perfectum assurgendo, pluribus, diversis, ac repetitis actibus. — Hæ operationes autem non sunt inter se disparatæ, neque dispersæ et sine compagine solutæ; sed ordinatæ sunt, una enim ex alia nectitur et colligatur per modum causæ et effectus (1), ut in serie syllogismorum manifesto apparet. Hæc igitur naturalis et ordinata progressio mentis, quatenus per reflexionem e tenebris quodammodo in lucem eruitur, ac certis

(1) Non est difficile experiri hanc operationum mentalium connexionem; liquido enim apparet, simplicem operationem esse causam judicii : judicium ratiocinii : cum conclusione illata autem alia ratiocinia connecti. Hinc quod in rebus Tullius admiratur, nos et in ideis, admirabilem nempe quandam continuationem seriemque idearum, ut alia ex alia nexa, et omnes inter se aptæ, colligatæque et sint et videantur.

formulis, quasi quibusdam legibus exprimitur, proprie dicitur methodus. Quæ proinde definiri potest : *Via seu ratio rite ac ordinate disponendi seriem nostrarum cogitationum.* — Scopus ejus est efficere, quod via cognoscendi veritatem sit facilis atque expedita.

II. *Enumerantur variæ divisiones methodi, veræ et falsæ.*

Quoniam methodus in re spectata, sit quædam naturalis et ordinata progressio mentis in cognitione veri, idcirco quatuor in ipsa, sicuti et in omni progressione, possunt considerari : Initium a quo primo incipit; media per quæ progreditur; modus procedendi; demum finis, quem in illa progressione animus intendit.

1° Si spectetur initium, a quo progressio mentis primo incipit, tunc, etsi unum sit secundum veritatem, tamen, diversis hominum commentis consideratis, multiplex assignatur : unde variæ methodi denominationes nascuntur. Nam qui sentiunt mentem hominis primo incipere ab idea entis universalissimi ac potentialissimi, quod est omni determinata actualitate vacuum, horum methodus ANALYTICA vulgo nominatur, quia initium cognitionis constituunt in aliquo simplicissimo et *resoluto.*

Qui opinantur mentem hominis primo incipere ab aliquo, in quo tota scientia evolvenda continetur, et in quo uno omnia immediate ab intellectu comprehenduntur, horum methodus a recentioribus SYNTHETICA dicitur, quia initium cognitionis constituunt isti ab aliquo *composito* non resoluto. — Verum et hæc methodus, quæ *synthetica* appellatur, adhuc alias denominationes recipit, non enim inter se conveniunt in determinando illo uno, in quo totam cognitionem involvi dicunt. Nam qui dicunt *illud unum esse ideam logicam entis universalissimi, cujus esse est quoddam juge fieri, quædam indefinita et continuata progressio*, ut loquitur Hegel, horum methodus vocatur SYNTHETICO-TRANSCENDENTALIS. — Qui tradunt *illud*

unum esse proprium ego, prout variis modificationibus afficitur, ut Cartesio tribuitur, horum methodus nuncupatur SYNTHETICO-PSYCHOLOGICA, vel SYNTHETICO-SUBJECTIVA. — Qui tradunt *illud unum esse Deum, in quo omnes intelligibiles rationes immediate conspiciuntur*, ut docent Ontologistæ, horum methodus nominatur SYNTHETICO-ONTOLOGICA, vel SYNTHETICO-OBJECTIVA.

Sunt demum qui opinantur, mentem hominis primo incipere ab idea entis universalissima et maxime indeterminata ; ab ipsa autem progrediendo ascendere in Deum ; mentem autem ratione divina sic illuminatam sub claritate divini splendoris rursus ad creaturarum cognitionem redire : horum methodus ANALYTICO-SYNTHETICA dicitur. — Est hæc methodus solum vera atque completa, quam sapientissimi Ecclesiæ doctores in usu semper habuerunt.

2° Si media, per quæ mens in cognitione veri progreditur, spectentur, tunc methodus, si facta naturæ quis investiget, inquirendo per observationem et experientiam conditiones ac leges cujuslibet facti, earum habitudinem, nec non causam immediatam, a qua factum dependet, quin intra velum naturæ penetrare tentet, nominatur METHODUS EXPERIMENTALIS. — Si intelligentia et ratiocinio quis utatur ad eruendas in lucem conclusiones in principiis contentas, tunc vocatur METHODUS LOGICA. — Si demum auctoritate generis humani utatur tanquam efficacissimo subsidio rationis, tum appellatur METHODUS TRADITIONALIS (1).

3° Considerato autem modo procedendi intellectus in cognitione veri, methodus ANALYTICA dicitur vel RESOLUTIVA, si mens cognoscendo procedit per resolutionem totius in partes :

(1) Hæc diversa media procedendi in cognitione veri, etsi unum præ alio, pro diversa materia de qua quæritur, sit adhibendum, non tamen debent omnino separari inter se, quia mutuum adjumentum sibi afferunt ; multo minus vero alterutrum eorum potest rejici, sunt enim media, quæ nobis a natura tribuuntur.

NOVITIATE LIBRARY

vocatur enim *analyticus*, processus mentis unita per partes disjungens. Nuncupatur autem SYNTHETICA vel COMPOSITIVA, si mens cognoscendo procedit per compositionem partium in totum : vocatur enim *syntheticus*, processus mentis disjuncta in unum componens (1).

4° Denique, si terminus seu finis, in quem illa ordinata progressio mentis dirigitur, consideretur; tunc vel ipsa dirigitur ad acquirendam scientiam pro se, vel in utilitatem aliorum : progressio, quæ dirigitur ad acquirendam scientiam in propriam utilitatem, si veritas per proprias vires inquiritur, librum naturæ per se investigando, tunc methodus dicitur INVENTIVA ; si vero scientia ab aliis addiscitur audiendo, vel legendo, tunc vocatur methodus DISCIPLINARIS. Quod si in aliorum utilitatem illa progressio mentis dirigatur, tunc methodus dicitur DEMONSTRATIVA. -- Hæc methodus autem

(1) Ut significatio harum vocum *analysis* et *synthesis* clare appareat, nota : Per *analysim* intelligitur processus ille intellectus, per quem totum vel metaphysicum, vel logicum, vel physicum, ad sua elementa, tanquam ad causas ex quibus constituitur, redigitur. *Totum metaphysicum resolvitur*, cum quidditas specifica dividitur in conceptum genericum et differentialem quidditatis. Totum logicum vero, si conclusio illata resolvitur in sua principia. Idem, proportione servata, dicendum est de *toto physico* seu *naturali*, resolvitur namque, cum dividitur per elementa, quæ sunt partes ex quibus conflatur. — Per synthesim vero intelligitur processus ille intellectus, per quem elementa metaphysica, vel logica, vel physica mens colligendo, unum totum metaphysicum, vel logicum, vel physicum constituit. — De hoc duplici processu hæc habet D. Thomas : «Est duplex via procedendi ad cognitionem veritatis. Una quidem per modum resolutionis (analysis), secundum quam procedimus a compositis ad simplicia, a toto ad partem, sicut dicitur in primo physic. quod confusa sunt prius nobis nota. Et in hac via perficitur cognitio veritatis, quando pervenitur ad singulas partes distincte cognoscendas. Alia est via compositionis (synthesis), per quam procedimus a simplicibus ad composita, quia perficitur cognitio veritatis cum pervenitur ad totum.» Lib. II, Metaph. lect. I.

subdivitur, eaque proinde diversimode denominatur : nam si quis discipulos docere intendat, DIDASCALICA nominatur : si quis veritatem propugnare intendat ab adversariorum insidiis, APOLOGETICA : si quis errorem impugnare directe intendat, methodus appellatur POLEMICA. — Atque de variis significationibus, ac determinationibus hujus vocis *methodus*, ne confusio ex diverso usu ipsius animis ingeratur, hæc dicta sint. — Nos in hoc libro de methodo loquimur, prout complectitur duplicem illum modum procedendi intellectus, nec non spectata diversa ratione finis, quem respicit.

III. *Processus analyticus et syntheticus non sunt duæ methodi; sed solum duo modi procedendi, ex quibus integra et perfecta efficitur tota progressio mentis.*

Quoniam de methodo hic agitur, prout vox ista ordinatam progressionem mentis significat in cognitione veri; idcirco duplicem illum processum oportet expendere, *analyticum* nempe et *syntheticum*, secundum quem mens hominis in cognitione veri progreditur. Quærendum est autem : *Processus analyticus et syntheticus suntne duæ methodi completæ, separabiles inter se; an sunt duo modi procedendi, ex quibus integra et perfecta efficitur tota progressio mentis?*

Respondeo : Processus analyticus et syntheticus proprie non sunt duæ methodi; sed solum duo modi procedendi, ex quibus integra et perfecta efficitur tota progressio intellectus hominis.

Proposita conclusio sic probatur : Est proprium analysis objectum aliquod quasi per partes inquirendo dissolvere; est proprium synthesis partes solutas colligere ac in unum componere. Atqui in his duobus tota absolvitur progressio humani intellectus. Quia enim anima nostra modico lumine pollet ad perspiciendum verum, idcirco non statim a principio, totum quod ei objicitur uno aspectu comprehendere potest, sed indiget resolvere totum actuale, si physicum, in

partes physicas seu naturales, si metaphysicum, in partes metaphysicas (1) : partes autem sic resolutæ, sunt primo sigillatim considerandæ; deinde sunt inter se comparandæ immediate, vel mediate uno tertio assumpto; ultimo, cum fuerint resolutæ et comparatæ inter se, per judicium immediatum, vel discursivum una cum altera est componenda sub forma affirmationis vel negationis. Compertum est ergo, progressionem humani intellectus per analysim et synthesim totam absolvi; non autem per analysim tantum vel per synthesim tantum.

Quod manifestius apparet in motu progressivo et regressivo rationis, secundum quem tota progressio mentis complete perficitur. Nam quando ratio a principiis primis ad conclusiones progreditur, tum ipsa *synthetice*, id est componendo procedit; quando vere a conclusione in principia regreditur, ut sub principiorum lumine conclusionem examinet, tunc ratio *analytice*, hoc est resolvendo procedit. — Haud igitur ambigendum est : Analysis et synthesis non sunt duæ progressiones mentis completæ, ac duæ methodi; sed sunt duo modi, secundum quos progressio mentis perfecte absolvitur. — Ex quo intelligi debet, processum analyticum et syntheticum non posse a se invicem perfecte separari, sive quando veritas per viam inventionis indagatur, sive quando audiendo vel legendo ab aliis addiscitur, sive quando jam inventa aliis traditur.

(1) In diversas nempe rationes abstractas, quæ in una quidditate abstracta considerari possunt ; utputa, in quidditate hominis ratio entis, substantiæ, viventis, sentientis, ratiocinantis considerari possunt.

CAPUT II.

STATUUNTUR CERTÆ REGULÆ PRO METHODO IN GENERE.

I. *Unde sumi debeant regulæ pro methodo, declaratur.*

In statuendis regulis pro progressione mentis in cognitione veri, eæ regulæ statui debent, quæ faciliorem efficiunt ac magis expeditam viam veritatis. Regulæ autem faciliorem efficientes ac magis expeditam viam veritatis, sunt eæ, quæ exprimunt processum naturalem intellectus, prius per reflexionem cognitum, sub quibusdam formulis. Ergo eæ regulæ pro methodo statui debent, quæ processum naturalem intellectus in veritate, sincere ac complete, sub quibusdam formulis exprimunt. — Sunt hæ formulæ dictata naturæ, a quibus qui proprio arbitrio recedere volunt, hærent ipsi, atque in captiones multas se inducunt, a quibus sese extricare nequeunt.

II. *Statuuntur sex regulæ, secundum quas mens præparari debet ante quamcumque investigationem.*

Quæ regulæ itaque ab attenta observatione naturalis progressionis mentis in cognitione veri, comperiuntur, sunt hujusmodi : 1ª Qui cognitionem rerum acquirere cupit, haudquaquam de rebus *per se notis* quærere debet ; quia nullus nodus solvendus, nulla dubitatio, nulla progressio in istis potest esse, quippe naturali evidentia, immediate per se statim innotescunt. — Qui ergo de primis principiis rationis dubitare volunt, incipiendo suam investigationem ab universali dubitatione de omnibus, contra institutum naturæ agunt ; dubitant enim de re, de qua naturaliter dubitare non possunt.

Qualis enim naturalis dubitatio potest esse de re, quæ per se clara et evidens cuique intuenti apparet (1)?

2ª Nemo suo arbitrio adimere potest vim testificandi veritatem mediis a natura nobis datis, qualia sunt *sensus externi, sensus intimus, intelligentia, ratiocinium, auctoritas divina vel humana*; sed quilibet ipsis sine exceptione uti debet, pro diversitate materiæ, cujus inquisitioni studet. — Qui ergo testimonium sensuum externorum in cognoscenda veritate factorum, quæ in natura corporea existunt, recipere nolunt, hi contra institutum naturæ agunt. Qui testimonium intelligentiæ vel ratiocinii præter ordinem factorum sensibilium concludentis, recipere nolunt, ut positivistæ faciunt, hi contra institutum naturæ agunt. Qui nullam auctoritatem, sive divina sit sive humana, pro re philosophica recipere volunt, uti, occasione data a Cartesio, recentiores rationalistæ faciunt, hi contra institutum naturæ agunt : institutum enim naturæ est, quod humana ratio sub societatis magisterio foveatur, excitetur, dirigatur, roboretur, ut sic in cognitionem veri *convenienter* adolescere possit.

3ª Nemo tantæ sit audaciæ, ut sua ratione utatur, *quasi esset princeps norma, qua homo cognitionem omnium cujuscumque generis veritatum assequi possit* (2); multa enim sunt supra sensum hominis revelata, atque hæc est natura humanæ rationis, esse lumen circumscriptum.

4ª Nemo admodum in iis insistat, de quibus syllogismi contrarii sunt, (h. e. in utramque partem argumenta probabilia adduci possunt), et de quibus, quia ardua sunt, nihil certi statui potest. Hæc enim, quæ talia sunt, noluit natura plene revelare; decreto autem naturæ nemo importuna curiositate resistere potest.

5ª De iis omnis *philosophica* inquisitio institui solum debet, quæ infra captum humanæ rationis comprenduntur,

(1) Qua in re sane reprehendendus est Cartesius, qui etiam de principiis per se notis dubitandum esse docuit. — Princip. 1ª pars, § V.

(2) Syllabus ex allocutionibus, etc. SS. Pii Papæ IX, n. 4.

quæ scilicet in principiis ejus continentur, in iis nempe, quæ sensibus externis, vel sensu intimo, vel intelligentia, vel ratiocinio cognoscuntur. Qui ergo præter hæc inquirere aliquid annituntur, præter institutum naturæ agunt; merito proinde a magnitudine ejus isti opprimuntur.

6ª De iis vero, quæ infra captum humanæ rationis continentur, haud de omnibus est quærendum : sed solum de iis, quæ pulchra sunt cognitu, quæque sua illuminatione animum vere elevant atque perficiunt, vel quæ ad bene eligendum vel fugiendum cognitu sunt necessaria, vel demum aliorum gratia utilia.—Imprimis vero communia sunt quærenda, non tamen *communiter*, modo nempe vulgari, sed accurate : quidquid enim nos vel meliores vel beatiores facturum est, aut in asserto, aut in proximo posuit natura. Velle autem de omnibus subtilibus et obscuris curare, aut de omnibus quæ dicuntur, amentia est.

III. *Statuuntur quinque regulæ, pro ordinata progressione mentis servandæ.*

Hactenus de regulis ante quamcumque objecti investigationem servandis, modo eæ regulæ sunt statuendæ, quæ ipsam activitatem mentis rite dirigunt, ut facile et expedite veritas cognosci possit. Sunt autem hujusmodi : 1ª Quilibet sincero animi desiderio, mente pura atque intenta ad alicujus objecti investigationem accedens, in primis ipsum objectum, quantum fieri potest, aliquo modo, in confuso apprehendat. Debet enim mens prius determinari, ut dubitet et quærat, alioquin incerta et quasi suspensa non habet de quo dubitet et de quo quærat, nec finem investigationis ejus agnoscere potest. — Qui ergo nimia festinatione pulsi atque inconstantia, quærunt de objecto, quod nondum bene determinaverint in animo, « similes illis sunt, ait Aristoteles, qui quonam ire oporteat, ignorant; et ad hæc, neque utrum invenerint quod quæritur, an non, cognoscere possunt (1).»

(1) Metaph. lib. II, edit. Didot, vol. II, c. I, pag. 488.

2ª Quilibet objectum sic confuse apprehensum, conari debet resolvere ac dividere per omnes suas partes, physicas quidem, si objectum sit totum actuale physicum; metaphysicas vero, si objectum sit totum actuale metaphysicum; logicas demum, si objectum sit totum actuale logicum.

3ª Tum removere debet illa, quæ ad cognitionem rei, de qua quæritur, non pertinent; ordinem enim cognitionis turbant, confusionem animo ingerunt, mentem obruunt.

4ª Deinde, omnes partes quæ supersunt, singillatim debet considerare, incipiendo ab iis, quæ conspectui animi e re ipsa propinquius objiciuntur, et facilius intelliguntur; ac ab iis, quorum cognitio lumen aliis affert. Sunt enim ideæ inter se, sicut et res naturæ, admirabili quadam continuatione aliæ ex aliis nexæ, ac omnes inter se aptæ et colligatæ.

5ª Demum, has omnes partes comparare debet inter se, ac juxta earum naturalem aptitudinem, in unum contexere.

Hæc de regulis pro methodo in genere sunt satis; si quædam desint, ex dictis in antecessum abundanter supplentur.

SECTIO SECUNDA.

DE METHODO SIBI COMPARANDI VERITATEM.

CAPUT I.

DE METHODO SIBI COMPARANDI VERITATEM PER VIAM INVENTIONIS.

I. *Discrimen inter methodum inveniendi et methodum addiscendi veritatem, declaratur.*

Aliquis potest sibi comparare veritatem vel per viam inventionis vel per viam disciplinæ. Per viam *inventionis*, si quis propriæ virtuti se committens, sine aliorum adjumento, ab ipsis fontibus naturæ veritatem attingere conatur. Per viam vero *disciplinæ*, si ab aliis audiendo vel legendo, veritatem addiscere studet.—Inter viam inventionis et disciplinæ hoc est discrimen, quod per istam animus veritatem recipit digestam et illustratam a cognitione aliorum; per illam autem immediate ex materia primigenia, informi, nondum digesta, veritas hauritur. Via inventionis est via virorum, qui solidum cibum propriis viribus digerendum amant; via vero disciplinæ est via puerorum, quibus cibus jam digestus, lac nempe debetur.

Itaque in hoc capite de methodo inventiva, quæ quia frequentius analysi utitur, *analytica* proinde solet dici, dicendum est; in alio vero capite de methodo disciplinari.

II. *De numero et natura quæstionum, de quarum solutione invenienda quæri potest, nec non de mediis pro solutione ipsarum adhibendis, tractatur.*

Ut tractatio de methodo inventiva sit absoluta, retentis regulis supra in capite secundo præcedentis sectionis statutis, oportet dicere de numero ac natura quæstionum, de quarum solutione quæri potest, nec non de mediis pro solutione ipsarum adhibendis. Cognita enim natura quæstionis solvendæ, cognitis mediis, quorum ope ipsa solvi potest, plana profecto est via inveniendæ veritatis.

1° Quæstiones igitur de quarum solutione quæri potest, aliæ sunt speculativæ et theoreticæ, quæ cognitionem veritatis propter se solum respiciunt; puta : *Estne anima immortalis?* Aliæ vero sunt practicæ, quæ cognitionem veritatis propter opus respiciunt; puta : *Estne Deus colendus? Suntne inimici diligendi?*

Quæstiones speculativæ versari possunt circa rei *possibilitatem* vel *impossibilitatem*, ex. c. *Estne possibile quod materia cogitet?* — Circa *naturam rei*, ex. c. *Quænam est natura seu essentia hominis?* Circa *actualem existentiam rei*, ex. c. *Existuntne substantiæ meræ spirituales, omnino a corporibus separatæ?* Circa *proprietates rei*, ex. c. *Estne homo animal sociale?* Denique, circa causam *efficientem et finalem*, ex. c. *Quis fecit mundum? Propter quid factus est mundus?* — Sunt istæ quæstiones omnes speculativæ, quæ de re aliqua fieri possunt : quæstiones autem practicæ ad duo genera revocari possunt, *quinam sit finis quærendus*, et *quænam media per quæ obtineri potest finis.*

2° Media vero, quorum ope quæstiones omnes in via inventionis, omni externo magisterio remoto, possunt resolvi, sunt pro diversitate materiæ, vel simplex aspectus mentis, vel observatio et experientia externa vel interna, vel ratiocinium. — Ratiocinium vero e variis fontibus hauriri potest : nam a cognitione causæ efficientis mens potest investigando

in cognitionem effectus devenire; vel contra, a cognitione effectus ad cognitionem causæ : a cognitione causæ finalis ad cognitionem mediorum; vel contra, a cognitione mediorum(1) ad cognitionem finis : a cognitione essentiæ ad cognitionem proprietatum; vel contra, a cognitione proprietatum ad cognitionem essentiæ : a cognitione totius ad cognitionem partium; vel contra, a cognitione partium ad cognitionem totius : accidens a cognitione subjecti, cui inhæret, cognosci potest; vel contra, subjectum ab accidentibus : simile a cognitione similis attingitur; cognitio demum unius contrarii alterius sibi contrarii cognitionem præbet; contrariorum enim contraria est ratio.

III. *De modo inveniendi solutionem quæstionis de possibilitate vel impossibilitate absoluta, physica, morali alicujus rei.*

Possibilitas et impossibilitas est triplex : *absoluta* quæ et *metaphysica* nominatur, *physica* seu *naturalis*, *moralis* seu *ordinaria*.

Possibilitas *absoluta* dicitur habitudo, secundum quam una notio potest de altera prædicari, quin in suo esse destruatur; impossibilitas vero *absoluta* est habitudo, secundum quam una notio nequit de alia prædicari, quin in suo esse destruatur : sic notio circuli repugnat notioni trianguli, quia nequit de triangulo prædicari, quin triangulus in sua ratione destruatur.

Possibilitas *physica* dicitur habitudo duorum, quorum unio a viribus naturæ, ab aliquo nempe ex constituentibus ordinem universi, fieri potest; contra, impossibilitas *physica*

(1) Quoniam nihil frustra natura operatur, sed in omnibus aliquid intendit; idcirco cum aliqua videmus esse in natura, quæ nonnisi ad unum aliquid ordinari possunt, merito inde concludimus, illud unum rationem finis habere; quæ doctrina plurimi facienda est pro physicis experientiis dirigendis.

vocatur habitudo duorum, quorum unio a viribus naturæ fieri non potest.

Possibilitas demum *moralis*, est habitudo duorum, quorum unio solet in natura ut in plurimis contingere; impossibilitas econtra moralis est habitudo duorum, quorum unio non solet ut in plurimis in natura contingere.

Quibus declaratis, pro invenienda solutione quæstionis de possibilitate vel impossibilitate absoluta, hæc sit unica regula : Si comparando inter se, immediate vel mediate per ratiocinium, terminos quæstionis clare prius evidenterque perceptos, mens clare videat unum posse alteri convenire, quin destruatur, tum possibilitatem, de qua quærit, vere invenit; si contra, unum non posse alteri convenire, quin destruatur, clare videat, tum impossibilitatem, de qua quærit, invenit. Quod si neutrum comperire possit, assensum cohibeat.

2° Pro invenienda solutione quæstionis de possibilitate vel impossibilitate physica alicujus facti, hæc sit regula : 1° Si factum, de quo quæritur, comperiatur opponi alicui legi in natura existenti, facto nempe, quod stabile est, constans et universale in natura, tunc ut naturaliter ac physice impossibile haberi debet; puta, *quod mortuus resurgat*, vel *quod cæcus natus ad imperium vocis videat*, etc.

2° Si vero comperiatur, quod factum, de quo quæritur, quandoque saltem, *naturaliter* evenerit, tunc sine dubio tanquam physice possibile æstimari debet.

3° Si demum factum, de quo quæritur, non sit oppositum legi naturæ, nec unquam in natura evenerit, tunc simplex et attenta observatio eorum, quæ fiunt in natura non juvat; sed, si factum ad ordinem corporalium non viventium pertineat, experimento utendum est, tentando nimirum, num arte quadam et industria per rerum naturalium appositam coagmentationem vel separationem, hujusmodi factum produci possit. Hac via profecto multorum factorum possibilitas a peritissimis physicis, præsertim hac nostra ætate, primo inventa fuit atque excogitata, a mechanicis postea ad opus

applicata. — Sed si factum, cujus possibilitas per observationem simplicem cognosci non potest, ad ordinem viventium pertineat, tunc experimentum, ut patet, adhiberi nequit, sed ratiocinium duntaxat, ab analogia sumptum.

4° Verum, si per hanc viam nihil de possibilitate vel impossibilitate factorum, ordinis sive mere corporalium sive viventium, colligi possit, tunc eorum possibilitas vel impossibilitas ut nobis ignota relinquenda est; magis enim ad perfectionem hominis confert suam ignorantiam confiteri, quam falsis tanquam veris teneri.

3° Pro invenienda solutione de possibilitate vel impossibilitate alicujus rei morali seu ordinaria, hæc sit regula : Noscatur prius sive per experientiam, sive per cognitionem dispositionis existentis in causa, a qua effectus dependet, quid in re, de qua quæritur, plerumque soleat evenire : tunc si factum, de cujus possibilitate vel impossibilitate morali quæritur, reperiatur esse contrarium ei, quod ut in plurimis contingit, *moraliter impossibile* dicitur; sic quod *vir pius et sanctus blasphemiam proferat*, moraliter impossibile esse æstimatur; si vero conforme esse reperiatur, tunc *moraliter possibile* dicitur, sic, quod *vir liberalis eleemosynas tribuat*, ut moraliter possibile asseritur.

IV. *De modo inveniendi solutionem quæstionis tum de natura, tum de existentia, tum demum de proprietatibus alicujus rei.*

Exposito modo inveniendi solutionem quæstionis de possibilitate vel impossibilitate alicujus rei, in præsenti quærendum est de modo inveniendi solutionem quæstionis de natura, existentia, proprietatibus alicujus rei. Et primo quidem de natura.

1° Ne vox ista *natura* (*essentia*, *quidditas*, *constitutivum rei*, *quidquid est rei*, quæ voces idem significant), ob multiplicem suam significationem animum turbet, nota : Hæc vox universe sumitur ad significandum id, quod est primum

in aliqua re, quodque est radix proprietatum omnium, quæ conveniunt rei illi, de qua essentia prædicatur. Id vero, quod est primum in aliqua re, quodque est radix aliorum, potest accipi trifariam : Uno modo prout reipsa in se est ratio interna et media, a qua primo dependet tota constitutio rei. — Alio modo prout est ratio media, non in se et absolute, sed respectu nostri intellectus, qui utitur illa ad declarandam rationem substantialem, quæ latet, et ad eam discernendam ab aliis rationibus. Essentia ista *essentia metaphysica*, vel *intelligibilis* vocatur, eaque « comprehendit in se ea, quæ cadunt in definitione speciei (1). » — Tertio modo prout est ratio physica ac naturalis, in quam ultimo per experientiam res potest resolvi. Appellatur essentia ista essentia physica vel naturalis, quæ nihil est aliud, quam idipsum, ex quo physica constitutio rerum naturalium, per experientiam primo comperitur; ex. e. *homo ex anima et corpore constituitur, aqua ex idrogeno et oxigeno*, etc.

His declaratis, concedendum est recentioribus intellectum hominis in statu præsenti, uti experientia testatur, non posse penetrare in essentiam rerum primo modo sumptam, quasi eam positive posset attingere in se. « Formæ essentiales, ait D. Thomas, non sunt nobis per se notæ (2). » Incassum ergo homo nunc tentaret solutionem de essentia intellecta; de ipsa proinde non est quærendum. Potest tamen intellectus sibi formare conceptum de essentia tum metaphysica seu intelligibili, tum physica seu naturali rerum. Potest ergo homo invenire solutionem de quæstione pertinente ad essentiam metaphysicam vel physicam rei. — Modus autem inveniendi hanc solutionem hic est :

Pro invenienda solutione quæstionis de essentia metaphysica alicujus rei, considerentur proprietates ejus, secundum quas ipsa se prodit extra, et quæ modo *stabili, constanti, uni-*

(1) D. Thom. 1. P. q. III, a. 3.

(2) In 2um Poster. analyticorum, lectione 13a.

versali, atque CHARACTERISTICO (h. e. ut nota, per quam distinguitur ab aliis rebus), rei conveniunt, atque illæ adhibeantur ad formam essentialem rei declarandam. Sic essentia metaphysica hominis per proprietates sentiendi et ratiocinandi definitur in mente, essentia intellectus per proprietatem tendendi in verum universale, et voluntatis in bonum universale, etc.

Pro invenienda vero solutione quæstionis de essentia physica, si res sit composita, enumerandæ sunt diligenter per experientiam externam omnes partes, ex quibus ipsa componitur, ac modus, quo inter se cohærent, diligenter est deprehendendus : quod si res sit simplex, ut sunt modi interiores animæ, *dolor*, *amor*, *intelligere*, *sentire*, etc., tunc observatio psychologica adhibenda est (1), attentus nempe ac perseverans aspectus animi circa ea, quæ in ipso fiunt ; vel observatio externa circa ea, quæ in aliis solent apparere, dum eorum anima tali vel tali modo afficitur et mutatur ; ex diversis enim impressionibus quæ ab animo in corpore solent apparere, recte ratiocinando aliquo modo potest comperiri, sicut a naturali suo signo, natura interioris affectionis.

2° Pro invenienda solutione quæstionis de existentia alicujus rei, quod nempe res aliqua reipsa existat extra causas et extra nihilum, hæc sit regula : Si facta, de quorum existentia quæritur, sint in natura corporali, et quærenti præsentia, tunc existentia immediate attingitur per observationem externam, puta, *quod sol et luna existat*. Si sint facta in animo quærentis existentia, tunc per observationem internam comperiuntur, *ut gaudium vel dolor*. Existentia rerum potest

(1) Nonnulli psychologicam observationem impossibilem esse censent, quia dum animæ modificatio observatur, jam est immutata, aut destructa. Nihilominus dicendum est, etsi observatio psychologica sit difficilis, quia revera dum animus supra ipsum per reflexionem redit aliquo modo immutatur ; tamen si animi modificatio sit fortis et tenax, per reflexionem non penitus destruitur, ac proinde actu, prout est, observari potest.

quoque ratiocinando comperiri, vel ex operatione agentis quæ apparet, et quæ existentiam principii operantis probat; vel a cognitione existentiæ alicujus, cum quo id, de quo quæritur, necessario conjungitur; vel etiam ex fine operantis, puta, quia scimus agens appetere talem finem, posse eum assequi, et revera fuisse assequutum; tunc enim recte arguendo concluditur existentia mediorum, quæ ad talem finem obtinendum sunt necessaria.

3° Demum, pro invenienda solutione quæstionis de proprietatibus rei alicujus, hæc sit regula : 1° Si proprietates sensibus externis extrinsecus se produnt, tunc per accuratam observationem sensuum exteriorum, ipsæ comperiantur.

2° Si sint proprietates ipsius animæ cognoscentis, per reflexionem tunc psychologicam sunt inveniendæ.

3° Sin proprietates actu non appareant, ac de ipsis proinde nequeat esse observatio externa vel interna, tunc a cognitione causæ formalis, argui potest cognitio proprietatis : nam si cognosco substantiam aliquam esse spiritualem, merito infero : ergo intelligens et volens est; si cognosco rem aliquam componi ex talibus et talibus elementis, in tali et tali proportione, et cognosco proprietatem uniuscujusque elementi, merito tunc proprietates illius rei possum inferre.

Item, a cognitione causæ finalis : nam si cognosco finem proprium alicujus rei, ad quem ut ipsa ordinetur, tales proprietates habeat necesse est, merito tunc infero, talis rei tales esse proprietates.

Ultimo ab analogia, quia scilicet res, de cujus proprietatibus inveniendis quæritur, similis omnino est ei, quod tales proprietates habere cognoscitur. Sed de his satis, non enim oportet plura dicere, ne animi adolescentulorum fatigentur.

V. *De modo inveniendi solutionem quæstionis de causa tum efficienti tum finali alicujus rei.*

Tradendæ sunt nunc regulæ pro invenienda solutione quæstionis de causa tum efficienti tum finali.

1° Pro invenienda solutione quæstionis de causa efficienti, hæc regula habeatur : 1° Si causa efficiens invenienda, sit ordinis physici et naturalis, observetur attente per simplicem observationem, vel per artificiosam experientiam, quodnam sit illud factum, quo posito, constanter, uniformiter, universaliter alterum sequitur; tale factum enim causa physica vel naturalis a physicis nuncupatur.

2° Si causa sit interna, puta, si quæratur, *quænam sit causa efficiens nostrarum idearum*, tunc per internam reflexionem conscientiæ hoc colligendum est : sic per interiorem reflexionem scimus ab animo elici operationem intelligendi, et sentiendi, etc. — Quod si simplex reflexio conscientiæ non sufficiat; tunc ratiocinium adhiberi potest, hoc modo : Per reflexionem conscientiæ debent primo enumerari omnia, quæ quomodocumque concurrunt ad illum effectum interiorem; deinde ipsa natura effectus accurate deprehendatur oportet; tunc comparando cum effectu omnia quæ adsunt, cum ipse producitur, colligatur quodnam ex illis habere possit rationem causæ. — Si demum neque hac via causa comperiri possit (et hoc intelligendum est præsertim pro inveniendis causis physicis), tunc *hypothesibus* uti possumus; excogitando nempe omnes causas possibiles, quæ ad effectum illum producendum absolute vel apparenter tantum concurrere possunt : deinde eam retinendo tanquam probabilem, quæ magis cohæret cum iis, quæ per experientiam cognoscuntur.

3° Demum, causa efficiens rei alicujus invenitur, si cognoscatur id, a quo res ita in existendo dependet, ut sine influxu ejus, nullo modo possit existere : id enim, a quo res sic pendet, rationem causæ efficientis reipsa habet. Sic cognoscimus Deum esse causam efficientem universæ creaturæ, quoniam cognoscimus nullam creaturam posse existere, nisi dederit Deus.

2° Hæc pro causa efficienti, pro causa vero finali invenienda, hæc sit regula : 1° Inclinationes atque tendentiæ,

suggestiones atque conatus uniuscujusque rei, nec non media, per quæ perfectionem suam ipsa evolvit, per observationem externam vel internam attente considerentur; id autem est causa finalis, ad quod unumquodque tendit. 2° Pro inveniendа vero causa finali absolute ultima, ea sane, si de fine animæ rationalis agitur, per sensum internum cognoscitur, vel, si de fine omnium, ex cognitione causæ primæ infertur; ea enim est causa ultima finalis, quæ est efficiens prima.

At in his diutius non immoremur; illud sciant cari adolescentuli, etsi sub directione magistri, utiliter et possint et debeant pro suo modulo sese methodo inventivæ exercere, ut sic interior activitas intelligendi solidior ac fortior, proptior ac magis expedita ad agendum evadat; tamen hac methodo uti haudquaquam tironum est, sed provectorum, exercitatorum nempe in contemplatione rerum, quibus copia materia non deest; difficile est enim hac methodo in philosophia uti, cui pleraque non sint nota, quem virtus modestiæ et sobrietatis non exornat.

CAPUT II.

DE METHODO ADDISCENDI.

—

I. *Qualis sit methodus disciplinaris, declaratur.*

Quum de methodo inventiva jam dictum sit, nunc de methodo disciplinari, per quam quis veritatem, eam ab aliis addiscendo, sibi comparat, oportet dicere. Est autem methodus ista disciplinaris *prior* methodo inventiva, *facilior* illa, eam *adjuvat ne deficiat*, estque homini omnino *naturalis*.

1° *Methodus disciplinaris est prior methodo inventiva;* non enim quis potest uti methodo inventiva, nisi prius et usum

expeditum suarum facultatum per disciplinam acquisiverit, et uberem cognitionem rerum, sine qua nemo arte et studio quicquam invenire potest, sibi comparaverit.

2° *Methodus disciplinaris est facilior methodo inventiva* : quia ratio inveniendo, ut in præcedenti capite jam dictum est, circa materiam informem ac nondum digestam, totam elaborandam versatur; addiscendo vero ratio circa materiam jam alieno stomacho decoctam et digestam, jam luce intellectus illustratam, et ad aliorum intelligentiam accommodatam versatur.

3° *Methodus disciplinaris adjuvat methodum inventivam, ne deficiat* : siquidem sibi relictus homo, etiam post acceptam instructionem, impar est per se omnem veritatem inquirere; est enim tempus breve, vires ejus infirmæ sunt et imbecilles, quæ proinde in inquisitione veri, nisi aliorum magisterio, maxime divinæ revelationis, excitentur, dirigantur, foveantur, facile lassantur et perturbantur, ac, uti aperta docet experientia, in multos prolabuntur errores.

4° *Methodus disciplinaris est homini omnino naturalis* : etenim ex interiori experientia sentimus, nos, ut principia lumine naturali cognita, ordine quodam in animo disponantur, ut conclusiones in ipsis contentæ, ostendantur, ut veritas abstracta quasi in concreto per sensibilia exempla exhibeatur, externa directione et magisterio indigere. Recte autem dicitur homini esse naturale id, quo homo ad suam naturalem perfectionem evolvendam indiget. — Et hoc confirmatur : ad congregationem enim, ad societatem, ad communitatem generis humani nati sumus; hinc, quemadmodum vita corporalis sub cura parentum crescit et adolescit, ita et vita intellectualis sub aliorum disciplina naturaliter evolvitur atque perficitur. Ultimo, homo solitarius, ut externa experientia aperte probat, aut, si societatem habuerit cum Deo, angelus est, aut brutum. — Hæc de methodo disciplinari, ut, qualis ipsa sit, intelligatur.

Quia vero hæc methodus tota consistit, ut dictum est, in

quadam via ac debita ratione recipiendi cognitionem ab aliis, idcirco, ut complete de ipsa dicatur, primo recensenda sunt media, per quæ ab aliis veritas potest addisci; deinde statuendæ sunt leges, secundum quas adhibenda sunt media quibus cognitio ab aliis acquiritur.

II. *Magistri docti, conversatio cum viris sapientibus, disputatio, lectio librorum, calamus, sermo populorum, sunt media, per quæ veritas ab aliis addiscitur.*

Media per quæ ab aliis veritas potest addisci, sunt 1° *magistri* docti, prudentes, qui sciant scilicet dare *in tempore tritici mensuram*, ad communicandas aliis proprias cogitationes omnino periti. — 2° Est *conversatio cum viris sapientibus* ; pretiosissima enim sunt verba sapientum, quia vera, quia electa ; quia per intentam meditationem recogitata, elaborata ac bene digesta; quia ex intima ac sincera persuasione prolata, ipsa sicuti clavi in auditorum animis figuntur. — 3° *Est disputatio cum aliis* (1); in disputando enim contradicentis argumentis animus pulsus, acie magis intenta in verum nititur, ac ita in oppositione veritas fulget, et animo profundius imprimitur : consuetudo insuper disputandi animum acuit, eumque promptiorem ac magis expeditum reddit ad suis facultatibus utendum. — Sunt tamen in disputando certæ leges servandæ (2), quarum præcipua est, ut, qui congre-

(1) Disputatio est argumentatio de aliqua proposita doctrina, inter duos habita, uno contradicente altero respondente.

(2) En summatim leges recte disputandi : 1ª Noscatur optime status quæstionis, ita ut et defendens et opponens idipsum intendere possint. — 2ª Deinde conveniant ipsi inter se de principiis, sub quibus finienda est quæstio. — 3ª Argumenta sive in favorem doctrinæ propositæ allata, sive contra ipsam, clara sint, aperta, formam syllogisticam, quoad fieri potest, servent, ut veritas vel falsitas in nudo facilius prospici possit. — 4ª Non facile opponens transeat ad alterum medium terminum argu-

diuntur, non gloriosum æstiment adversarium vincere et superare, sed a veritate vinci et superari. Si talis sit disputantium dispositio, urbana tunc, tranquilla, a studio partium aliena, sine interruptione erit disputatio, eaque utilis. — 4° *Est lectio librorum*; libri enim, dummodo sint boni, sunt monumenta cogitationis sapientissimorum hominum, cum quibus, legendo, quodammodo conversamur. — Sint tamen libri sincere boni, qui veram, solidam, probatam ac bene ordinatam doctrinam contineant. — Sobrie legantur ipsi, ita ut intelligi possint, et quod intelligitur retineri; non enim avide invadenda sunt omnia; quippe non est mensura lectionis cupiditas sciendi, sed propria capacitas; tantum ergo de libris quisque haurire debet, quantum capere potest. — 5° Quintum medium *est calamus*, scriptura nempe exarare quæ discens audiendo vel legendo didicit : conatus enim animi ad exprimendas sic proprias cogitationes, excitat vim intelligendi; melius digerit quæ didicit; eaque fortius imprimit in animo; demum, sub forma sensibili mens facilius

mentationis primo propositæ, sed in eodem semper insistat, eo usque persequendo, donec veritas vel falsitas argumenti plene appareat. — 5ª Opponens non debet quædam minus bene, minus vere ab defendente dicta statim redarguere, nisi ea ad solutionem quæstionis vere pertineant : alioquin facile punctum controversiæ laberetur. — 6ª Defendens autem, argumento contradicentis explorate prius cognito, propositiones in eo contentas, vel concedat, si sint veræ; vel *transeat* eis concedat, si non sint contra thesim, ac de earum veritate non satis constet; vel neget, si sint falsæ; vel distinguat, si sint ambiguæ. — 7ª Ad defendentem non pertinet probare quod ipse negat, nisi rationes a contradicente adductæ videantur solidæ. — 8ª Non satis est ad perfectam solutionem contrarii argumenti, notare absurda, quæ sequuntur ab ipso : *adducere inconveniens non est solvere argumentum*. Neque sufficit propriam thesim aliis argumentis consolidare, quæ ad ea, quæ objiciuntur, non spectant. Neque satis confugere ad quædam loca communia, puta *ad voluntatem Dei*, *ad secreta naturæ*, *ad brevitatem captus nostri*, nisi argumentum ab iis sumatur, quæ captum hominis reipsa superant.

recognoscere potest perfectionem vel defectum proprii operis (1). — 6° Denique, medium addiscendi ab aliis *est lingua seu sermo hominum.* Lingua enim, etsi penes diversas nationes quoad sonum sit diversa; tamen ipsa est imago et symbolum, unitatem cogitationis humanæ societatis exprimens. Quocirca, qui studet sensum in linguis significatum exquirere, is veritatem ab ipso humano genere addiscit, cujus auctoritati qui resistit, ut amens habetur. — At modo de regulis in via disciplinari servandis, statuere oportet.

III. *Tres regulæ in methodo disciplinari servandæ, statuuntur.*

Quicumque igitur, ingenio ad intelligendum, memoria ad retinendum præditi, amore moderato veritatis incensi, officio pulsi, qui cognitionem veram, solidam, claram, distinctam ab aliis addiscere cupiunt, has regulas servent necesse est : 1ª Discentes debent primo *in fide* suscipere ea quæ a doctis et a majoribus asseruntur, dummodo aperte veritati non repugnent : non statim de ipsis quærere, *num vera sint;* sed audire et historice prius intelligere quod dicitur, *nam discentem credere oportet* (2). Est sane hominis bene instituti ut honorabile habere quod a doctis dicitur, illudque quadam animi reverentia et docilitate excipere.

2ª Sensu eorum, quæ leguntur vel audiuntur, bene percepto, benevole, sine arrogantia, quæ est magnum profectus

(1) « Nec scribere tantum, ait Seneca, nec tantum legere debemus : altera res contristabit, vires exhauriet (de stilo dico), altera solvet ac diluet. Invicem huc et illo commeandum est et alterum altero temperandum, ut quicquid lectione collectum est, stilus redigat in corpus. Apes, ut aiunt, debemus imitari, quæ vagantur et flores ad mel faciendum idoneos carpunt, deinde quicquid adtulere, disponunt ac per favos digerunt, et, ut Virgilius noster ait :

.... liquentia mella
stipant et dulci distendunt nectare cellas. » Sen. epist. 84ª.

(2) Arist. Soph. Elench. cap. II.

obstaculum, conentur ipsi de iis, quæ ita historice intellexerunt, per studium, per intentam nempe atque acuminatam applicationem animi, ea in prima principia revocando, perinde ac ipsi veritatem receptam invenire deberent, judicare. Nam qui vere discere cupiunt, cognitionem ab aliis acceptam non debent, sicut pecuniam in arca, intus reponere; sed propria vi coquere, digerere, in proprium sanguinem ac virtutem vertere. Hoc sciant juvenes : Qui vere docet intra, Deus est, lumen tribuendo; qui docet extra, natura est, materiam cognoscendam atque illustrandam præbendo; homines vero, cum docent, ministri sunt veritatis, commonitores nempe.

3ª Quæ vero sic intellecta fuerunt, in certum ordinem redigantur in mente, curando claram ac bene ordinatam perceptionem animi, nitidam ac bene definitam expressionem oris habere.

Hactenus de methodo inventiva et disciplinari, quæ duæ methodi nequeunt, uti ex dictis patet, perfecte separari inter se; nam et qui invenit ab aliis addiscat necesse est, et qui ab aliis addiscit, ut solida ac bene fundata sit ejus doctrina, inveniendo recognoscat oportet, quod didicit.

SECTIO TERTIA.

DE METHODO ALIIS SUADENDI VERITATEM.

—

CAPUT I.

DE METHODO DEMONSTRATIVA.

—

I. *Processus in methodo demonstrativa servandus, prout demonstrationi doctrinæ magis expedit, quandoque syntheticus est, quandoque analyticus.*

Nunc autem, quoniam de methodo comparandi sibi veritatem jam dictum sit, de methodo aliis communicandi veritatem cognitam, dicendum est. De ea vero in primis quærere oportet, quinam processus sit in ipsa servandus : processus syntheticus an analyticus.

Qua in re dico : Quando agitur de ordinandis inter se pluribus quæstionibus, quæ objectum aliquod, de quo tractatur, in suas partes distribuunt, processus esse debet syntheticus. Exigit namque recta dispositio harum quæstionum, ut ab ea incipiatur, cujus cognitio, utpote universalior ac magis simplex, cognitioni aliarum præsupponitur, ac ita gradatim doctrina progrediatur usque ad solutionem ultimæ quæstionis, quæ totam materiam tractandam absolvit : est hæc via, ut patet, facilior ac magis expedita. Recte igitur schola quæstiones cujuslibet tractatus a communioribus incipiendo, ordine synthetico solet disponere ; nam primo quærit, *an res sit* ; postea, *quid sit* ; deinde, *qualis sit* ; quarto, *a quo sit*; ultimo, *ad quid sit*. — Ordinatio itaque quæstionum, quæ in aliquo tractatu solvuntur, synthetica esse debet.

Si vero agatur de ordine in quálibet quæstione servando, progressio tunc, si propositio, de qua quæritur, a serie quadam propositionum ratiocinando inferatur, *synthetica* esse debet. — Quod si propositio, de qua quæritur, factum aliquod externum vel internum enunciat, progressio tunc esse debet *analytica*. Factum enim objicitur animo ut aliquid complexum atque concretum; ipsum proinde, ut cognoscatur, resolvi debet in partes; partes postea divisim considerandæ sunt, ac inter se comparandæ, ut sic, ipsis explorate cognitis, earumque ordinatione perspecta, totum cognoscatur.

Processus ergo in methodo demonstrativa servandus, cum quæstiones ordinantur inter se, syntheticus debet esse; cum autem singulæ quæstiones separatim tractantur, analyticus vel syntheticus, prout demonstrationi doctrinæ magis expedit. — At dicamus modo de regulis, quæ servari debent, cum de aliqua thesi agitur per ratiocinium aliis demonstranda, nam de regulis servandis pro suadenda propositione, quæ circa factum aliquod versatur, non occurrit aliquid speciale dicendum, sed eumdem omnino processum quilibet servet, quo usus est pro veritate ejus invenienda.

II. *Regulæ servandæ in demonstratione alicujus thesis statuuntur.*

Regulæ igitur servandæ, cum de aliqua thesi agitur, quæ aliis per ratiocinium demonstratur, respiciunt vel ipsam positionem thesis, vel ejus probationem, vel demum solutionem earum rationum, quæ a suscipienda veritate impediunt. Regulæ autem sunt istæ :

1° *Regulæ quæ respiciunt ipsam positionem thesis* : 1ª Cum quis aliquam veritatem aliis demonstrandam aggreditur, in primis clare et distincte eam proponere debet, omnem ambiguitatem a vocibus illam exprimentibus removendo; ac rem significatam a quacumque aliena qualitate discernendo, ita ut suis propriis terminis contenta et circumscripta appareat.

2ª Quia aliquid demonstratur alteri, vel quia illud ignorat, vel quia momenta contraria habet ad non assentiendum, idcirco qui demonstrat, ante demonstrationem, personam *negative* dubitantis propter ignorantiam, vel *positive* dubitantis propter rationes contrarias induere debet, thesim proponendo sub forma dubitationis. Hæc dubitatio *dubium methodicum* merito nuncupatur, ut a dubio reali distinguatur; siquidem ipsa effingitur ad repræsentandum statum mentis, in quo, qui de re aliqua quærit, versatur : non enim quærimus quæ scimus, sed de quibus dubitamus ; « investigatio veritatis, ait S. Thomas, nihil aliud est, quam solutio prius *dubitatorum* (1). »

3ª Deinde, in quo situs sit nodus quæstionis declaret, ostendendo veritatem, de qua quæritur, obscuram esse, vel immediate non cognosci, insuper præcipua argumenta proponendo, unde positiva dubitatio oriri potest (2).

4ª Hoc præstito, formam dubitationis reliquendo, quod demonstrans sentit, affirmative vel negative proponat.

5ª Ad positionem thesis quoque spectat declarare ea prin-

(1) Metaphys. lib. III, lect. 1ª. — Quocirca etsi coercenda sit intemperantia Cartesii, qui de omnibus *methodice* dubitandum esse voluit, etiam de rebus per se notis et evidentissimis, stulta est enim dubitatio de re, de qua, utpote per se nota, quæri non potest ; attamen prout dubitatio illa adhibetur pro rebus, quæ obscuræ sunt, vel quæ ratiocinio indigent, ut cognoscantur, ipsa nil reprehensione dignum habet.

(2) « Dubitatio de aliqua de re, ait S. Thomas, hoc modo se habet ad mentem, sicut vinculum corporale ad corpus, et eundem effectum demonstrat... Sicut enim ille, qui habet pedes ligatos, non potest in anteriora procedere secundum viam corporalem, ita ille qui dubitat quasi habens mentem ligatam, non potest ad interiora procedere secundum viam speculationis. Et ideo sicut ille, qui vult solvere vinculum corporale, oportet quod prius inspiciat vinculum, ita ille qui vult solvere dubitationem, oportet quod prius speculetur omnes difficultates, et earum causas. » (Metaphys. lib. III, lect. 1ª.).

cipia, quæ argumentationi pro demonstratione thesis afferendæ præsupponuntur. « Danda est opera, ait Aristoteles, ut (principia) bene definiantur. Magnum enim momentum ad ea quæ sequuntur afferunt : *ideoque principium plus quam dimidium totius esse videtur*, multaque in quæstione posita, eo cognito, declarari (1). »

2° *Regulæ quæ respiciunt probationem thesis* : 1ª Argumentum, quod ad probandum affertur, si sit vere demonstrativum, debet esse tale, quod ad alia, quæ non sunt ejusdem speciei cum re de qua quæritur, non quadre; ipsum ex propriis rei principiis sumendum est.

2ª Præter argumentum, quod a propriis rei principiis sumitur, alia argumenta per modum confirmationis adduci possunt, deprompta ab adjunctis, ab auctoritate, etc. Nihilominus haud sunt hæc argumenta sine fine multiplicanda ; sed modus in ipsis esse debet, ne eorum multitudo animum distrahat.

3ª Omnia autem argumenta, quæ afferuntur, eo unice spectare debent, ut probent intentum : thesis enim probanda, est veluti clavus in animo figendus, argumenta vero sunt mallei ictus.

3° *Regulæ pro rationibus solvendis, quæ thesim impugnant :* in primis notandum est, varias esse objectionum species; nam quædam ipsam thesim impugnant; *directe* quidem, si ostendant prædicatum non posse convenire subjecto; *indirecte* vero, si ostendant, quod, thesi admissa, aliquod sequatur absurdum, vel aliquid quod opponitur alteri conclusioni, quæ a demonstrante ut vera tenetur. Quædam autem sunt objectiones, quæ argumenta ad probandam thesim allata, impugnant, contendendo vel earum præmissas esse falsas, vel illationem conclusionis non esse legitimam.

His præmissis, hæ sint regulæ : 1ª Pro solvendis objectio-

(1) Ethica Nicomach. lib. I, c. 7, edit. Didot, vol. II, pag. 7.

nibus, quæ thesim solide demonstratam, *directe* impugnant, ad diversas fallaciarum species attendatur; sic enim earum fallacia per illa sophismatum exemplaria supra recensita, facile detegetur.

2ª Pro solvendis vero objectionibus, quæ thesim solide demonstratam, *indirecte* impugnant, si impugnatio fiat, quia, conclusione admissa, sequitur absurdum, tunc considerandum est, num reipsa sit absurdum, quod absurdum dicitur; et si tale sit, num reipsa sequatur a conclusione solide demonstrata; in alterutro enim profecto fallacia argumenti, veritatem impugnantis, continetur.

Sin autem impugnatio fiat, quia, conclusione admissa, sequitur aliquid, quod opponitur alteri conclusioni, quæ a demonstrante tanquam vera admittitur; tunc quærendum est primo: *Estne conclusio ista revera opposita?* nam si oppositio non sit realis, sed apparens, nulla est impugnatio ista. — Quod si reipsa reperiatur opposita, tunc iterum quærendum est : *Hæc conclusio illata a conclusione, ut vera jam demonstrata, quæ reipsa opponitur alteri conclusioni, receptæ ut veræ a demonstrante, inferturne legitime a conclusione, quæ ut vera jam fuit demonstrata?* Huic quæstioni tuto est respondendum: *Non legitime infertur, quia verum non opponitur vero.* — Si rursus quæratur : In quo fallacia ista illationis consistit? *Consistit in usu sophistico conclusionis, a qua dicta conclusio infertur.* Contingit enim plerumque quod per conclusionem solide demonstratam, cognoscatur quidem aliquid de re, tamen modus (πῶς), quo illud in ipsa est, non cognoscitur: *uti igitur in hoc casu prædicta conclusione ad aliquid inferendum, quod præsupponit perfectam cognitionem non solum de existentia rei, verum de modo quoque, quo ipsa est*, quæ cognitio reipsa non habetur, hoc proprie constituit usum conclusionis omnino sophisticum.

De reliquo, pro hujusmodi argumentorum solutione duo isti canones præ oculis habeantur : Primus : Quidquid objicitur menti sub duplici argumentorum specie, quorum quædam

illud affirmant, quædam vero negant, si eandem vim probationis videantur habere, in hoc casu ad sensum internum naturalem, qui est quidam naturæ instinctus, pro resolutione merito confugere possumus. — Alius canon est : Quæcumque cognitio certo evidenterque fuerit probata, ipsa non potest inde legitime negari, eo quod ab ipsa aliqua absurda sequi videantur; potest enim hoc contingere, ac revera contingit, ex insufficientia et imperfectione nostræ cognitionis.

3ª Pro solvendis denique objectionibus, quæ demonstrationem thesis impugnant, si præmissas, ex quibus ducitur argumentatio, impugnent, satis est ostendere eas esse, vel definitiones nominum, de quibus, dummodo exponantur, nulla potest esse controversia; vel prima principia per se nota; vel propositiones solide ac evidenter demonstratas. Sin vero bonitatem illationis impugnent, tunc sub lumine regularum legitimæ illationis, revocando conclusionem ad sua prima principia, ostendendum est, conclusionem illatam in ipsis virtualiter revera contineri. — Sed in his rebus subtilibus non est diutius immorandum, ratiocinandi enim usus plura docebit.

II, *Methodus demonstrandi mathematica nequit omni generi scientiarum aptari.*

Modo breviter examinanda est illorum sententia, qui methodum demonstrativam in omni genere scientiarum ad normam methodi mathematicæ formatam volunt (1). — Hæc sententia non multis eget, ut refutetur; satis est enim noscere, quid per methodum mathematicam intelligatur. Est igitur methodus mathematica ratio procedendi in scientiis, quæ in omnibus conclusionibus suis nihil, nisi certum ac

(1) Cfr. Wolfium. Element. Math. Comment. de studio mathemat. cap. 2.

NOVITIATE LIBRARY

evidens consectatur. Ad hoc autem assequendum, nihil in terminis relinquit quod sit ambiguum; ex certis atque evidentibus principiis conclusiones suas infert; nonnisi pressa ac rigorosa demonstratione ad suas conclusiones probandas utitur, longam seriem syllogismorum ita inter se colligando, ut, cum a primo syllogismo incipit, conclusio primi sit major vel minor secundi, et conclusio secundi major vel minor tertii, ac ita in longum protrahendo. Vel ut, cum ab ultimo incipit, major vel minor ultimi sit conclusio antecedentis, ac ita ascendendo usque ad primum. — Atqui modus iste demonstrandi nequit omni generi scientiarum aptari; non enim fert omnium scientiarum natura eam abstractionem et certitudinem, quæ solius mathematicæ est propria. Ergo nec methodum ejus: methodus enim est ratio quædam, qua cogitationes animi juxta aptitudinem materiæ, de qua ipsæ sunt, disponuntur. Quamobrem etsi forma typica cujusque methodi *pro certitudine obtinenda*, sit forma methodi mathematicæ, ad quam proinde aliarum scientiarum processus aliquo modo accommodari possunt; tamen non est possibile, quod ipsa presse et ad amussim omni scientiarum generi aptetur. « Est bene instituti hominis, ait Aristoteles, tantam in unoquoque genere disputationis subtilitatem desiderare, quantam rei ipsius fert natura (1). »

Ex dictis in hoc capite qualis debeat esse processus, cum de aliqua veritate in aliorum doctrinam tractatur, et quinam modus ejus in singulis quæstionibus pertractandis, comperitur.

(1) Ethica Nicom. lib. I, c. 3, edit. Didot, vol. II, p. 2.

CAPUT II.

DE METHODO DIDASCALICA.

I. *Statuuntur regulæ bene docendi veritatem eos, qui errore vacui, ipsa primo informantur.*

Veritas demonstrari potest et iis, qui errore contrario sunt irretiti, et iis, quorum animi ab omni errore liberi, sunt veluti tabella informis, omni doctrina (non tamen præjudiciis) vacui, expectantes, ut in ipsa scribatur. Methodus didascalica ad istos proprie ordinatur; est enim recta ratio docendi veritatem eos, qui eam primo addiscunt.

Regulæ servandæ in hac methodo, præter allatas, cum de methodo in genere agebatur et paulo ante in numero secundo præcedentis capitis, sunt hujusmodi :

1ª Magister bene imbutus et apprime eruditus de doctrina discipulis communicanda, nec non ad illam propriis verbis apte exprimendam peritus, tria maxime intendat : Primum, quod juvenes addiscant recte uti sua facultate in ea parte doctrinæ, qua erudiuntur. — Alterum, quod de universa et absoluta doctrina de re, quæ traditur, adolescentuli non occupentur ; sed de primis elementis duntaxat, de iis nempe e quibus nascuntur et oriuntur alia, quæque sunt veluti semina electa, quæ in animo bene inserta, meditatione postea fœcundata, rerum aspectu et studio aucta, in arborem magnam et uberem crescere possint. — Tertium quod clare, distincte, ordinate omnia intelligant, ita ut sine magno labore possint retinere ; insuper, ut in particulari et determinate, *si agatur de cognitione rerum naturalium*, non autem modo quodam generali et abstracto res cognoscant ; « naturalis *enim* scientiæ finis est, quod videtur principaliter secundum sensum (1).»

(1) D. Thom. I P. q. 84, a. 8.

2ª Pro primo scopo obtinendo hæc sit regula : Proponat suam doctrinam ita, ut non veritatem tantum conclusionis discipuli videant, sed etiam ut ordinem ipsius cum principiis, ac utriusque connexionem bene perpendant ; ut et ordinem primorum ratiocinationis elementorum ad suam lucem, sub qua primo manifestantur, distincte aspiciant. — Quamobrem curet magister, ut conclusio doctrinæ ostendatur ordine tum progressivo tum regressivo; ut et ipsi discipuli quandoque ordinate, methodo Socratica interrogati, respondendo exerceantur, ut proprio conatu quæstionem resolvant. Non utatur ipse in docendo stylo oratorio, qui sicut amnis, qui contineri non potest, currit ; sed pressa et clara oratione, naturali et propria, e medio sumpta utatur ; forma syllogistica, in qua, propter ordinem propositionum, processus rationis facilius perspicitur, in difficilioribus præferat.

3ª Pro secundo scopo obtinendo hæc sit regula : Expendat magister, quænam sint in unaquaque materia quæstiones primariæ atque fundamentales, quarum cognitio cognitioni reliquorum, quæ ad illam materiam pertinent, præsupponitur; hæc vero accurate diligenterque tradat, satagatque simul, ut adolescentuli non errantem et vagam, sed certam ac stabilem sententiam de ipsis habeant. Quod tum facile magister assequitur, cum de re quasi sit præsens, quasi res ipsa agatur, non quasi narretur, tractat.

4ª Pro tertio scopo demum obtinendo hæc sit regula : Magister propriis ac distinctis verbis omnia exprimat : de sua materia ordinate tractet, maxime secundum processum syntheticum : a nimia controversia abstineat, non enim in commotione veritas; ecquid præterea apprehendere possunt in controversia juvenes, qui nondum usum perfectum luminis, ut possint de controversis judicare, sunt assequuti? item ab opinionum varietate, hominumque dissensione, quæ et animos ipsos provectorum perturbant, abstineat; sed levi ac simplici via, diligentissima atque exactissima interpretatione sine fuco omnia petractet, curando, ut adolescentuli

in parvis facilioribusque exerceantur, antequam in maximis : « Vetus est, omniumque communis sententia, ait Plato, si quis magna recte transigere velit, in parvis facilioribusque ea, antequam in maximis, considerare et exercere eum debere (1). » — Hæc de regulis a magistris servandis in prima adolescentulorum institutione.

II. *Scholastica methodus breviter adumbratur et commendatur.*

De methodo didascalica in abstracto, prout nempe genus est docendi summum et perfectissimum, hucusque in hoc capite dictum est ; nunc eam in concreto considerare oportet, qualis scilicet apparet in auctoribus, qui exactius ac modo magis exquisito ipsa sunt usi.

Inter hos autem nequaquam sunt recensendi, si Damascenum excipias, veteres Ecclesiæ Patres, quibus non erat propositum suis doctrinis adolescentulorum animos informare. Nam ipsi data occasione, vel hæreses refutando, vel veritatem christianam populos docendo, de variis argumentis scribebant : in scribendo autem grandiloqui erant, amplam sententiarum gravitatem sectantes, copiosi, quandoque vehementes, quibus rethorica ornamenta non displicebant, quippe non ad docendos tantum, sed etiam ad permovendos et convertendos animos erant intenti. Atqui hic modus tradendi doctrinam, ut patet, minime didascalicus dici potest.

Item, haud inter illos connumerandi sunt ii auctores, quorum propago, Aquinate jam mortuo, originem habuit a nimia illa, affectata, subtili curiositate omnia indagandi, quam Scotus primus media ætate in academias invexit. Plures enim eo tempore sunt exorti, qui sive Scoti imitatores sive impugnatores, in easdem et in majores quoque subtilitates sunt lapsi. Hi rationem ad audaciam exercentes et ad

(1) Sophista, edit. Didot, vol. I, pag. 164.

versipellem quandam astutiam, divisionibus et subdivisionibus innumeris quasi in pulverem omnia secantes, quibusdam minutis ambagibus, ac longa syllogismorum contortorum serie quæstiones solventes atque ligantes, doctrinas telæ araneæ similes contexentes, non illustrabant sane veritatem, sed intricabant, non docebant sane ipsi, sed miseros adolescentulorum animos sine ullo valido sermone veluti in angusto carcere et imbecillo claudebant.

His itaque omissis, in quibus potissime methodus didascalica veluti in forma concreta perspici debet, ii sunt auctores, qui initio seculi undecimi usque ad finem seculi decimi tertii principes inter doctores floruerunt, Anselmus nempe, Petrus Lombardus, Alexander Hales, Albertus Magnus, Bonaventura, maxime vero Thomas Aquinas. Hi sunt, eorumque posterioris ætatis sequaces, vere *scholastici* : methodus, quam ipsi in docendo servaverunt, SCHOLASTICA, hoc est ad docendum in scholis rite accommodata, vere est dicenda.

Hujus methodi autem hæc est adumbratio : 1° In ordinandis quæstionibus inter se, processum syntheticum servat, ab iis incipiendo, quarum cognitio aliarum resolutioni præsupponitur. — 2° Singulas quæstiones primo sub dubio proponit ; quærit enim animus de re, quia de ipsa dubitat. — 3° Rationes dubitandi ponit, ad quas pro solvenda quæstione, respici debet. — 4° Partem affirmativam vel negativam dubii per modum conclusionis statuit ; eamque, si quædam sint prænotanda, vel definienda, vel etiam distinguenda, per alias propositiones, definitiones, et divisiones declarat : ac sic sensum conclusionis exponendo, eam quodammodo adumbrat, quam postea exactius et exquisitius edisserit. — 5° Conclusionem propositam et declaratam probat per allegationem alicujus viri docti et gravis, vel per S. Scripturam, ac per unum et item alterum argumentum rationis. — 6° Rationes dubitandi, quæ quasi nodi mentem ligant, ultimo solvit. — 7° In dicendo denique, utitur oratione brevi et pressa, tota ad veritatem exprimendam intenta, simplici, propria, naturali, sine

fuco et sine detorsione, e medio sumpta; non enim animos pigmentato sermone allicere intendit, sed nuda veritate docere, illuminare, atque convincere.

Hæc breviter de methodo scholastica, quæ, ut patet, modo naturali procedendi rationis tota respondet; est igitur optima. Nil mirum inde si, ut experientia constat, hæc via procedendi, adolescentulorum ingenium mirum in modum acuat; eisque habitudinem tribuat, utendi suis facultatibus, studendi, laborandi, eandem rem diu recogitandi, definiendi, distinguendi, verum a falso facile discernendi; non efficit utique ipsa linguam solutam et effluentem, sed mentem facit robustam et fortem, contra sophistas ætatis potentem resistere. Utinam hæc tempora nostra, formosa quidem et exquisita, sed flaccida et mollia, ad hanc methodum patrum nostrorum sincere redirent! « Si retusum fuerit ferrum, et ... hebetatum fuerit, multo labore exacuetur; et post industriam sequetur sapientia (1). »

CONCLUSIO HUJUS LIBRI.

Satis superque in hoc quarto libro de methodo dissertum est; aliqua de apologetica et polemica debuissent addi, nisi facile ex dictis intelligerentur. — Nunc non pigeat in fine hujus tractationis, Hugonem de S. Victore utilitatem methodi commendantem, audire : « Maxime me movet, ait, et dignum quæstione videtur, unde hoc accidit, quod duo pari ingenio, et æquali studio uni lectioni intendunt, nec tamen simili effectu ejus intelligentiam consequantur. Alter cito quod quærit apprehendit, alter diu laborat, et parum proficit. Sed sciendum est, quod in quolibet negotio duo sunt necessaria : opus videlicet, et ratio operis, quæ ita sibi connexa sunt, ut

(1) Ecclesiastes, cap. X, v. 10.

alterum sine altero, aut inutile sit aut minus efficax. Verumtamen *melior*, ut dicitur, *prudentia est fortitudine*; quia et pondera aliquando quæ viribus movere non possumus, arte levamus. Sic nimirum est in omni studio, QUI SINE DISCRETIONE OPERATUR, LABORAT QUIDEM, SED NON PROFICIT, ET QUASI AEREM VERBERANS, VIRES IN VENTUM FUNDIT (1).» Hæc laudatus auctor.

—

CONCLUSIO TOTIUS LOGICÆ.

Hactenus de modo bene cogitandi, prout initio proposuimus, scriptum est. Dictum est itaque *de cognitione intellectiva in genere*, ut sic materia, in qua leges rite cogitandi sunt exquirendæ, præ oculis objecta haberetur; *de modo conclusionis inferendæ*, ut sic leges, quibus mens regitur in motu suo progressivo, perspicerentur; *de modo conclusionis illatæ recognoscendæ*, ut sic leges, quibus mens regitur in motu suo regressivo, quando nempe conclusionem illatam sub lumine principiorum examinat, intelligerentur; ultimo, *de methodo*, ut sic leges, quibus mens regitur, cum aliquod verum per seriem quandam cogitationum sibi comparare debet, vel aliis tradere, cognoscerentur.

Unum nunc superest, studiosos monere, ut etiam atque etiam sese exercendo operam ipsi navent acquisitioni usus et habitudinis harum præceptionum : quemadmodum enim theoria de re omni ad praxim pertinente, parum sine usu prodest, ita et logica, si promptum et eruditum non faciat animum, qui ex ipsa sine ipsa bene possit cogitare.

Hæc sunt, quæ a me, opitulante Deo luminum datore, de modo bene cogitandi scribi potuerunt.

(1) Erudit. Didascal. Lib. V, c. 5.

TABULA

AD UNIVERSAM PHILOSOPHIAM

INTRODUCTIO.

Caput primum.

De natura philosophiæ ejusque definitione.

I. De habitudine philosophiæ et humanæ naturæ . . 1
II. Objectum philosophiæ sunt rationes rerum, ultimæ ac sempiternæ 2
III. Philosophia est appetitio sciendi sempiternas et ultimas rationes rerum, vel est inquisitio, vel manifestatio ipsarum. 4
IV. Philosophiæ definitio triplex, prout latissime sumitur, minus late, proprie ac presse. . . . ib.
V. Bonitas definitionis philosophiæ proprie et presse acceptæ, ratione probatur. 5
VI. Solvuntur objectiones. 6

Caput secundum.

De existentia philosophiæ.

I. Philosophia ut est appetitio sciendi, vere existit. . 9
II. Philosophia prout significat cognitionem mundi, hominis, et Dei, absolutam et undequaque perfectam, non existit. ib.
III. Philosophia prout significat actualem manifestationem veri, imperfectam tamen, vere existit . . . 10

Caput tertium.

De partibus philosophiæ earumque ordinatione.

I. Vetus ac nova distributio philosophiæ proponitur. . 10

II. De ordinatione partium philosophiæ . . . 12
III. Objectiones solvuntur. 14

Caput quartum.

De necessitate philosophiæ.

I. Ut perfectio intellectiva hominis evolvatur, philosophia est omnino necessaria 16
II. Philosophia est necessaria ad rite gubernandum. . 17
III. Philosophia reipublicæ christianæ est necessaria. . 18
IV. Solvuntur objectiones . . . . . ib.

Caput quintum.

De philosophiæ præstantia.

I. Philosophia contemplativa omnibus aliis naturalibus scientiis est dignior atque præstantior . . . 20
II. Philosophia activa seu practica omnibus aliis scientiis practicis est præstantior. 21

Caput sextum.

De origine philosophiæ.

I. De causa philosophiæ tum prima et remota, tum proxima et secundaria 22
II. De eo, ex quo vis intellectiva hominis primo incitata fuit ad causas rerum inquirendas . . . . ib.
III. Objectiones solvuntur. 23

Caput septimum.

De unione philosophiæ et divinæ supernaturalis revelationis.

I. Quædam breviter prænotantur 25
II. Pro cognoscendis veritatibus naturalibus modo perfecto, philosophia indiget divina revelatione . . . 26
III. Divina revelatio indiget præsidio philosophiæ . . 30
IV. Solvuntur objectiones 31

Caput octavum.

De quatuor characteribus christianæ philosophiæ . 35
Conclusio 36

LOGICÆ

PROLEGOMENA.

Caput primum.

De scopo logicæ.

I. Logica alia est naturalis, et alia artificialis . . 39
II. Dirigere mentem in verum est scopus logicæ tum naturalis, tum artificialis 40

Caput secundum.

De objecto logicæ.

I. De tribus operationibus mentis, quas logica dirigere debet. 41
II. De objecto logicæ tum materiali, tum formali . . 42
III. Objectum principale logicæ est discursus . . 43
IV. Solvuntur difficultates 44

Caput tertium.

De natura logicæ ejusque definitione.

I. Logica prout considerat in operationibus mentis modum bene cogitandi, est speculativa. . . . 46
II. Logica secundum quod applicat regulas ad bene cogitandum, est potius ars, quam scientia . . . 47
III. Logica definitur 48

Caput quartum.

Dė divisione logicæ.

I. Divisio logicæ, quæ a nobis proponitur est bona. . 49
II. Hæc divisio continet ea omnia, de quibus logica tractare debet. . . . . . . ib.
III. Partes enumeratæ recto ordine distribuuntur inter se . 50

Caput quintum.

De necessitate logicæ, ejusque dignitate.

I. Proponitur quæstio de necessitate logicæ, eaque declaratur 51

II. Potest humana ratio per logicam naturalem, sine logica artificiali, aliqualem scientiam rerum sibi comparare . ib.
III. Logica artificialis pro scientiis perfecte acquirendis et conservandis, est omnino necessaria . . . 52
IV. Logica aliis scientiis non est dignior . . . 54

Caput sextum.

De fontibus logicæ, ejusque origine.

I. Fontes logicæ sunt conceptus, res, et voces . . 64
II. Origo logicæ artificialis est reflexio mentis supra se, circa intelligibilia se exercentem . . . 55

Caput septimum.

De perfectione quam logica confert intellectui.

I. Qualis sit perfectio, quam logica artificialis tribuit humano intellcctui 56
II. Quanam conditione logica artificialis vere prodesse possit. ib.
Conclusio . . . . . . ib.

LOGICÆ

LIBER PRIMUS.

DE COGNITIONE INTELLECTIVA.

Prœmium 57

SECTIO PRIMA.

DE ACTIVITATE HOMINIS INTELLECTUALI, QUÆ EST MATERIA PRINCIPALIS, IN QUA INQUIRUNTUR ET CIRCA QUAM APPLICANTUR PRÆCEPTA LOGICÆ.

Caput primum.

De natura cognitionis intellectivæ.

I. Quid sit cognitio universe sumpta, et quænam elementa ipsam constituant 58

II. De cognitione sensitiva 60
III. De cognitione intellectiva 61
IV. Ratio cognitionis seu manifestationis intellectualis facili exemplo declaratur, eaque definitur . , . 62
V. De discrimine inter cognitionem intellectivam et sensitivam. 63

Caput secundum.

De operationibus quibus mens assequitur veritatem.

I. Recensentur et definiuntur operationes, quibus mens assequitur veritatem 65
II. Tres recensitæ operationes mentis omnes cogitandi motus complectuntur, eæque ordinatæ sunt inter se . . 67
III. Abstractio, Attentio, Assensus, Methodus, non sunt operationes distinctæ a tribus enumeratis, sed modi quidam et quasi temperamenta ipsarum. . . 69

Caput tertium.

De vario genere cognitionis intellectivæ hominis, ac de mediis, quibus illud attingitur.

I. Diversa genera ac diversa media cognitionis intellectivæ hominis breviter recensentur 73
II. De primo genere intellectivæ cognitionis, ac medio per quod ipsa acquiritur 74
III. De secundo genere intellectivæ cognitionis, ac medio per quod ipsa acquiritur 75
IV. De tertio genere intellectivæ cognitionis, ac medio per quod ipsa acquiritur 76
V. De quarto genere intellectivæ cognitionis, ac medio per quod ipsa acquiritur 77
VI. De quinto genere cognitionis intellectivæ, ac medio per quod ipsa acquiritur 78
VIII. Veritates, quæ sensus communis dicuntur, non constituunt novum genus cognitionis a generibus supra enumeratis distinctum, neque sensus communis constituit medium aliquod cognitionis, distinctum a mediis supra recensitis 79

SECTIO SECUNDA.

DE ADJUMENTIS ACTIVITATIS INTELLECTUALIS HOMINIS, QUÆ MATERIAM SECUNDARIAM LOGICÆ CONSTITUUNT.

Caput primum.

De primo adjumento activitatis intellectualis hominis, quod est phantasia.

I. Activitas intellectualis hominis a phantasia adjuvatur . 81
II. Quonam modo phantasia sit naturale adjumentum intellectualis activitatis 82

Caput secundum.

De alio adjumento activitatis intellectualis hominis, nempe de vocabulis.

I. De signis in genere 83
II. De natura signi quod voce exprimitur . . . 86
III. Activitas intellectualis hominis a vocabulis adjuvatur . 87

Caput tertium.

De tertio adjumento activitatis intellectualis hominis, nempe de voluntate.

I. Voluntas est princeps quædam facultas, a qua pendet exercitium et applicatio earum facultatum animi, quæ libertati arbitrii subduntur 89
II. De modo quo voluntas adjuvat intellectum circa cognitionem veri 90

SECTIO TERTIA.

DE VERITATE COGNOSCENDA DEQUE FALSITATE VITANDA, QUOD EST FINIS AD QUEM ULTIMO PRÆCEPTA LOGICÆ ORDINANTUR.

Caput primum.

De veritate cognoscenda.

I. Quid et quotuplex sit veritas declaratur. . . 91

II. Qualis debeat esse hæc veritas formalis, ut omnibus modis absoluta sit atque perfecta . . . 92

Caput secundum.

De falsitate vitanda.

I. Quid sit falsitas declaratur 94
II. In quanam mentis operatione proprie reperiatur falsitas. 95

Caput tertium.

Quonam modo veritas cognoscenda et falsitas vitanda sit finis logicæ.

I. Præcipuus finis logicæ est ita dirigere operationes mentis, ut a falsitate arceantur et veritatem formalem adipiscantur. 97
II. Pro operationibus simplicis apprehensionis in quibus falsitas non potest reperiri, directio logicæ intendit, quod ipsæ clare, distincte et perfecte percipiant . . ib.
III. Finis logicæ non continetur totus in fuga erroris, et in adeptione clara et distincta veritatis, sed etiam ut mens sciat docte opinari, dubitare, ignorare. . . 98
CONCLUSIO HUJUS LIBRI 99

LOGICÆ

LIBER SECUNDUS.

DE MODO CONCLUSIONIS INFERENDÆ.

PROŒMIUM 101

SECTIO PRIMA.

DE SIMPLICI APPREHENSIONE MENTIS.

Caput primum.

De eo per quod simplex apprehensio constituitur, ac de necessitate ipsam rite cognoscendi.

I. De eo per quod simplex apprehensio constituitur . 102

II. Quam necessarium sit accuratum ac diligens examen instituere circa prædictam operationem. . . 103

Caput secundum.

De divisione terminorum.

I. A quonam principio sumenda sit divisio terminorum, quæ ad logicam spectat 104
II. De divisione conceptuum, qui non referuntur ad terminos vocales 105
III. De divisione terminorum mentalium seu conceptuum, qui significantur per terminos vocales . . . 106
IV. De divisione terminorum, quæ exclusive ad vocales pertinet 111
V. Quid ex hac divisione terminorum debeat colligi . 113

Caput tertium.

De rectitudine et pravitate simplicis perceptionis.

I. Simplex perceptio semper est vera . . . 114
II. Simplex perceptio, sine cultura sibi relicta, obscure, cum confusione, modo deminuto manifestat verum . 115
III. Causa obscuritatis, confusionis, et deminutionis in simplici perceptione est a natura, et ab homine . . 117

Caput quartum.

De modo quo prima operatio mentis a logica dirigitur, ut verum quod ipsa cognoscit, clare distincte ac perfecte manifestetur.

I. Ut quis perfectam perceptionem veri elicere possit, debet rite adhibere media cognitionis ad suscipiendam impressionem objecti, et aciem intellectus intendere ad illud considerandum 119
II. Ut rite adhibeantur facultates illæ, quæ sunt media cognitionis, debent diu, sæpe, cum applicatione animi, circa proprium objectum dirigi et exerceri; intellectus vero debet cum attentione, objectum ab ipsis renuntiatum considerare 120

III. Stupor et bebetudo mentis, præoccupatio ipsius atque distractio, nec non aversio voluntatis, haberi debent tanquam impedimenta intellectivæ attentionis . . 121
IV. De iis quibus anima pro attenta consideratione intelligibilium adjuvatur . . , . . 124

Caput quintum.

De definitione nominali.

I. Triplex genus definitionis distinguitur, nominalis nempe, conceptualis et realis 128
II. Germana via cognoscendi ad quid significanda nomina sint imposita, est usus. Usus vero ex etymologia comperiri potest, vel ex synonymia. Quod si vox plura inter se diversa significet, tunc, sufficienter enumeratis suis significatibus, qui intenditur, ab aliis secernatur. Si vero, nonnisi difficulter hoc fieri queat, vox omnibus significationibus suis denudata tunc consideretur, eique significatio, quam quis intendit, tribuatur . . . 130
III. De utilitate, nec non de legibus definitionis nominalis . 132

Caput sextum.

De definitione conceptuali.

I. Definitio conceptualis reipsa a definitione nominali et reali differt; eaque adhibenda est in recognitione veritatis, et in omni de re aliqua, controversia . . . 133
II. Nequit ex quacumque definitione conceptuali absolute concludi realitas rei conceptæ; sed solum quando vis intellectiva ad repræsentandam veritatem est naturaliter determinata 134

Caput septimum.

De definitione reali.

I. Quænam sit natura definitionis rei, breviter exponitur. 136
II. Definitio realis alia est essentialis, et alia descriptiva . 137
III. De conditionibus quæ requiruntur, ut res aliqua possit definiri 140

IV. De legibus requisitis ad bonam definitionem . . 141
V. Aliquæ breves animadversiones circa usum definitionis realis, proponuntur 144

Caput octavum.

De modo investigandi definitionem metaphysicam.

I. Quid proprie per definitionem metaphysicam quæratur, exponitur 145
II. Declaratur quænam sit materia in qua mens versari debet, ut definitionem metaphysicam possit efformare . . 147
III. Qualis debeat esse opera humani intellectus, ut e rebus vel vocibus haurire possit essentiam abstractam et universalem rerum, eamque definire . . . 148

Caput nonum.

De divisione.

I. Declaratur quid sit divisio 151
II. Divisio alia formalis est, alia materialis, alia nominalis. ib.
III. De legibus bonæ divisionis 153
IV. De utilitate divisionis. 155

Caput decimum.

De modo quo ordinari debent inter se repræsentationes intellectuales rerum, ne animo ingerant obscuritatem et confusionem.

I. Ad logicam spectat in certos numeros ideas distribuere, ac suo unamquamque loco collocare . . . 156
II. Quid de humana cognitione sub ordinationem cadere debeat, quales sint oporteat illæ ideæ, quæ tanquam principes huic ordinationi præsunt, qualis demum ordinatio ipsarum, declaratur . . . . . ib.
III. Quænam sit unitas illa suprema, sub qua omnes ideæ comprehenduntur, et quænam sit divisio ejus, declaratur. 158
IV. Singula prædicamenta breviter explicantur . . 160
V. Allata enumeratio ac distributio primorum conceptuum, adamussim respondet requisitis, de quibus sub numero secundo in hoc capite dictum est . . . 168

VI. De quinque universalibus seu prædicabilibus, nempe de genere, de specie, de differentia, de proprio, et de accidente; quorum cognitio est necessaria ad prædicamenta ordinanda 170
VII. Quæ in numero proxime antecedenti continentur, sub quibusdam regulis breviter ac succincte proponuntur; item fit sermo de conditionibus requisitis, ut aliquid ponatur sub prædicamento 182
VIII. Categoriæ a Kantio excogitatæ rejiciuntur . . 185
IX. Categoriæ a Rosminio excogitatæ rejiciuntur . . 187

Caput undecimum.

De diversis modis, qui in rationibus intellectis inter se comparatis, considerari possunt.

I. Diversi modi qui in rationibus intellectis inter se comparatis, considerari possunt, breviter enumerantur . 189
II. De modis quibus una ratio intellecta alteri opposita esse dicitur . . . . . . ib.
III. De modis quibus una ratio intellecta prior altera esse dicitur 191
IV. De modis quibus res simul esse dicuntur; de modis quibus motus esse contingit; de modis habendi. . 192
Conclusio hujus sectionis 193

SECTIO SECUNDA.

DE ALTERA OPERATIONE MENTIS QUÆ EST JUDICIUM.

Caput primum.

De natura judicii, necnon de necessitate ipsum rite cognoscendi.

I. Exponitur natura judicii, ejusque definitio traditur . 194
II. Quale sit judicium de quo hic modo quæritur, quænam munia ejus, et quam necessarium sit illud rite cognoscere. 195

Caput secundum.

De enuntiatione quæ est expressio sensibilis judicii.

I. Quid sit enunciatio declaratur 197

II. De nomine et verbo quæ sunt partes propositionis, nec non de oratione 200

Caput tertium.

De divisione propositionis.

I. Unde sumatur divisio propositionis . . . 208
II. De divisione propositionis prout ipsa secundum se spectatur, ratione subjecti, ratione habitudinis prædicati et subjecti, ratione copulæ, ratione demum affirmationis, per quam intellectus se adæquat objecto . . 209
III. De alio principio dividendi propositionem, juxta diversam dependentiam unius propositionis ab alia . . 212
IV. De tertio capite ex quo desumi potest divisio propositionis, quæ divisio non tam ad logicam pertinet, quam ad grammaticam 215
V. De propositione modali et incidenti, et de quibusdam aliis propositionibus a Philosophis, imprimis a Mathematicis, usu receptis 216

Caput quartum.

De proprietatibus propositionibus.

I. Proprietates propositionis breviter recensentur . . 219
II. De proprietatibus propositionis, quæ se tenent ex parte terminorum ipsam constituentium . . . 219
III. De oppositione, æquipollentia, conversione, et subalternatione, quæ sunt proprietates totam propositionem sequentes, quatenus una propositio comparative ad aliam consideratur 226

Caput quintum.

De regulis recte judicandi.

I. Breviter recensentur ea, de quibus regulæ recte judicandi debeant esse 234
II. Manifestatio judicii clara, distincta, integra debet esse, pro qua unica regula traditur, nempe terminos, ex quibus constituitur judicium, recte percipere . . . ib.

III. Adæquatio, secundum quam intellectus judicando se exæquat objecto, vera debet esse : diversa criteria seu normæ veri et falsi declarantur. . . . 235
IV. De regulis recte assentiendi 242
V. De arte critica, seu de usu et valore testimoniorum in factis historicis discernendis 248
VI Quædam regulæ breviter proponuntur, secundum quas mens dirigi debet, ne ab expressione sensibili judicii confundatur 259

Caput sextum.

De primis principiis cognitionis.

I. Declaratur divisio judiciorum in analytica et synthetica . 260
II. Judicia synthetica a priori, qualia ponuntur a Kantio, refutantur 262
III. Quædam principia evidentiam immediatam habentia recensentur 266
IV. Sensus quæstionis de primo ac fundamentali principio cognitionis, exponitur 269
V. Quatuor sunt prima ac fundamentalia principia cognitionis. 270
VI. Hæc quatuor principia a nobis numerata, apprime naturæ judicii respondent 273
VII. Etsi ex hisce principiis, absolute consideratis, principium ontologicum sit prius aliis, tamen respectu judicii, nulla inter ipsa existit prioritas 274
Conclusio hujus sectionis . . . . ib.

SECTIO TERTIA.

DE ULTIMA OPERATIONE MENTIS QUÆ EST RATIOCINIUM.

Caput primum.

Quæ ad constitutionem ratiocinii pertinent, declarantur.

I. Definitur quid sit ratiocinium 276
II. Elementa, ex quibus constituitur ratiocinium, recensentur. ib.
III. Proponuntur quinque regulæ ad constitutionem ratiocinii pertinentes 277

IV. Omne ratiocinium incipit a quibusdam primis principiis indemonstrabilibus et immediatis, ac in ipsa ultimo revocatur 279
V. De primo principio, in quo omne ratiocinium fundatur . ib.

Caput secundum.

De expressione sensibili ratiocinii, ejusque divisione.

I. Variæ voces, quibus ratiocinium et elementa ejus sensibiliter exprimuntur, declarantur . . . 281
II. De variis capitibus, e quibus divisio ratiocinii sumi potest. 284
III. De divisione ratiocinii ex parte expressionis sensibilis, nempe de syllogîsmo formato et informi, simplici, conditionali, causali, disjunctivo, copulativo, relativo, de epicheremate, sorite, polysyllogismo et dilemmate, demum de syllogismo truncato seu enthymemate . . 284
IV. De divisione syllogismi ex parte materiæ . . 289
V. De divisione syllogismi ex parte formæ, scilicet ex parte nexus conclusionis cum præmissis, in syllogismum deductivum et inductivum 290

Caput tertium.

De dispositione artificiosa terminorum et propositionum, ex quibus constat syllogismus.

I. Quid sit figura et quid modus syllogismi, declaratur . 293
II. Figuræ syllogismi sunt tres, nec plures, nec pauciores; quarta, quæ a nonnullis additur, non est nisi schema primæ figuræ . . . . . . ib.
III. Modi syllogismi, utiles et inutiles, pro varia combinatione propositionum, quam admittunt, sexaginta quatuor numerantur . . . . . . ib.
V. Regulæ pro discernendo quinam ex recensitis modis sint utiles et quinam inutiles 297
VI. Modi syllogismi, decem qui remanent, si eorum termini juxta exigentiam trium figurarum disponantur, efficiunt novendecim formas syllogismi utiles . . . 299
VII. Quatuor primæ formæ syllogisticæ, quæ ad primam figuram pertinent, sunt perfectæ, reliquæ vero sunt imperfectæ; ad ipsas proinde sunt formæ imperfectæ revocandæ . 302

Caput quartum.

De reductione syllogismorum.

I. Reductio syllogismorum imperfectorum alia est ostensiva, alia ad impossibile 303
II. De modo revocandi syllogismum imperfectum ad perfectum per reductionem ostensivam 304
III. De modo revocandi syllogismum per reductionem ad impossibile 305

Caput quintum.

De conclusione apodictica.

I. Quid sit demonstratio, et quales debeant esse præmissæ, ex quibus ipsa constituitur 307
II. Quotuplex sit demonstratio, per quam conclusio apodictica quæritur 309
III. Divisio demonstrationis in propter quid et quia, prout ex parte medii sumitur, est adæquata . . . 311
IV. Qualis debeat esse conclusio apodictica, et qualis assensus, qui ei præbetur 313
V. De vi demonstrationis circa assensum et quietem intellectus in vero; nec non circa dispositionem, quam ipsa efficit in mente 316

Caput sextum.

De conclusione dialectica.

I. Quid sit conclusio dialectica, et in quo a conclusione apodictica differat, declaratur 317
II. Fontes e quibus notæ probabilitatis hauriuntur, sunt analogia, hypothesis et auctoritas . . . 318
III. Quomodo dirigi debeat assensus intellectus circa conclusionem dialecticam 320

Caput septimum.

De conclusione sophistica vel erronea.

I. Quid sit conclusio sophistica vel erronea, et quænam sint causæ ipsius, declaratur 323

II. De fallaciis secundum dictionem . . . 325
III. De fallaciis extra dictionem, quæ nempe a rebus ipsis ducuntur 326
III. Recentior sophistica, ejusque præcipua origo breviter exponitur 329

Caput octavum.

De variis statibus intellectus respectu cognitionts veritatis.

I. Intellectus hominis respectu cognitionis veritatis, vel scit, vel opinatur, vel suspicatur, vel dubitat, vel ignorat . 331
II. Quædam normæ ad eruditam inscitiam pertinentes, breviter traduntur 332
Conclusio 334

LOGICÆ

LIBER TERTIUS.

DE MODO RECOGNOSCENDÆ CONCLUSIONIS ILLATÆ.

Prooemium 335

SECTIO PRIMA.

Caput unicum.

I. *De modo recognoscendæ connexionis conclusionis illatæ cum præmissis.*

I. De modo et ordine, quo conclusio illata examinari debet sub lumine principiorum 336
II. Quænam sint principia, ad quæ ultimo conclusio apodictica revocari debet, declaratur . . . 337

SECTIO SECUNDA.

DE MODO RECOGNOSCENDÆ VERITATIS PRÆMISSARUM.

Caput primum.

Quæstio de medio, seu de criterio, quo homo uti potest pro veritate præmissarum recognoscenda proponitur, ac diversa hominum de hac re commenta recitantur et confutantur.

I. Elementa, quæ præmissas constituunt, et ex quibus primo formantur ratiocinia, recoluntur . . . 340

II. Quæstio de medio examinandi cognitionem proponitur, ac difficultas, a qua ipsa oritur, declaratur . . 341
III. Circa quæstionem de medio dignoscendi, an manifestatio idealis objecti in animo existens, veritati rei sit conformis, varia hominum commenta proponuntur . . 343
IV. Scepticismus absolutus nec confutari nec excuti potest : vulgaris vero, qui aliquid affirmat vel negat, excuti quidem, refutari tamen proprie non potest : modus illum excutiendi proponitur. 346
V. Idealismus sive absolutus, sive partialis, Berkeley vel Kantii, proprie non potest refutari; potest tamen excuti : probatur autem criticismum Kantiamum in apertam incidere repugnantiam 348
VI. Non potest divina revelatio, neque auctoritas generis humani, neque ipsa objectiva et immediata manifestatio rationum æternarum in Deo, esse regula suprema, secundum quam veritas cognitionis examinatur . . 350
VII. Non fides naturalis, aut cæcus instinctus, non indigentia et inclinatio naturæ, non sensus et affectus animi, non demonstratio, non idipsum, quod cognoscimus effecisse, non denique penetratio et identitas subjecti et objecti, potest esse suprema regula, secundum quam examinari debet veritas cognitionis 352

Caput secundum.

Vera sententia de medio recognoscendæ veritatis proponitur, eaque probatur.

I. Ante propositionem et probationem veræ sententiæ, tria documenta notatu digna statuuntur . . . 355
II. Ratio interior in cognoscente, secundum quam dignoscitur, an elementa, quorum cognitio ratiocinationi præsupponitur, fuerint ab animo fideliter ac vere relata atque manifestata, est perspicua illa ac evidens manifestatio objecti, secundum quam objectum formaliter manifestatur in animo et repræsentatur . . . 356

Caput tertium.

De luce intellectus, sensus intimi, et sensuum externorum.

I. Declaratur natura lucis intellectus, sensus intimi, et sensuum externorum 359
II. Declaratur efficacia lucis interioris, secundum quam discernitur verum, quod immediate manifestatur per sensus externos, per sensum intimum, per intelligentiam . 362
III. De triplici genere certitudinis, quæ a triplici illo lumine cognitionis oritur ; nec non de eo quod sequeretur, si quis uni vel alteri lumini, vel tribus simul nollet acquiescere . 365

SECTIO TERTIA.

OBJECTA MOTA CONTRA EA, QUÆ IN SECUNDA SECTIONE FUERUNT CONSTITUTA, REFELLUNTUR.

Caput primum.

Adversariorum argumenta contra tria lumina cognitionis in commnni, contra lumen sensuum externorum, et sensus intimi in particulari proponuntur ac dissolvuntur.

I. Proponuntur et diluuntur argumenta contra tria lumina cognitionis in communi 367
II. Solvuntur difficultates, quæ moventur contra lucem sensuum externorum 373
III. Solvuntur difficultates, quæ contra lucem seusus intimi moventur 375

Caput secundum.

Argumenta, quæ valorem lucis intellectivæ impugnant dissolvuntur.

I. Recensentur motiva principalia, quibus valor objectivus lucis intellectivæ a nonnullis impugnatur . . . 377
II, Cum lux intellectualis proprie universalia manifestet, ad valorem objectivum ejus propugnandum, de natura universalium tractetur oportet, ostendendo, eorum rationem non totam, ut falso docet Kantius, in aliquo subjectivo contineri 379

III. Solvitur tertia difficultas sub numero priori hujus capitis posita, ac tria alia objecta proponuntur et diluuntur . 384
Conclusio hujus libri 389

LOGICÆ

LIBER QUARTUS.

DE METHODO.

Proœmium 391

SECTIO PRIMA.

DE METHODO IN GENERE.

Caput primum.

De natura ac divisione methodi.

I. Declaratur quid significetur per methodum . . 392
II. Enumerantur variæ divisiones methodi, veræ et falsæ. 393
III. Processus analyticus et syntheticus non sunt duæ methodi; sed solum duo modi procedendi, ex quibus integra et perfecta efficitur tota progressio mentis . . 396

Caput secundum.

Statuuntur certæ regulæ pro methodo in genere.

I. Unde sumi debeant regulæ pro methodo, declaratur . 398
II. Statuuntur sex regulæ, secundum quas mens præparari debet ante quamcumque investigationem. . . ib.
III. Statuuntur quinque regulæ, pro ordinata progressione mentis servandæ 400

SECTIO SECUNDA.

DE METHODO SIBI COMPARANDI VERITATEM.

Caput primum.

De methodo sibi comparandi veritatem per viam inventionis.

I. Discrimen inter methodum inveniendi et methodum addiscendi veritatem, declaratur. . . 402

II. De numero et natura quæstionum, de quarum solutione invenienda quæri potest, nec non de mediis pro solutione ipsarum adhibendis, tractatur 403
III. De modo inveniendi solutionem quæstionis de possibilitate vel impossibilitate absoluta, physica, morali alicujus rei 404
IV. De modo inveniendi solutionem quæstionis tum de natura, tum de existentia, tum demum de proprietatibus alicujus rei 406
V. De modo inveniendi solutionem quæstionis de causa tum efficienti tum finali alicujus rei. . . . 409

Caput secundum.

De methodo addiscendi.

I. Qualis sit methodus disciplinaris, declaratur . . 411
II. Magistri docti, conversatio cum viris sapientibus, disputatio, lectio librorum, calamus, sermo populorum, sunt media, per quæ veritas ab aliis addiscitur . . 413
III. Tres regulæ in methodo disciplinari servandæ, statuuntur. 415

SECTIO TERTIA.

DE METHODO ALIIS SUADENDI VERITATEM.

Caput primum.

De methodo demonstrativa.

I. Processus in methodo demonstrativa servandus, prout demonstrationi doctrinæ magis expedit, quandoque syntheticus est, quandoque analyticus . . . 417
II. Regulæ servandæ in demonstratione alicujus thesis statuuntur. 418
II. Methodus demonstrandi mathematica nequit omni generi scientiarum aptari 422

Caput secundnm.

De methodo didascalica.

I. Statuuntur regulæ bene docendi veritatem eos, qui errore vacui, ipsa primo informantur. . . . 424
II. Scholastica methodus breviter adumbratur et commendatur 426
Conclusio hujus libri 428
Conclusio totius logicæ 429

ERRATA — CORRIGE

Pag. 27	lin. 30	in eadem sententia loquitur	in eandem sententiam loquitur
54	» 5	temperamentem	temperamentum
167	» 27	calore	ardore
199	» 35	notiones	notionis
245	» 15 et 16	si veritas *propositionis ex sola definitione terminorum*, sine illatione	si veritas sine illatione
305	» 1	ero	vero
310	» 19	immediate	immediata
334	» 10	vagus	vagas
339	» 5	proprio	proprie

NOVITIATE LIBRARY

DATE DUE

GTU Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709
For renewals call (510) 649-2500
All items are subject to recall

GAYLORD PRINTED IN U.S.A.

GTU Library
3 2400 00314 7547